
COMMENTARIA
IN EXTRAVAG.
PII PAPAE QVINTI
DE CAMBIIS.

In quibus tota Cambiorum materia facilè, ac exactissimè traditur. additis quamplurimis casibus, per Sacram Congregationem à S. D. N. D. Vrbano Papa VIII. ad id specialiter deputatam, nouissimè resolutis.

AVCTORE LEONARDO DVARDO MANICALCIATENSI,
Ordinis Clericorum Regularium Theatinorum Presbytero, Theol. ac V.I.D.

Cum duplici Indice qq. & materiarum copiosissimo.

DICATA
ILLVSTRISSIMO, ET REVERENDISSIMO DOMINO
D. SIMEONI CARAFÆ, ARCHIEPISCOPO MATEREN. ET ACHERONT.



NAPOLI, Apud Octauium Beltranum impress. MDCXLI.

SVPERIORVM PERMISSV.

Illustrißimo, ac Reuerendiss. Domino

D. SIMEONI CARAFAE,

CLERICO REGVLARI,

ARCHIEPISCOPO MATERENSI, ET ACHERONTINO.

D. Leonardus Duardus Clericus Regularis Felicitatem.



EC diù nec multum hæsitandum mihi fuit, cuinam Commentaria hæc in Extrauag. Pij Papæ V. de cambijs dicarem (Illustrissime Præsul) cùm tua imago, quæ se statim obtulit, ab omni prorsus ambiguitate me liberauit. Quæ enim singula nomina auctores inducere possunt, vt pro suo quisque studio suis locubrationibus patronos eligant, ea me ad te extimulant vniuersa. Nam si eruditionem tuam considero, iam subit in mentem recordatio, quòd à primo iuuentutis flore talem te dederis tyronem ad sacras litteras (ad eas præcipuè, quæ morales dicũtur, quia dum præscribunt agẽda, vel fugienda, mores vel malos extirpant, vel inserunt bonos) vt omnes æstimauerint te breui peruenturum ad scientiam ne dum perfectam, sed quę, vt Dionysius ait, *vim habeat perficiendi*. Si humilitatem cum grauitate coniunctam, iam probe omnes agnoscunt, & iure admirantur, quòd honos delatus minimè te ab eo cursu virtutũ reuocauerit, cuius metam ingressus es, cùm à primis vnguibus nostræ Religionis dedisti nomen: neque vento inanis gloriæ tumefactum ad superbam extulerit obstentationem. Vnde manifestas verũ esse, quod Ennodius dixit, *Qui fastum in humilitate castigat, docet meruisse, quod adeptus est* Accedit ad hæc, quod semper benignitatem, humanitatem, charitatem, cæterasque animi tui dotes agnoui, & amaui; & dum memini te incessanter me vel præsentẽ, vel absentẽ beneficijs obstrinxisse, nõ poteram nisi turpiter ingratus, iniquusque ab omnibus haberi, si gratias haberẽ qualescunque, si non referrem. Vltrò igitur ad te venit liber iste, nacturus apud virum religiosũ tutamen, apud eruditũ patrocinium, fauorem apud munificum. Quare etiam si careat eo rerum pondere, quanto materies ipsa indigeret, nil timere poterit à toruis inuidorum oculis, si tuos experiatur in-

D Diony. Areopag. de eccles. hier.

Enod. L. 4. epist. 2.

ſe benignos: neque à zoilorum dicacitate, ſi à tua humanitate ſuppleatur, quod illi deeſt eruditionis.

Neque ſpes vana eſt, & ſtudium inane, dum te illius familiæ radiū non degenerem ſuſpectat, quæ in hoc Neapolitano Regno tanquàm in ſereno Cælo, vt ſydus fulget ſingulare. Nam ſi nobilitatem, vel faciunt, vel augent Genus, & Virtus, tantam quiſq; cognoſcet in clariſſima Carafarum familia ingenuitatem, vt fateatur eius gentis Heroū, ſeu egregiè factis, ſeu feliciſſimis connubijs, anguſtos eſſe terminos vnius ne dum Regni, ſed Italiæ. Et vt præterea Epiſcopos plurimos, Archiepiſcopos, & Legatos Apoſtolicos; ex hac proſapia prodierunt Archiepiſcopi Neapolitani octo, S.R.E. Cardinales nouem, Pontifex
Paul. IV. P. max.
Maximus vnus, iſque talis, qui una cum Beato Caietano primò fundauit Regularem Clericorum Religionem, & communi omnium
Cher. epiſt. ad Caraf.
voto nuncupatus fuit, *Spes vnica confirmandæ, & conſtituendæ Reipub. Chriſtianæ* eo quod *Eloquentia, Doctrina, Sapientia, Innocentia, Libe-*
Pius V. in epith. Pauli IV.
ralitate, Animiq; Magnitudine ita præſtaret, vt Scelerum eſſet vindex integerrimus, & Catholicæ Fidei accerimus propugnator. Prætermitto Comites, Marchiones, Duces, Principes, Chiliarcas, Equitum Magiſtros ſupremos, Conſiliarios Imperiales, & Regios, Præfectos, & Cubicularios domus Regiæ, Militarium Ordinum Præſides Generales, Aurei velleris Equites, S.R.Imp. Principes, Hiſpan. Magnates, quorū ſi ſolum hic nomina recenſerem, quaſi anguſtæ caſæ præfigerem veſtibulum ſpacioſum.

Inter hos autem emicant Gentiles tui, qui CARAFE de SPINA
Angel. de cō ſtan. Lib 4. hiſtor. Neap.
agnominantur, re, vt in pugnis velitaribus quadam die in foro Carbonario inſtitutis, duo Equites Carafarum per appoſitionem ſpinæ ſuper clypeos diſcernerētur à Carolo Vngarorum Rege, quos gentilitia ſtemmata, virtus, gloria ex certaminibus acquiſita minimè diſcreuiſſent: ſed omine felici, vel vt promitteret candorem FIDEI. quæ ſemper Regibus CHARA fuit, nunquam non intamina-
Cant. 2.
tum, *ſicut lilium inter ſpinas*, vel quòd ab ipſis ante expectandam fractionem vel vitæ, vel bonorum, quàm timendam defectionem.
Termin. in apol. fol. 68
Horum agmen duxit Bartholomeus Præfectus domus Caroli II. & Roberti Regum, & ab ipſorum Conſilijs ſecretis, cuius FIDEM CHARAM optimè norunt, & Reges in arduis negotijs ſibi commiſſis, & Ciuitas Neapolitana cum pro ea oratorē ageret apud Regē
Summ. 3. P. fol. 396.
Vngariæ. Ex eo prodierunt Andreas Præfectus cubiculo Ioānæ II. & Rector vnius alæ Equitū eius, Philippus Archiepiſcopus Bononiēſis, S.R.E. Cardinalis, Bartholomeus, & Iacobus, hic Auerſanus Epi-
Syl. Petras. in Elog. Caraf.
ſcopus, ille Archiepiſcopus Barenſis, tanti fruticis rami non degeneres, tali virtute, & pietate conſpicui, vt eos diceres natos ad faſces, ad

arma

arma,ad infulas,ad tiaras.Neque trames sterilisHeroum:quippe qui ab Andrea per Iacobos,Honufrios,Io.Baptistas,Hieronymos,Fabritios ad Hieronymum vsq; productus,nunquam destitit viros effundere,Patriæ,Regibus,Deo,ob FIDEM CHAROS,itaque consertos, vt laus Maiorum semper excitaret in posteris æmulationem, æmulatio virtutem, virtus felicitatem, Nam(vt multos prætermeam)Bartholomeus alter Eques Ierusalimitanus , & eius sacræ militiæ magnus Prior in Vrbe, Romæque Senator (honos, qui tunc temporis etiam Regibus concedebatur)ita se præclarè tractauit,vt per egregia facta sicuti omnes ad æstimationem, ita magnanimos nepotes extimulauerit ad imitationem. Iacobus Generalis Dux Ferdinandi I. pro quo tam viriliter arma sumpsit, tâque fideliter tractauit; vt doceret viros cordatos esse Regum munimenta. Galeottus domi, ac militiæ præclarissimus,qui pro Regibus Aragoneis ad ipsim vsque decrepitam ætatem multa fortiter gessit: dumque in bello extremum diem clausit,innuit,inuictorum Ducum esse cadere si non in acie,saltem in castris. Ioannes, quem Carolus V.Imperator suum consiliarium nuncupauit spe non inani: nam optimè eum nouerat & consilio Vlissem,& manu Aiacem,siuè cum orator esset pro Ferdinando II. ad Proceres Pannoniæ, siue cùm pro eodem duceret classem Venetorum.Andreas,cuius tanta fuit prudentia,virtus,fidelitas, vt Rex Ferdinandus illi commiserit gubernacula totius Neapolitani Regni:quod munus & merito accepit,& dignè administrauit. Deniq; Fabritius Pater tuus ea fuit beneficentia,& liberalitate, vt ab omnibus sibi cõciliaret amorẽ;eo cõsilio,& prudẽtia,vt omnibus suppeditaret oracula vtilissima: tamque ob FIDEM CHARVS Regibus,vt à Filippo II.fuerit Vellere aureo donatus,& à Ferdinando S.R.Imp.Princeps nuncupatus. Mitto Carolũ,Hieronymũ, Vincentium Fratres tuos:quorũ ille & à Nuntiatura, quã pro Gregorio XV. & Vrbano VIII. summis Pontificibus egit ad Ferdinandum II. Imper.& ab EpiscopatuAuersano solerter administrato gloriam sibi comparauit,& comparat immortalem;isti auitarum virtutũ hæredes & ditionum,facilitate,beneficijs,prudentia,liberalitate potius quàm titulis habentur præclarissimi. Accipe igitur(AmplissimePræsul) ea humanitate,qua polles, & quã simul cum sãguine à Maioribus haustisti, hoc opus tot nominibus tibi obnoxium fronte serena,& suscipe in tuam clientelã, vt profectum ab animo erga te studiosissimo, & obseruantissimo, licet impar meritis,& eruditioni tuæ. Deum oro, & Illustrissimæ, & Reuerendissimæ Dominationi tuæ præter cælestia dona impertiat prosperitatem longæuam. Datum Neap. octauo Idus Ottobr. MDCXLI.

Ciacon. in Vrb. VI.

Syl. Petra S. ibidem

Idem ibid.

Ex eius lapide sepultur.

Syl. Petra S. in Elog. Caraf.

Hieronymus Princeps Ro. Imper. & Rupellæ, Marchio Castelli Veteris, & Comes Grutteriæ Vincentius Dux Prusani & Marchio Brácaleonis.

EXTRAVAG.

Pij Papæ V. de Cambijs.

Pius Episcopus, seruus seruorum Dei ad perpetuam rei memoriam.

IN eam pro nostro pastorali officio curam diligenter incumbimus, vt Domini nostri ouibus opportuna pro animarum salute remedia adhibere minime differamus. Cùm itaque ad aures nostras peruenerit, legitimum cambiorum vsum quem necessitas, publicaque vtilitas induxit sæpe numero ob illicitis quæstus cupiditatem deprauari, & sub illius prætextu vsuraria prauitas à non nullis exercentur. Nos petitionibus, *quę super his nobis nuper factæ sunt, hac perpetua valitura decretali, respondendum esse duximus, vt neque dolosis sua fraus suffragetur, neque ignaros perdat inscitia: sic enim Pastoris officium exequimur, dum gregem nobis commissum ab æternę damnationis periculo eripere modis omnibus studemus.*

§. 1. *Primùm igitur damnamus ea omnia cambia, quæ sicca nominantur, & ita confinguntur, vt contrahentes ad certas nundinas, seu ad alia loca cambia celebrare simulant. Ad quæ loca ij qui pecuniam recipiunt, litteras quidem suas cambij tradunt, sed non mittuntur, vel ita mittuntur, vt. transacto tempore vndè processerant, inanes referantur, aut etiam nullis huiusmodi litteris traditis, pecunia ibi denique cum interesse reposcitur, vbi contractus fuerat celebratus: nam inter dantes, & recipientes vsque à principio ita conuenerat, vel certè talis intentio erat: neque quisquam est, qui in nundinis, aut locis supradictis, huiusmodi litteris receptis, solutionem faciat. Cui malo simile etiam illud est, cùm pecuniæ, siue depositi, siue alio nomine ficti cambij traduntur, vt postea eodem in loco, vel alibi eum lucro restituantur. Sed, & in ipsis cambijs, quæ realia appellantur, interdum, vt ad nos perfertur, campsores præstitutum solutionis terminum lucro ex tacita vel expressa conuentione recepto, seu etiam tantummodo promisso, differunt. Quæ omnia nos vsuraria esse declaramus, & ne fiant districtius prohibemus.*

§. 2. *Porrò ad tollendas quoque in cambijs quantum cum Deo possumus occasiones peccandi, fraudesque Fæneratorum, statuimus, ne deinceps quisquam audeat, siuè à principio, siuè aliàs, certum, ac determinatum interesse, etiam in casu non solutionis pacisci, neque realia cambia aliter quàm pro primis nundinis, vbi illæ celebrantur; vbi verò non celebrantur pro primis terminis iuxta receptum locorum vsum exercere, abusu illo prorsus reiecto, cambia pro secundis, & deinceps nundinis, siuè terminis exercendi. Curandum autem erit in terminis, ut ratio habeatur longinquitatis, & vicinitatis locorum, in quibus solutio destinatur, ne dum longiores præfiguntur, quàm loca destinata desiderant, fænerandi detur occasio.*

§. 3. *Quicunque contra hanc nostram constitutionem commiserit, pœnis à Sacris Canonibus contra vsurarios inflictis se nouerit subiacere. Eos verò, qui conspirationes fecerint, vel congestam vndique pecuniam ita ad se redegerint, vel quasi monopolium pecuniæ facere videantur, pœnis, quæ à iure contra exercentes monopolia constitutę sunt, retineri sancimus. Volumus autem, quòd præsentes litterę in camera Apostolica, & ad valuas Basilicę Principis Apostolorum de vrbe, & Cancellariæ etiam Apostolicæ publicentur, & in ipsa Camera, describantur. Et quia difficile foret eas ad singula quæque deferri, quòd earum transumptis, etiam impres-*

impressis, manu alicuius eiusdem Cameræ, vel alterius Notarÿ subscriptis, & sigillo dictæ cameræ, vel Prælati Ecclesiastici munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo, &c. Dat. Romæ apud S. Petrum, anno incarnationis Dominicæ, millesimo quingentesimo septuagesimo primo, 5. Kal. Februaris, Pontific. nostri anno sexto.

Anno à Natiuitate Domini 1571. indict. 14. die vero septimo mensis Februarÿ Pontific. Sanctissimi in Christo patris, & D. N. D. Pÿ, diuina prouidentia Papæ V. anno VI. retroscriptæ litteræ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valuas Cameræ Apostolicæ Principis Apostolorum Basilicæ de Vrbe, ac Cancell. Apostol. vt moris est per nos Bartholomeum Sottocasa, & M. Ant. Brutum præfati S.D. N. Papæ. Curs.

Scipio de Octauianis Mag. Curs.

EXactissima, ac lucidissima necnon eruditissima in Pij V. Extrauag. de Cambijs Cõmentaria à nostræ Religionis professo R.P. Leonardo Duardo V.I.D. & Theologo edita ex mandato Admod. R.P. nostri Generalis Philippi Mariæ Guadagni, legi, ac perlegi, & nihil, quod non Catholicam veritatem, ac bonos mores redolent inuenire potui: digna igitur prorsus (si ad quos spectat Superiores consensus accesserit,) quæ Typis mandentur existimo. Datum Romæ è Domo nostra S. Andreæ in platea Senensi. die 9. mensis Augusti 1629.

Ego D. Gregorius Strada Lector Theologiæ quæ supra scripsi, subscribo, & affirmo.
Ego D. Alexander Peregrinus Cl. Reg. Canon. ac Moral. Theol. Prof. affirmo, vt sup.

D. *Philippus Maria Guadagnius* Congreg. *Clericorum Regularium Præpositus Generalis*.

HOc opus inscriptum Cõmentaria in Extrauag. Pii V. de Cambiis à P.D. Leonardo Duardo compositum, & iuxta præfixam assertionem Patrum nostrorum, quibus id cõmisimus approbatum, vt Typis mandetur (quo ad nos spectat) facultatem concedimus. In quorum fidẽ has nostras literas manu propria subscriptas, & solito nostro sigillo munitas, Damus Romæ in ædibus nostris S.Sy lucstri in Monte Quirinali die 12. Augusti 1629.

D. Philippus Maria Guadagnius Præpos. Generalis.

OPus hoc de Cambÿs, multum fore proficuum; ÿs, qui Animarum morales quæstiones pertractant, & conscientijs fidelium dijudicandis præsunt, Typisque demandandum, iure meritissimo censeo. Dat. Neap Die vltimo Septembris 1636.

D. Io. Dom. Aulisius, Doct. Theol. Collegialis, Canon. dep.

Idem censeo.

Ego D. *Thomas de Aquino Cler. Regul. dep.*

Imprimatur.

Felix Tamburellus Vicarius Generalis Neap.

VIdi etiam Excellentiæ tuę iussu prædicti Reuerendi Admod. P.D. Leonardi Duardi Congregationis Clericorum Regularium Theologi, & V.I.D. Commentaria in Extrauagantem Pii V. de Cambiis, & in eis nihil penitus, quod Orthodoxæ fidei, aut bonis moribus aduersetur reperire potui, quin potius eximiam, ac singularem doctrinam continet in elucidandis maximè difficillimis difficultatibus in Cambiorum materia nouissimè exortis. Quare ad commune cõmodum tum Forensium, & Campsorum, tum etiam ad Fidelium omnium vtilitatem Imprimi posse non immeritò censeo. Vale. Neapoli Die 19. Augusti 1636.

E.T. Additiss. Seruus

Ioannes Dominicus Coscia Comes Palatinus, & primam Iuris Pontificii in hoc Almo Gymnasio Regens Cathedram.

Imprimatur.

Tapia Reg. Brancia Reg. Zufia Reg. Casanatæ Reg.

INDEX

INDEX QVAESTIONVM,

Quæ in hoc opere continentur.

Quæstiones proæmij.

Quæstiones S. 1.

vno

An



PROOEMIVM AD LECTOREM.



Ambiorum vsus, quo vbique terrarum vnicuique pecuniã vendicare sibi licet, si profluentes inde vtilitates spectes(candidissime lector)optimã rationalisCreaturę solertiam laudabilis: si verò permixtas fraudes, & auidam illiciti lucri cupidinem; eius malitiam detestaberis. Vt igitur Ciuili Reip.sua extaret vtilitas, fraude omni sublata, Pius Quintus optimus, sanctissimusque Pontifex decretali constitutione; veluti salubri quadam medela, tanto malo duxit obuiandum:& fraude omni reiecta, ad debitam normam huiusmodi pecuniarum commutationem reuocauit; quæ in ipsa vitanda sunt prohibens, & quæ exequenda præfiniens. Verùm quia strictim admodum in ipsa cambiorum regula præscribitur, & plures modi,qui hac tempestate vsu recipiuntur occurrunt,de quibus meritò dubitatur,an iustitię sacraque constitutionis huius regulas seruent;ideò, vt totam hanc materiam sufficienter traderemus, & quid in ipsa circa vnũquodque cambiorũ genus determinandum sit,aperiamus, præfatam constitutionem, Diuina nobis succurente gratia,suscepimus explicandam; in duas partes; in proæmium scilicet, & tres §§.eandem commodè dissecantes.Et in proęmio quidem de cambij definitione,eiusdemque diuisione,ac iustitias de cambio ad minutum, & de nonnullis alijs, totius costitutionis generalem intelligentiam concernẽtibus, agimus. Quouerò ad §§. commentaria, in eorum primo de cãbijs per litteras de loco ad locum,ac nundinalibus, tũ siccis,tum etiam realibus tractabimus: in secundo de non nullis, de quibus controuertitur,an foenerandi occasionem præbeant, discutiemus:& in tertio deniq; de poena sacræ huic constitutioni contrauenientibus, ac consolrationes, & monopolia,excercentibus infligenda,peragentes, rem ipsam totam breuiter,ordinatè, facilè, prout à D. O. M. datum nobis fuerit absoluemus.



COMMENTVM LEONARDI DVARDI IN PROOEMIVM EXTRAVAG. PII PP. V.

DE CAMBIIS.

In quo non nulla ad eiusdem Extrauag. generalem euidentiam præmittuntur.

PROOEMIVM.

PIVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI. Ad perpetuam rei memoriam.



N eam pro pastorali officio curam diligenter incumbimus, vt Domini Nostri ouibus opportuna pro animarum salute remedia adhibere minimè differamus. Cumque itaque ad aures nostras peruenerit, legitimum cambiorum vsum, quē necessitas, publicaque vtilitas induxit, sæpenumero ob illiciti quæstus cupiditatem deprauari, vt sub illius prætextu vsuraria prauitas à non nullis exerceatur. Nos petitionibus, quæ super his nuper factæ sunt, hac perpetua valitura decretali respondendum esse duximus, vt ne dolosis sua fraus suffragetur, neque ignaros perdat inscitia. Sic enim Pastoris officium exequimur, dum gregem nobis commissum ab æternæ damnationis eripere modis, omnibus studeamus.

PRoęmium istud in duas partes diuiditur. Prima pars nomen Romani Pontificis, cum solita ipsius pręfatione cōtinet. In secūda verò parte, Decretalis huius promulgandæ, triplex assignatur ratio. Secunda, ibi *In eam.*

Quoad primam partem esset inuestiganda ratio, cur in suis litteris Romani Pontificis nomen hodie pręponatur, cùm olim postponeretur. Sed quoniam de hac re egimus in nostris Commentar. in Bull. Cœnæ Domini, lib. 1. cap. 5. q. 1. num. 1. & seq. idcirco, ne bis idem repetere videamur, hoc loco eam prætermittendam duximus, ad dicta commentaria nos remittentes: in quibus etiam egimus qualiter litterę vitiētur, si talis ordo non seruetur.

Quouerò ad alteram procemij partem est adnotat. quòd decretalem istam prima promulgandi ratio fuit, animarum fidelium

profectus, in adhibendis opportunis remedijs pro earum salute, vt constat ex illis verbis, *Vt Domini nostri ouibus opportuna pro animarum salute remedia, &c.* Id enim ad vigilantem Pastorem pertinet, vt in c. 1. de offic. Deleg. in 6. Secunda ratio fuit, ne dolosis sua fraus suffragetur, contra tex. in c. ad nostram, de empt. & vendit. Et tertia denique, ne ignaros perdat inscitia, vt patet in illis verbis, *Neque ignaros, &c.* His igitur sic statibus, antequam ad singularum particularum eiusdem Decretalis, ac §§. explicationē deueniamus, sequentes quæstiones ante omnia discutiendas censuimus.

De multiplici nomine dispositionis huius. Q. I.

SVMMARIVM.

1 *Dispositio hæc varijs nominibus appellatur à Romano Pontifice, ac à Doctoribus.*

2 *Constitutio Ecclesiastica varijs nominibus appellatur.*

3 *Dispositio hæc rectè dicitur Decretalis.*

4 *Constitutio est nomen generis, continens leges, canones, &c.*

5 *Dispositio hæc non solùm nuncupari potest Decretalis, sed etiam extrauagans, sanctio, lex, mandatum, & Bulla, seu Diploma.*

6 *Dispositio hæc non potest vocari canon, nec Decretum, neque Dogma, non interdictum, nec Pragmatica sanctio.*

AD tituli explicationem est adnot.
1 quòd hanc eandem dispositionem, quam in nostro prœmio Romanus Pontifex Decretalem appellat in illis verbis, *Hanc perpetuò valituram Decretalem, &c.* in eiusdem fine, constitutionem vocat, ita inquiens, *Quicunque hanc nostram constitutionē, &c.* Et Nauar. in Man. cap. 17. sub num. 283. in 5. & 6. not. hanc ipsam, extrauagantem nominat: qua propter dubitari poterat de prædictis nominibus, quibus huiusmodi dispositio nuncupatur, an sint sinonima, idem prorsus significantia; vel diuersa. Et si diuersa, an æquè principaliter ipsi conueniant; vel principaliter vnum, & minus principaliter alterum.

Pro huius rei determinatione sunt videnda ea, quæ adnotauimus in nostris
2 Comētarijs in Extrauag. eiusdē Sāctiss. Pōtif. Pij V. de censib. in prooemio, q. 1. vbi constitutionis Ecclesiasticæ plura nomina recensentes, diximus, quòd constitutio ipsa aliquando dicitur canon, eo quòd in Concilio Generali, vel etiam Prouinciali fuerit edita. Dicitur etiam Dogma, vbi constitutio statuit aliquid ad fidei Christianæ doctrinam pertinens, vt in c. qui Episcopus, 24. d. Appellatur præterea decretum, & est constitutio, quam Romanus Pontifex cum consilio Cardinalium statuit ad nullius cōsultationem, vt per Glos. in sum. 3. d. Item constitutio Ecclesiastica vocatur decretalis epistola, & est quam Rom. Pontifex solus edidit, vel cum Cardinalibus ad consultationē alterius; vt in c. si Romanorum. 19. d. Rursus constitutio Ecclesiastica appellatur mandatum, ex eo quòd continet doctrinam de moribus, iuxta illud Psal. *Tu mandasti mandata tua custodiri nimis.* Vocatur quoque constitutio ipsa interdictum, quando aliquid prohibet citra pœnam aliquam, §. sunt tamen, in Instit. de interd. Dicitur etiam sanctio, quando aliquid prohibet, adiecta pęna, §. sanctæ, in Instit. de rer. diuis. Item appellatur quandoque pragmatica sanctio, & hæc est constitutio promulgata super aliqua causa ventilata in consistorio Principis; vt per Dec. & alios in rub. de constit. Denique constitutio aliquando nominatur extrauagans, ex eo quòd est extra librorum iuris contextum, vt latè declarauimus in d. q. 1. in d. nostris Commentar. in Extrauag. Pij V. de censib.

Ex dictis modò patet quid responden-
3 dum sit ad propositā quæstionem. Dicimus enim dispositionem hanc congruenter appellari Decretalem; eo quòd edita fuit à Romano Pontifice ad consultationem alterius, vt cōstat ex illis nostri prooemij verbis, *Nos petitionibus, quæ super his nobis nuper factæ sunt, hac perpetuò valitura Decretali respondendum esse duximus, &c.* Non iniuria vocatur quoque ab eodem Romano
4 Pontifice constitutio: quoniam constitutio genus quodam est, & Decretalis est constitutionis species, iuxta ea, quæ docet Dec. loco citato, in 1. lect. sub num. 1. vers. vel

ter.

tertio. Meritò quoque à Nauar. dicitur extrauagans; quoniam est extra librorum iuris contextum; & cùm sit Bullario ad præsens addita, proculdubio censetur indubitata, per ea, quæ adnotauimus in commentarijs prædictis. Potest etiam hæc dispositio nuncupari sanctio, eo quòd pęnam statuit contrauenientibus, ob illa verba. *Quicunque contra hanc nostram constitutionem commiserit, pœnis à sacris canonibus contra vsurarios inflictis, se nouerit subiacere.* Dici potest mandatum; quia continet doctrinam de moribus. Item vocari potest lex à ligando, tum quia alligat vniuersalem Ecclesiá, vt q. seq. dicemus; tum etiam à legendo, cùm sit in scriptis edita. Vndè ob has rationes idem Pontifex appellat extrauag. de censibus legem, vt in §. 7. in vers. *Et licèt legem*, & nos adnotauimus in d.q.1.concl.3. Denique hęc ipsa constitutio nominatur Bulla, seù Diploma, cùm fuerit à Rom. Pontifice emanata in scriptis, bulla in eiusdem litteris appẽsa, vt declarauimus d.q.1.concl. 3. in fin.

Non tamen hæc ipsa dispositio dici po-
5 test canon, nec propriè decretum, nec dogma, nec interdictum, nec pragmatica sanctio. Etenim non fuit edita in Concilio, nec Generali, nec Prouinciali; & propterea non est propriè canon. Non fuit emanata cum interuentu Cardinalium; sed à solo Papa; atque ideò non est decretum. Nec potest dici dogma, quia non continet, doctrinam fidem catholicam concernentem. Nec appellatur interdictum, quoniam dispositio ista est pęnalis. Nec denique potest nũcupari pragmatica sanctio; quia non fuit promulgata super causa in Consistorio ventilata, vt hæc omnia latè declarauimus d.q.1.concl.2. Vndè constat, quòd dicta nomina constitutio, Decretalis, & extrauagans, de quibus in explicatione tituli quæstionis huius egimus, non sunt sinonima: sed constitutio est genus quodam, cùm cõstitutio dicatur quæcunque lex, à Principe lata, vt probauimus d.q.1.num.4. & concl. 3.num.36. Decretalis verò extrauagans, & aliæ dispositiones supra relatæ sunt constitutionis Ecclesiasticæ quodammodo species.

An extrauagans ista obliget vniuersalem Ecclesiam. Q. II.

SVMMARIVM.

1 *Extrauag. ista obligat vniuersalem Ecclesiam.*
2 *Lex, seu constitutio dicitur statutum Territorij.*
3 *Papæ Diœcesis, seu Territorium est totus terrarum Orbis.*
4 *Extrauag. ista quoad vim obligatiuam non indiget Ecclesiæ approbatione.*
5 *Leges sęcularium Principum indigent Populi acceptatione: non sic leges, ac constitutiones Pontificię.*
6 *Principis tolerantia, & dissimulatio in actu de iure prohibito, inducit dispensationem.*
7 *Extrauag. huic per consuetudinem quamuis scitam, et toleratam quoad cambia sicca, quæ prohibet derogari non potest.*
8 *Lex Principis vbi peccatum ex sua contrauentione inducit, non tollitur per non vsum.*
9 *Vsura est omni iure damnata.*
10 *Cambia sicca cùm sint vsuraria, super eis nulla cadit dispensatio.*
11 *Papa non potest dispensare in his, quę sunt intrinsecè, & ex obiecto mala.*
12 *Iudęi licèt in Terris Christianorum vsuras exerceant; non tamen censetur cum eis super vsuris dispensatum; sed ipsi toleratur tantùm vsurarum exercitium.*
13 *Principes sęculares non possunt vsurarum exercitium in eorum Terris tolerare citrà Romani Pontificis licentiam.*
14 *Vsuræ promissæ in casibus, in quibus licita est earum tolerantia, non debentur, & soluta repeti possunt, & Iudices adiuuantes ad eas exigendas excommunicantur, &c.*
15 *Cambia sicca permitti nequeunt per legem aliquam, neque per consuetudinem, nec per Rom. Pontificem.*
16 *Extrauag. ista licèt tolli non possit per non vsum quoad prohibitionem cambiorum, quæ sicca sunt potest tamen per non vsum tolli quoad pœnam.*
17 *Extrauag. ista nonnulla prohibet, quę non sunt contra iustitiam cambij.*

IN hac re patet quid dicendum sit ex ijs,
1 quæ latè diximus in nostris Commen-
tar.in Extrauag.Pij V. de cēsib.in procem.
q.3.& in Bull.cœnæ Domini lib. 1. cap.3.
q. 6. dum conclusimus tàm Bullam cœnæ,
quàm d. extrauag. obligare vniuersalē Ec-
clesiam. Vndè breuiter dicamus, Decre-
talem hanc Extrauag. alligare pariter totā
Ecclesiam: siquidē Decretalis ipsa est ve-
ra lex, & constitutio Ecclesiastica, vt supe-
riori q. ostendimus: ergò vniuersalem Ec-
clesiam alligat:nam lex, seu constitutio di-
2 citur statutum territorij: & Romanus Pon-
tifex habet pro eius territorio, & Diœcesi
totum Terrarum Orbē, vt habetur ex Car-
3 din.in Clem. Pastoralis, §. vt illud,num.4.
de iudic.& Hostiens. in c. tua nobis, de of-
fic. vicar.

Nec Decretalis huiusmodi quoad vim
4 obligatiuam indiget Ecclesiæ approbatio-
ne:nam licèt à Principe sæculari leges latæ
indigeant populi acceptatione,secundùm
sententiam magis receptam; nam non de-
sunt, qui contrariam doceant sententiam,
de quibus Ioan.de Salas de legib. disp.13.
5 sect. 1. propè fin. Leges tamen Pontificiæ
approbationem, seu acceptationem hanc
non exigunt: quia Romanus Pontifex po-
testatem ferendi leges nō habet ab Eccle-
sia, sicut Princeps sæcularis obtinet eam à
populo, sed à Deo post electionem in Pa-
pam de eo factam, vt rectè probauimus in
d.q.6.in Commentar.in Bull. cœn. & d.q.
3.in Commentar.in Extrauag.Pij V.

Imò quamuis per cōsuetudinem scitam,
6 & toleratam possit Pontificiæ constitutio-
ni non modo ab vniuersali, verùm etiam à
particulari Ecclesia derogari:quia toleran-
tia, & dissimulatio Principis in actu de iure
prohibito inducit dispēsationē,vt est Glos.
in c.quia circa, de consag. & affinit. Et nos
fusius ostendimus d.q.6.& q.3. supra cita-
7 tis;nihilominus huic Extrauag.per consue-
tudinem quantumuis scitam, ac toleratam
quoad cambia sicca,quæ prohibet,deroga-
ri nullo vnquam tempore potest: eo quòd
ex sui natura peccatum ex contrauentione
inducit: siquidem cābia sicca d. Extrauag.
vsuraria declarantur. Vndè licèt lex Prin-
cipis etiam præceptiua tollatur,si moribus
vtentium non recipiatur; vbi tamen lex
Principis peccatum ex sua contrauentione
8 inducit,vt quia concurrit cum lege Diuina,
vel naturali, non tollitur per non vsum, vt
benè inquit Syl.in sua sum.ver.lex:num.6.
Cambia autem sicca hac Decretali dam-
nata cùm sint vsuraria non solùm aduersan-
tur Diuino iuri, sed etiam naturali, canoni-
co, & ciuili, quibus omnibus aduersatur
vsura:nihil mirum igitur, si constitutio hu-
iusmodi sicca cambia prohibens, non va-
leat per non vsum abrogari.

Quòd vsura sit contra ius Diuinum na-
9 turale,tàm in lege veteri,quàm in lege euā-
gelica damnata,patet ex tex.in c. super eo,
de vsur. & nos latè probauimus in nostris
Cōmentar.in Extrauag.Pij V.de censib. in
proœm. q.4. Quòd autem vsura sit de iure
canonico prohibita,patet ex c.consuluit, c.
in Ciuitate, & toto tit.de vsur. & 14. q. 3.
per tot. Et denique quòd ius ciuile adhuc
eam improbet,constat ex tex.in l.cùm qui-
dam,§.si pupillo,in fin.ff. de vsur. vbi habe-
tur, quòd vsuræ non exiguntur propter lu-
crum petentium; sed propter moram non
soluentium: & sic vsura quando concedi-
tur in iure ciuili, intelligitur de interesse lu-
cri cessantis, vel damni emergentis, aut de
fructuum perceptorum compēsatione, iux-
ta tex. in l. curabit, c. de action. empt. vbi
latè Io.Bapt.Lup.qui satisquidem rectè cō-
ttaria soluit. Vndè non benè videntur do-
cere Molin.de contr.disp. 304. & alij con-
trarium sensientes.

Ex hoc infertur, quòd cambia sicca; &
10 vsuraria cùm vi nostræ Extrauag. dānentur
quæ tam iure Diuino, quàm iure naturali
prohibentur, adeò firma, ac stabilis est eius
dispositio, vt super eam nulla cadat dispen-
satio; ita vt nec per Romanum Pontificem
quidem possit super eam dispensari: quia
cùm cambia sicca, quæ vi dictæ Extrauag.
prohibentur, sint vsuraria,super vsuram nec
pro redemptione captiuorum fieri potest
dispensatio,vt in d.c.super eo, de vsur. Non
enim Papa dispensare potest in his,quæ sūt
11 intrinsecè, & ex obiecto mala, & quæ nun-
quam fieri possunt bene, vt per Abbat.in c.
proposuit,num.20.de cōcess. præben.& Fe-
lin.in c.quę in Ecclesiarū, nu.22. de cōstit.

Nec ex eo quòd videmus Iudæos exer-
12 cere vsuras in terris Ecclesiæ, & aliorum
Prin-

Principum, censetur cum ipsis dispensatum per Romanum Pontificem, vel temporales Principes: quoniam super vsuras, vt diximus, nulla cadit dispensatio; sed Papa, & alij Principes tolerant Iudæis exercitium vsurarum ad euitandum maius malum spirituale, vel consequendū maius bonum spirituale debitum, quàm sit illud, quod per vsuram aufertur; nempe Infidelium conuersionem, vt infra latius, Deo duce, dicemus, q. 4. Sic toleratur meretricium ad euitandum adulterium: quibus rationibus potest etiam Papa alijs Principibus licentiam concedere tolerandi exactionem vsurarum per Iudæos à Christianis. Etenim ipsi Principes
13 propria auctoritate Iudæis permittere nequeunt, etiam per modum simplis tolerantiæ vsurarum exercitium: quoniam iustam tolerandi causam, cùm debeat esse spiritualis, ad Romanum Pontificem pertinet iudicare, vt rectè probat Mart. de iurisd. p. 4. cap. 13. Imò vsuræ promissæ in casibus, in quibus licita est earum tolerantia, iuxta ea,
14 quæ supra diximus, non debentur, & solutæ repeti possunt: ac Iudicea, qui scienter iudicare præsumpserint; vt vsuræ soluantur, aut solutæ non restituantur, sunt ipso facto excommunicati; Et eadem pœna puniūtur communitates, & eorum Potestates, & quicunque alij officiales, qui condiderint, scripserint; vel dictauerint statuta, quibus vsuræ promittantur, aut solui compellantur, vel solutæ repeti prohibeantur, vt in Clem. 1. & c. post miserabilem, de vsur. Et quamuis dicta iura in quibusdam Prouincijs non seruentur; id tamen citra culpam fieri non potest, vt latè probat Salon. 2. 2. in D. Thom. q. 78. ar. 3. contr. 9. num. 7. in fin. & nos fusius de hac re egimus in nostris Comment. in Bull. Cœn. Domini, lib. 1. cap. 4. q. 7. à num. 52. vsque in fin. vbi confutauimus Nauar. sententiam lib. 5. suorum consil. cons. 5. sub tit. de Iudæis, in antiqua impres. existimantis, Potestatem statuere posse, vt vsuræ promissæ in casibus, in quibus tolerari possunt, soluantur.

Cæterum cum cambia sicca sint vsura-
15 ria, neque per legem, neque per statutum, neque per consuetudinem immemorabilē, neque per Principem, neque per Romanum Pontificem permitti possunt contra prohibitionem nostræ Extrauag. itaut campsores lucrum ex eis licitè sibi acquirant, & ad restitutionem non teneantur pro quocunque lucro temporali captando, aut dāno vitando, cùm vsura sit intrinsecè, & ex obiecto mala, vt ex Conrad. Io. Bapt. Lup & alijs ostendimus in dictis Comment. in Bullam Cœnæ loco citato, num. 59. & seq. & nos latius infra explicabimus, q. 4.

Est tamen verum, quòd licet ipsa Decre-
16 talis non possit per non vsum tolli, quoad prohibitionem cambiorum, quæ sicca appellantur; potest tamen per non vsum tolli quoad pœnam, quam statuit; quia huiusmodi cambia exercentes, licet ex eis lucrum percipientes peccent contra legem Diuinam, & naturalem; si tamen non puniantur pœna in ipsa Decretali contenta, nō committitur contra ius Diuinum, nec contra ius naturale; atque ideo ex contrauentione illius quoad pœnam inferendam, arbitror Decretalem ipsam per non vsum abrogari posse, & per contrariam legem Ecclesiasticam tolli: & sic quamuis obligaret quoad culpam; nihilominus non obligaret quoad pœnam, vt in simili quoad pœnam Magistratuum non compellentium Iudæos restituere vsuras Christianis, docet Salon. 2. 2. q. 78. ar. 3. contr. 9. num. 7. & nos diximus in d. Commentar. in Bull. Cœnæ Domini, q. 7. num. 63. & 64. c. 4.

Adde, quòd in d. nostra Decretali non-
17 nulla prohibentur, quæ non sunt contra iustitiam cābij, atque ideò non sunt nec cōtra ius naturale, nec Diuinum; sed inhibentur ad tollendas occasiones peccandi, fraudesque fœneratorū; nempe vt non fiat pactum de determinato interesse, vt in §. 2. eiusdem Decretalis, & super hoc potest fieri dispensatio expressa, vel tacita, iuxta ea, quæ adnotauimus in nostris Comment. in Extrauag. Pij V. de censib. in proœm. q. 3. num. 64.

An hæc Decretalis alliget Christianos cābia sicca exercentes cum Infidelibus. Q. III.

SVMMARIVM.

1 *Infideles sunt in triplici differentia.*

2 *Vis*

2 *Vis directiua qualiter differat à coactiua, declaratur.*

3 *Cambia ficca non possunt fideles cum Infidelibus exercere, qui nec de facto, nec de iure Christianis Principibus subduntur.*

4 *Christiani cum Infidelibus cambia ficca exercentes licèt peccent; non tamen subijciuntur censuris contra vsurarios latis.*

5 *Christiani cambia ficca exercentes cum Infidelibus Christianis Principibus subiectis, quomodo vi nostra Extrauag. alligentur, declaratur.*

6 *Infideles Christianis Principibus subiecti, eorum legibus non obtemperantes licèt censuribus ecclesiasticis non alligentur, possunt tamen puniri pœnis corporalibus, vel pecuniarijs.*

7 *Christiani vsuras exercentes cum Turcis, & alijs Christiani nominis inimicis, qui Christianorum bona iniustè detinent, non alligantur vi nostra Extrauag.*

8 *Vsuras exigere ab eis valemus, quos possumus bello impetere.*

1 DEterminatio quæstionis huius pendet ex ijs, quæ diffusè adnotauimus in nostris Commentar. in Extrauag. Pij V. de censib. in proœm. q. 4. dum disputauimus, an d. extrauag. obliget Christianos contractus censuales cum Infidelibus exercentes, ad seruandam cum eis formam, in censibus creandis ab ea præscriptam. Vndè vt ibi adnotauimus, est obseruandum, quòd Infideles sunt in triplici differentia. Etenim quidam Christianis Principibus non subduntur nec de iure, nec de facto, vt sunt Indi, & Pagani: quidam verò subduntur Principibus Christianis de iure; non tamen de facto, vt sunt Turcæ, & alij Christiani nominis inimici, ac hæretici, qui Christianorum Terras occupant, & iniustè detinent: quidam Infideles sunt, qui subduntur Principibus Christianis de iure, & de facto, vt sunt Iudæi in Italia, & alij in Christianorum terris commorantes, vt post alios inquit Bonac. de Restit. disp. 2. q. vlt. sec. 1. pun. vlt. §. 2. sub num. 12. Sunt denique quidam alij Infideles, qui licèt Regna nostra possideãt; habent tamen verum ius, & dominium in sua priuata bona.

Secundò est adnot. quòd dũ quærimus, 2 an hæc cõstitutio alliget Christianos cambia ficca celebrantes cum Infidelibus, ipsa quæstio potest intelligi dupliciter. Primò quoad vim directiuã; quatenus scilicet rectæ rationi conueniat, cambia ficca non exerceri, etiam cum Infidelibus. Secundò quoad vim coactiuam, nempe, quòd Christianis vi dictæ Decretalis prohibeatur cãbia ficca exercere, etiam cum Infidelibus, sub pœnis temporalibus, & spiritualibus ab ea statutis. His breuiter sic adnotatis, sit.

Prima Conclusio.

3 NOn est licitum Christianis cum Infidelibus cambia ficca exercere, qui nec de facto, nec de iure subduntur Principibus Christianis, vt sunt Indi, & Pagani, qui nunquam subiecti fuerunt Romano Imperio: & qui non occupant, nec occupare curant Christianorum bona: neque contra Christianos Religionis odio pugnant; sed ideo pugnant, quia iniustè à Christianis eorum bona existimant occupari. Probatur, quoniam ab huiusmodi Infidelibus Christiani non possunt vsuras exigere: ergò non valent cum eisdem cambia ficca exercere, cùm cãbia ficca sint vsuraria. Quòd Christiani à supradictis Infidelibus vsuras exigere non possint, latè probauimus in nostris Commentar. in Extrauag Pij V. de censib. in proœm. d. q. 4. concl. 1. num. 33.

4 Est tamen verum, quòd licèt Christiani peccent cum prædictis Infidelibus cambia ficca exercentes, & ratione scandali posset extraordinariè puniri à Romano Pontifice; non tamen arbitror eos subijci pœnis, ac censuris contra vsurarios in iure latis, iuxta ea, quæ adnotauimus d. q. 4. concl. 1. num. 46. & 47. cuius conclusionis ampliationes, ac limitationes possunt quoque applicari præsenti conclusioni.

Secunda Conclusio.

5 DEcretalis nostra alligat Christianos cambia ficca exercentes cum Infidelibus, Christianis Principibus subiectis, & cum eis pacẽ habentibus nõ modo quoad vim directiuam, sed etiam quoad vim coactiuam. Etenim recta ratio suadet, ne vsu-

vſuræ, nec cum Infidelibus quidem exerceantur, cùm vſura ſit contra ius naturale. Et Infideles prædicti licèt cenſuris Eccleſiaſticis puniri non valeant; poſſunt tamen puniri pœna pecuniaria, ac etiam corpora-
6 li, Principum Chriſtianorum legibus non obtemperantes: & propterea Chriſtiani excuſantur eo caſu à cenſuris Eccleſiaſticis; non tamen à pœnis temporalibus etiam in Terris, in quibus nec prædictis Infidelibus tolerantur vſuræ, vt in Regno noſtro Neapolitano, & in nonnullis alijs locis, vt patet ex ijs, quæ adnotauimus d.q.4. concluſ.2. per totam.

Tertia Concluſio.

Licitum eſt Chriſtianis cambia ſicca
7 exercere cum Turcis, & alijs Chriſtiani nominis inimicis, & hoſtibus, qui Chriſtianorum Terras occuparunt, & iniuſtè detinent, ac qui in bello iniuſto, aut extra bellum nocuerunt, atque ideo noſtra Extrau 'g. non alligat Chriſtianos, cum huiuſmodi Infidelibus prædicta cambia exercentes. Probatur, quoniam hos Infideles poſſumus bello impetere, publica acceden-
8 te auctoritate, ac bonis ſpoliare: ergo poſſumus ab eiſdem vſuras exigere, & ſic cum eis cambia ſicca celebrare: ſiquidem ab illis poſſumus vſuras exigere, quos poſſumus bello impetere, vt habetur ex D. Ambr. in c.fin. 14.q.4. Confirmatur hæc eadem concluſio, & extenditur, iuxta ea, quæ diximus d.q.4. concl.4.

An Romanus Pontifex, & alij Principes in proprijs eorum Terris poſſint permittere cambia ſicca ab Infidelibus cum fidelibus exerceri. Q. IV.

SVMMARIVM.

1 *Cambia ſicca non ſolùm à Principibus, ſed nec quidem à Romano Pontifice concedi poſſunt Infidelibus, vt in eorum Terris licitè exerceant cum Fidelibus.*
2 *Contractus iniuſti quamuis vſurarij non ſint; non tamen à Principibus, nec à Rom. Pontifice concedi poſſunt, vt licitè exerceantur.*
3 *Contractus iniuſti, & vſurarij quibus caſibus tolerari poſſint Infidelibus cum Fidelibus exerceri.*
4 *Iudæis Romæ cur vſuræ tolerentur.*
5 *Vſuræ non poſſunt tolerari pro quocunque lucro temporali captando, aut temporali malo vitando.*

Pro determinatione huius difficultatis
1 ſunt vidēda, quæ cumulauimus in noſtris Commentar. in Extrauag. Pij V. de cenſib. q.5. in prooem. in qua fuit quæſitum, an Rom. Pontifex, & alij Principes in proprijs eorum Terris poſſint permittere cenſus vſurarios, & alios contractus iniuſtos ab Infidelibus cum Fidelibus exerceri: & partem negatiuam concluſimus eſſe veram: quia lucrū ex huiuſmodi contractibus cùm ſit vſurarium, & ſuper vſuram nulla cadat diſpenſatio, vt in c. ſuper eo, de vſur. conſequenter fit, non modo Principes ſæculares in eorum Terris, ſed nec quidem Romanum Pontificem poſſe concedere Infidelibus, vt cenſus vſurarios, cambia ſicca, & alios ſimiles contractus celebrent; atque ideo quoad eos ſuper Extrauag. noſtram diſpenſare.

Imò hanc cōcluſionem ampliamus non
2 ſolùm veram eſſe quoad cambia ſicca, & alios contractus vſurarios; ſed etiam quoad contractus, qui tantùm iniuſti ſunt, non tamen vſurarij, vt ſunt contractus cenſuales celebrari contra ea, quæ per d. Extrauag. de cenſib. ſtatuta fuerunt, concernentia iuſtitiam, ſeu iniuſtitiam contractus. Etenim tàm contractus iniuſti, quàm vſurarij ſunt intrinſecè mali, vt in d.q.5. num.4. probauimus; vbi etiam num.5. & 6. concluſionem ipſam duobus modis ampliauimus.

Eſt tamen verum, quòd contractus vſu-
3 rarij, & alij iniuſti poſſunt per modum ſimplicis tolerantiæ permitti Infidelibus exerceri cum Fidelibus ad euitandum maius malum ſpirituale: vel ad conſequendum bonum aliquod ſpirituale maius, quàm ſit bonum illud ſpirituale, quod per lucrum vſurarium, ſeu iniuſtum, ex dictis contractibus proueniens, aufertur: dummodo illud ſpirituale bonum ſit debitum, ſeu præceptum, vt obtineatur, nec aliàs obtineri poſ-

ſit.

sit. Quocircà si ex tolerantia cambiorum siccorum,& aliorum contractuum,qui iniusti sint,&vsurarij,Iudęis,& alijs Infidelibus, sequeretur eorum conuersio ad fidem, talis tolerantia licita esset,arg. tex.in cap.si quis sincera, 45.d. Ob id Romæ, & in alijs locis
4 tolerantur Iudæi sub vsuris fœnerari Christianis: siquidem per huiusmodi tolerātiam vitantur maiora mala spiritualia,nempe furta,rapinæ,mutuationes vsurarię inter Christianos, &c. Et consequitur maius bonum spirituale, quàm est illud, quod per vsuram aufertur, nempe eorum cōuersio ad fidem, vt experientia docet. Non tamen huiusmodi Infidelibus tolerari posset vsurarū exercitium propter quodcunque bonum tem-
5 porale adipiscendum, vel ad quodcunque malum temporale vitandū. Imò nec Principes temporales supradicto modo possunt Iudæis, & alijs Infidelibus tolerare vsuras cum Christianis citra Romani Pontificis licentiam:etenim iustam tolerandi causam, cùm debeat esse spiritualis, ad ipsum Rom. Pontificem pertinet iudicare, vt rectè probat Mart.de iurisd.p.4.cap.13. & fusius de hac re diximus in dictis nostris Comment. in Extrauag. Pij V. de censib. q.5. num. 8. & 9. in procem.

De causis, quæ in hac Extrauag. considerantur. Q. V.

SVMMARIVM.

1 *Causæ quatuor considerantur in editione huius nostræ Decretalis Extrauag.*
2 *Causa efficiens prima, vniuersalis, totalis, &c. nostræ Extrauag. est D.O.Max.*
3 *Deus licèt secundum quid dicatur causa mediata præsentis Decretalis; est tamen simpliciter causa immediata.*
4 *Causa efficiens secunda, particularis, &c. huius Decretalis est Rom. Pontifex.*
5 *Causa materialis eiusdem Decretalis, sunt cābia sicca vt detestanda.*
6 *Causa formalis ipsius Decretalis dicitur ea, per quam fuit producta in suo esse.*
7 *Causa finalis præsentis Decretalis est triplex.*

1 QVoad hanc rem non est nobis multum elaborandum. Ex ijs enim, quæ in Commentar.Bull.Cœnæ lib.1.cap.1. q.1. cum plur.seq.tractauimus,facilè colligi potest cognitio causarum ad editionem Extrauag. huius concurrentium. Etenim cùm ipsa sit constitutio,seu Lex Ecclesiastica, vt supra probauimus, q.1.easdem causas; efficientem scilicèt,materialem, formalem, & finalem,quæ ad leges ferendas expostulantur, ad Decretalem istam Extrauag. edendam concurrere satis constat.

Et quidē causa efficiens Extrauag.huius
2 prima,vniuersalis, moralis, non imputatiua tantùm, & pura moralis; sed physica tanquam liberè efficiens, & totalis est Deus O. M. Est enim Deus causa prima, & vniuersalis nostræ Extrauag. quoniam Deus est omnium principium, & finis, iuxta illud Apocal.cap.1.& eiusdem Ioan.cap.8. Dicitur eiusdem Extrauag. causa moralis, non imputatiua, & pura moralis; sed physica tāquam liberè efficiens: siquidem Deus per se illam liberè edidit, & physicè ad ipsius editionem influxum præbuit. Estque causa eiusdem immediata; quoniam Deus per suam immensitatem necessariò est vbique præsens, & proinde immediatè concurrit, & immediatè influit in omnem operationem, non solùm immediatè immediatione virtutis; verùm etiam immediatè immediatione suppositi, vt rectè probat Suarez in Met.disp.22.sec.1.num.6. contra Ferrar.3. contra Gent.cap.70. Et quamuis Deus se-
3 cūdum quid mediata causa nuncupari possit, quatenus causæ secundæ proximè agēri dat, & conseruat virtutem agendi; dicitur tamen simpliciter causa immediata: quoniā inter Deum,& effectum non mediat secunda causa, cùm Deus per se, & virtute sua operetur cum causa secunda, & in effectum influat,& causas secundas moueat, easdemque ad agendum applicet; non sicut Artifex instrumentum, qui nullam instrumento virtutem imprimit præter motionem: nam causæ secundæ nō se habent vt instrumenta,quæ immora nihil operantur; sed eo ipso quòd fuerunt à Summo Artifice producta, vires, ac facultates suæ naturæ accommodatas acceperunt, quibus possent,non quibus agerēt sine Deo:qua propter dum operantur,non operantur,nisi,Deo volente,ac decernente, vt operētur; estò quòd nullam vir-

tutem denuò recipiant, qua possint operari. Dicitur tandem Deus causa totalis nostræ Extrauag. quia cùm sit causa vniuersalis, & prima totus effectus ab ea pendet; sicut totus effectus à causa secunda, ac particulari; in diuerso tamen genere causæ.

4 Est autẽ causa efficiẽs secũda, particularis, moralis Extrauag. huius Sãctissimus, ac optimus Pontifex Pius Papa V. vt patet ex ipsius procemij titulo, qui inscribitur, *Pius Episcopus, seruus, &c.* Ideò enim dicitur causa secunda, & particularis; quia cùm sit Dei creatura, virtute diffusa à Deo finita, ac limitata sicut operatur, ita eadem vi prædictam Extrauag. & alias constitutiones, ac leges edidit, ac promulgauit: & id vi summæ potestatis legislatiuæ, & iurisdictionis coerciuæ, quam Romanus Pontifex supra omnes alios habet: quia cùm sit Dei Vicarius in terris, fons, & origo totius iurisdictionis appellatur, vt est tex. in Extrauagant. vnam sanctam, de maior. & obed. quam latè explicat Mart. de iurisd. par. 1. cap. 9. cum plur. seq. Et ideò non solùm canonicas, sed etiam ciuiles, & politicas potest condere leges per totum Terrarum Orbem, etiam in Terris, quæ non sunt de patrimonio Ecclesiæ ad finem saltem spiritualem, vt habetur ex Ioan. de Salas, de legib. disp. 7. sec. 5. & 6. & Suarez eodem tractatu lib. 4. capit. 6.

5 Causa verò materialis, seu materia circa quam nostræ Extrauagant. sunt cambia sicca, & illicita; non vt facienda, cùm sint intrinsecè, & ex obiecto mala, vt supra ostendimus, q. præced. sed vt detestanda, reprobanda, ac punienda. Sic stuppa dicitur materia circa quam, ignis: eo quòd ignis versatur circa illam ad eandem comburendam, ac destruendam, non autem conseruandam: & peccata appellantur materia, circa quam pœnitentiæ, & censurarum, ad illud reprobandum, ac destruendum, vt diffusè de hac re tractauimus in Commentrijs nostris in Bull. Cœnæ Domini lib. 1. cap. 1. q. 3.

6 Formalis causa nostræ Extrauagant. est, secundum quam ipsa Extrauagant. constituitur in suo esse; cùm forma in naturalibus, 2. phys. cap. 81. dicatur illa, quæ dat esse rei. Fuit autem constituta in suo esse primò per Pij V. Pontificis Maximi voluntatem, qui illã edidit: nam cùm Extrauag. ipsa sit actus moralis, actus morales in tantùm dicuntur tales, & humani, in quantum pendent à voluntate hominis: quòd si ab eius voluntate non pendeant, sunt quidem actus hominis, sicut dormientis percussio; non autem appellantur morales, vt habetur ex D. Thom. 1. 2. quæst. 1. attic. 1. Secundò Extrauagant. ipsa fuit constituta in suo esse per promulgationem: nam leges constituuntur cùm promulgantur, vt in cap. 3. S. leges, 4. d.

7 Finalis denique causa eiusdem Extrauagant. est duplex. Prima dicitur animarum salus: fuit enim edita dicta decretalis Extrauagant. ad adhibenda opportuna remedia pro animarum salute, vt patet ex illis procemij verbis, *Vt Domini nostri omnibus opportuna pro animarum salute remedia adhibere minimè differamus*. Secunda, ne dolosis sua fraus suffragetur, cambia sicca exercentibus: & ne ignaros perdat inscitia, ob illa verba, *Ne dolosis, &c.* His breuiter sic prælibatis, deuenio ad singularum ipsius Extrauag. procemij particularum declarationem.

Ibi, *Pius Episcopus seruus seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.* Quid nam denotent prædicta verba. Q. VI.

SVMMARIVM.

1 *Nomen Romanus Pontifex cur sibi mutet post eiusdem electionem, ratio redditur.*

2 *Nominis mutatio per Rom. Pontificem non est de iure Diuino: & ideo si illud sibi non mutet, non peccat.*

3 *Nomen Romani Pontificis ab ipso Pontifice, & non ab alio mutari potest.*

4 *Rom. Pontifex cur Episcopum se nominet, ratio assignatur.*

5 *Episcopus negligens in pascendo Dominico*

grege canis dicitur impudicus.

6 *Episcopum non intelligat se esse, qui praesse dilexerint, & non prodesse.*

7 *Episcopatu non datur maior dignitas: qua propter antiquitus Episcopus postulabatur ad Cardinalatum; cùm diceretur descendere.*

8 *Episcopatus dignitas, seu ordo non est humanum inuentum: & propterea Episcopi adeò sunt Presbyteris maiores, vt id negantes tanquam hæretici damnentur.*

9 *Episcopus qualis debeat esse ostenditur.*

10 *Episcopum cùm oporteat sobrium esse, eius mensa debet esse moderata, ac Diuinarum Scripturarum lectione condita.*

11 *Episcopi non solùm vti debent modesta supellectili, ac frugali mensa; sed etiam in reliquo vitæ genere ipsi, eorumdemque familiares cauere debent, ne quid appareat, quod à sancto hoc instituto sit alienum.*

12 *Episcopi non debent Ecclesiarum redditus consanguineis elargiri, cùm eorum affectus multorum malorum in Ecclesia seminarium extiterit; sed si pauperes sint, ijs, vt pauperibus distribuant.*

13 *Cardinales debent affectus erga suos deponere, frugali mensa vti, modestos, ac bonos familiares apud se habere, & reliqua seruare, ad quæ tenentur Episcopi.*

14 *Episcopi onus Angelicis humeris est formidandum.*

15 *Episcopi promouendi conditiones quales esse debeant, ostenditur.*

16 *Residentia Episcopis omnino præcipitur.*

17 *Episcopi non sunt promouendi, nisi sint legitimo matrimonio nati, ætate matura, ac morum grauitate.*

18 *Episcopus non ordinatur, nisi sit Doctor, aut Licentiatus in Theologia, vel in iure Canonico.*

19 *Seruum seruorum Dei cur Rom. Pontifex se nominet ratio redditur.*

20 *Scriptura licèt non sit de essentia legis; modus tamen ferendi leges in scriptis, est omnium optimus.*

1 CAusam quare electus in Summum Pontificem nomen sibi mutet, assignauimus in nostris Commentarijs in Bull. Cœnæ Domini, lib. 1. cap. 4. q. 5. Id enim idcircò seruatur; quia per mutationem nominis ostenditur factam fuisse mutationem hominis. Nam cum Romanus Pontifex antequam in Papam eligeretur, esset purus homo, post electionem vicem veri Dei dicitur gerere in Terris, cap. vt nost[illegible], vt Eccles. benef. Sic Apostolorum Princeps vbi à Domino fuit Pontifex creatus nomen illi Dominus ipse mutauit: nam dum prius vocaretur Simon, Petrū postea illum appellauit, Matt. cap. 16. dicens, *Beatus es Simon Bariona, &c.*

2 Non tamen ex hoc infertur, mutationem nominis Romani Pontificis esse iure Diuino præceptam; sed ideò Dominus Apostolorum Principi nomen mutauit; quoniam [illegible]ficaturus Ecclesiam lapidibus viuis, qui sunt omnes Christi fideles, cùm Simonem vniuersalis Ecclesiæ Principem, ac Pastorem constituisset, voluit, vt non Simon, sed Petrus appellaretur, ad hoc, vt instar firmæ petræ super ipsum Petrum ædificaret Ecclesiam suam: & propterea si Romanus Pontifex nomen sibi non mutaret, non per hoc culpam aliquam contraheret, vt d. quæst. 5. Commentar. in Bull. Cœnæ probauimus. Est tamen verum, quòd Apostolorum Principi no-
3 men licèt Dominus mutauerit; non tamen hodie Romanus Pontifex pati debet, nomen sibi ab alio mutari; sed id debet per se ipsum exequi, ne videatur superiorem aliquem sibi constituere, cùm mutari nomen per superiorem inferiori soleat, vt notat Philip. Franc. in proœm. 6. Decret.

Appellat se Romanus Pontifex *Episco-*
4 *pum*. quia non in partem solicitudinis, sed in totam vocatus est. Etenim Episcopus idem denotat, quod speculator, & super intendens, c. cleros, 21. d. quocircà si negli-
5 gēs sit in pascendis Domini ouibus, peccat mortaliter, & canis dicitur impudicus, cap. qui nec, 2. quæst. 7. Et quamuis locus superior ab eo, vt decet, teneatur; nihilomi-
6 nus non intelligat Episcopum esse, si præesse dilexerit, non prodesse, cap. qui Episcopatum, 8. quæst. 1. Item vocat se Episcopum à supremo ordinis gradu, qualis est Episcopatus, iuxta Glos. & aliorum Canonist. sententiam, in proœmio 6. Decret. in

ver-

ver. Episcopus. Episcopum se quoque nominat, quoniam Episcopatus est digni-
7 tatis culmen, vt habetur per Glos. in cap. 2. de præb. in 6. & in cap. quam periculum, de sentent. excommun. eod. lib. Non enim datur maior Episcopatus culmine dignitas. Imò de iure antiquo Episcopus debebat ad Cardinalatum postulari; quia dicebatur descendere, & non ascendere. Etenim Episcopis solis data erat etiam loci prærogatiua anterior. Vndè vsque ad Bonifac. VIII. tempora, Episcopi immediatè post Papam subscribebant, deinde Presbyteri, postea Diaconi Cardinales. Hodie verò quoniam ad Cardinales dumtaxat pertinet Romani Pontificis electio, reputantur Cardinales Episcopis digniores, vt habetur ex Gomes. in procem. Regal. Cancell. quæst. 1. num. 17. in Regul. de valor. exprim. in impetrat. benef. quæst. 1. num. 6. & nos latius de hac re tractauimus in Commentar. Bull. Cœn. lib. 1. cap. 5. quæst. 2.

Denique Roman. Pontifex Episcopum
8 se appellat, vt ostenderet contra nonnullos hæreticos se esse verè, & propriè Episcopum, & Episcopatum esse ordinem distinctum à Presbyteratu, & non figmentum, vt hæretici falsò opinabantur; sed Episcopos Presbyteris esse superiores, vt per Concil. Trident. sess. 23. de sacrament. ordin. can. 7. & 8. Fuit definitum, his verbis, *Si quis dixerit, Episcopos non esse Presbyteris superiores, vel non habere potestatem confirmandi, & ordinandi: vel illam, quam habent, illis esse cum Presbyteris communem: vel ordines ab ipsis collatos sine populi, vel potestatis, sæcularis consensu, aut vocatione irritos esse: aut eos, qui nec ab Ecclesiastica, & Canonica potestate ritè ordinati, nec missi sunt, sed aliunde veniunt, legitimos esse verbi, & Sacramentorum Ministros, anathema sit.* Et in can. 8. *Si quis dixerit, Episcopos, qui auctoritate Romani Pontificis assumuntur, non esse legitimos, & veros Episcopos, sed figmentum humanum, anathema sit.*

Qualem autem oporteat Episcopum es-
9 se, ex Apostoli Epistola ad Timoth. cap. 1. sufficienter constat, his verbis, *Si quis Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat; oportet ergò Episcopum irreprehensibilem esse, sobrium, prudentem, ornatum, pudicum, hospitalem, doctorem, non vinolentum, non percussorem, sed modestũ: nõ litigiosum, nõ cupidũ; sed suæ domui bene præpositũ: non neophytum, ne in superbiam elatus in iudicium incidat diaboli. Oportet autem illum, & testimonium habere bonum ab his, qui foris sunt, vt non in opprobrium incidat, & in laqueum diaboli.* Ex eodem Apostolo ad Tit. cap. 1. similiter sic habetur, *Oportet enim Episcopum sine crimine esse, sicut Dei dispensatorem, non superbum, non iracundum, non vinolentum, non percussorem, non turpis lucri cupidum; sed hospitalem, benignum, sobrium, iustum, sanctum, continentem, amplectentem, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem, vt potens sit exhortari in doctrina sana, & eos, qui contradicunt, arguere.*

Et cum Paulus Apostolus, Episcopos
10 oportere esse irreprehensibiles, sobrios, castos, domui suæ benè præpositos, vt supra doceat; ob id Concil. Trident. sess. 2. in Decreto de modo viuendi, & alijs in Concilio seruandis, Episcopos ita hortatur, *Vt ante omnia quilibet in mensa seruet sobrietatem, moderationem ciborum: deinde cùm in eo loco sæpe otiosi sermones oriri soleant, vt in ipsorum Episcoporum mensis Diuinarum Scripturarum lectio admisceatur. Familiares verò suos vnusquisque instruat, & erudiat, ne sint rixosi, vinosi, impudici, cupidi, elati, blasphemi, & voluptatum amatores: vitia demum fugiant, & virtutes amplectantur, & in vestitu, & cultu, & omnibus actionibus honestatem præseferant, sicut decet Ministros Ministrorum Dei.*

Hoc idem Concil. sess. 25. cap. 1. de re-
11 form. quoad Episcopos pariter statuit, his verbis, *Optandum est, vt ij, qui Episcopale ministerium suscipiunt, quæ sua sint partes agnoscant: ac se non ad propria commoda, non ad diuitias, aut luxum; sed ad labores, ac solicitudines pro Dei gloria vocatos esse intelligant. Nec enim dubitandum est, & fideles reliquos ad Religionem, innocentiamque facilius inflammandos, si Præpositos suos viderint non ea, quæ mundi sunt, sed animarum salutem, ac cælestem Patriam cogitantes. Hæc cùm ad*

restituendam Ecclesiasticam disciplinam
præcipua esse Sancta Synodus animaduer-
tat, admonet Episcopos omnes, vt secum
ea sæpe meditantes factis etiam ipsis, ac
vitæ actionibus quod est perpetuum quodam-
modo prædicandi genus, se muneri suo con-
formes ostendant. Imprimis verò ita mores
suos componant, vt reliqui ab eis puritatis,
modestiæ, continentiæ, quæ nos tantopere com-
mendat Deo sanctæ humilitatis exempla pe-
tere possint. Quapropter exemplo Patrum
nostrorum in Concil. Cartagin. non solùm
iubet, vt Episcopi modesta supellectili, &
mensa, ac frugali victu contenti sint; verum
etiam in reliquo vitæ genere, ac tota eius do-
mo caueant, ne quid appareat, quod à Sancto
hoc instituto sit alienum; quodque non simpli-
citatem, Dei zelum, ac vanitatum cõtemptum
præseferat.

Et cum idem Concilium Episcopos mo-
12 neat, vt intelligant non ad diuitias, & lu-
xum esse electos, sed ad labores, ac solicitu-
dines pro Dei gloria vocatos, per diuitias
intelligit non tantum proprias, ac sibi ap-
plicandas; sed etiam consanguineorum, ac
familiarum: id extendens ibidem etiam ad
S. R. E. Cardinales, & ad alios Ecclesiæ
beneficiatos per hæc formalia verba, *Om-*
ninò verò eis interdicit, vt ex reditibus Ec-
clesiæ consanguineos, familiaresue suos au-
gere studeant: cùm & Apostolorum canones
prohibeant, ne res Ecclesiasticas, quæ Dei
sunt, consanguineis donent; sed si pauperes
sint, ijs vt pauperibus distribuant: eas au-
tem non distrahant, nec dissipent illorum cau-
sa: imò quàm maximè potest, eos Sancta Sy-
nodus monet, vt omnem humanum hunc er-
ga fratres, nepotes, propinquosque carnis
affectum, vndè multorum malorum in Ec-
clesia seminarium extat, penitus deponant.
Quæ verò de Episcopis dicta sunt, eadem
non solùm in quibuscunque Ecclesiastica
beneficia, tàm secularia, quàm regularia ob-
tinentibus, pro gradus sui conditione obser-
uari; sed ad S. R. E. Cardinales pertinere
decernit, quorum consilio apud Sanctissimum
13 *Romanum Pontificem, cùm vniuersalis Ec-*
clesiæ administratio nitatur, nefas videri po-
test, non ijs etiam virtutum insignibus, at
viuendi disciplina eos fulgere, quæ meritò
omnium in se oculos conuertant.

Et Episcopi onus cum Angelicis hume-
14 ris sit formidandum, iuxta illud Concil.
prædicti, sess. 6. cap. 1. de reform. & Apost.
ad Timoth. cap. 1. Qui Episcopatum desi-
derat, bonum opus desiderat, idem Concil.
ibidem, eos in Episcopos promouendos
statuit, quorum prior vita, ac omnis ætas
15 puerilibus exordijs vsque ad perfectiores
annos per disciplinæ Ecclesiasticæ lauda-
biliter acta testimonium præbeat: eosdem-
que promotos sub canonicis pœnis ad re-
sidentiam compellit, ita statuens, *Om-*
nes Patriarchalibus, Primatialibus, Metro-
politanis, & Cathedralibus Ecclesijs qui-
buscunque, quouis nomine, ac titulo præfe-
ctos monet, ac monitos esse vult, vt atten-
dentes sibi, & vniuerso gregi, in quos Spi-
ritus Sanctus posuit eos regere Ecclesiam
Dei, quam acquisiuit sanguine suo, vigilent
sicut Apostolus præcipit, in omnibus laborent,
& ministerium suum impleant: implere
autem illud, se nequaquam posse sciant, si
greges sibi commissos mercenariorum more
deserant, atque ouium suarum, quarum
sanguis de eorum est manibus à supremo Iu-
dice requirendus, custodiæ minimè incum-
bant: cùm certissimum sit, non admitti Pasto-
ris excusationem, si Lupus oues comedit, &
Pastor nescit. At nihilominus, quia non-
nulli (quod vehementer dolendum est) hoc
tempore reperiuntur, qui propriæ etiam sa-
lutis immemores, terrenaque cælestibus, ac
Diuinis humana præferentes, in diuersis Cu-
rijs vagantur, aut in negotiorum tempora-
lium solicitudine, ouile derelicto, atque ouium
sibi commissarum cura neglecta, se detinent
occupatos, & placuit Sacrosanctæ Synodo
antiquos Canones, qui temporum, atque ho-
minum iniuria penè in desuetudinem abie-
16 *runt, aduersus non residentes promulgatos*
innouare, quemadmodum virtute præsen-
tis decreti innouat, ac vlterius pro firmiori
eorundem residentia, & reformandis in Eccle-
siæ moribus in hanc, qui sequitur modum sta-
tuere, ac sancire, &c.

Verum quia defectus natalium, ætatis,
17 ac scientiæ Episcopalem dignitatem, qua
non datur maior, valdè obnubilat; idcircò
idem Concil. Trid. sess. 7. cap. 1. de reform.
statuit, vt ad Ecclesiarũ Cathedralium re-
gimen nullus, nisi ex legitimo matrimonio
natus,

natus, & ætate matura, grauitate morum,
litterarumque scientia, iuxta Constitutio-
nem Alex. III. præditus assumatur. Idem
fuit definitum in eodem Concil. sess. 22.
cap. 2. de reform. & insuper, vt in Episco-
pum promouendus in sacro ordine antea,
18 saltem sex mensium spatio sit constitutus:
& antea in vniuersitate studiorum Magi-
ster, siue Doctor, aut licentiatus in sacra
Theologia, vel iure Canonico meritò sit
promotus, aut publico alicuius Academiæ
testimonio idoneus ad alios docendos o-
stendatur. Quòd si Religiosus fuerit à Su-
perioribus suæ Religionis similem fidem
habeat. Non nulla alia satis vtilia circa Epi-
scoporum electionem constituta fuere in
ipso Conc. sess. 24. cap. 1. de reform.

Item appellat se Rom. Pontifex, *Seruum*
19 *seruorum Dei*, primò, quia sicut per seruum
acquiritur Domino, ita quoque per Roman.
Pontificem cuilibet Ecclesiæ acquiri po-
test, vt in cap. cùm instantia, de censib. Sic
Imperator seipsum appellat seruum, vt in l.
1. C. de offic. Præfect. prætor. Africæ, cùm
per Imperatorem hominibus acquiratur, §.
illud quoque, in auth. const. quæ de dignit.
Secundò se nominat seruum seruorum Dei,
idest Apostol. Petri, & Pauli, vt per Glos. &
Archid in procem. 6. Decret. Tertiò dicitur
seruus seruorum Dei; quia ijs non seruit,
qui Deo non seruiunt, cap. officio, de offic.
legat. in 6. Quartò dicit se seruum, &c. vt
ostendat se cupiditates habere sedatas se-
cundum Archid. loco citato. Quintò, &
vltimò nominat se seruum, &c. ex humilita-
te iuxta Domini præceptum, dicentis, *Qui
maior est vestrum fiat, sicut minister vester*:
vt latè hæc omnia declarauimus in nostris
Commentar. in Bull. Cœnæ, lib. 1. cap. 5.
q. 3.

Illa denique verba, *Ad perpetuam rei me-*
20 *moriam*, quæ in ipso procem. habentur, vt
loco citato dictorum Commentar. adnota-
uimus, denotant, quòd licèt scriptura non
sit de essentia legis, cùm præceptum suffi-
cienter possit verbo publicè promulgari, vt
latè habetur per Panorm. & alijs in rub. de
constit. nihilominus dum lex in scriptis re-
digitur, id fieri contingit ad perpetuam rei
memoriam. Et re vera talis modus ferendi
leges est omnium optimus, & legum stabili-
tati satis accommodus. Hinc ad tollen-
dam ambiguitatem, & obscuritatem statuta
inferiorum à Summo Pontifice non pos-
sunt aliter ferri, quàm in scriptis, vt probat
Suar. lib. 4. de legib. cap. 14. sub num. 2. in
fin. Sic etiam quamuis scriptura non sit de
essentia priuilegiorum, & gratiæ, ea tamen
est de substantia probationis: quod quomo-
do procedat, latè explicauimus, d. q. 4.

Ibi, *In eam pro nostro pastorali Officio*. Cur Romanus Pontifex, pastoris Officio dicatur fungi, & non potius Imperatoris, aut Regis. Q. VII.

S V M M A R I V M.

1 *Pastoris officio, & non potius Imperatoris, at Regis cur Rom. Pontifex fungi dicatur, ratio redditur.*

2 *Episcopi licèt pastoris officio fungi dicantur; eorum tamen potestatem dependenter habent à S. Pontifice.*

3 *Episcopos oportet esse pastores; non autem percussores: & propterea benignitate potius quàm seueritate vti debent erga subditos.*

4 *Pastorem suum Vicarium cur appellari voluit Dominus, ratio assignatur.*

5 *Pastor bonus sicut animam suam ponit pro ouibus suis, ita Episcopi, & alij Prælati mortem subire debent pro animarum salute, quas ipsis commisit Dominus.*

6 *Pastoris boni, & mercenarij, cuius non sunt oues conditiones enumerantur.*

7 *Prælati pauci, qui vtiliter; pauciores, qui humiliter præsunt.*

Respondetur, quòd dum Summus Pō-
1 tifex pastorali fungitur officio, dici-
tur etiam fungi Regis, ac Imperatoris mu-
nere. Etenim, pascere apud Hebræos, idem
est, quòd regere: & Reges apud eos pasto-
res appellabantur. Hinc Ps. 2. vbi nos legi-
mus, *Reges eos in virga ferrea*, Hebraicè le-
gitur, *Pasces eos in virga ferrea*, & Ps. 22. vbi
latinè legitur, *Dominus regit me, &c.* He-
braicè dicitur, *Dominus pascit me*. Sic Deus,

& Dominus noster Iesus Christus Petrum Apostolũ, Pontificem, Regẽ, ac Principem omnium Apostolorum, & totius Ecclesiæ constituens Ioan. cap. 21. eidem tanquam Pastori, vt oues pascat, præcepit, dicens, *Pasce oues meas*. Quibus verbis censetur Dominus suo Vicario concessisse omnem potestatem sufficientem ad Ecclesiam gubernandam; atque ideò potestatem non solùm ordinis; sed etiam iurisdictionis; quia cui conceditur iurisdictio, concessa censentur omnia, sine quibus iurisdictio exerceri non potest, vt est tex. in l. 2. de iurisd. omn. iudic. At hæc duplex potestas necessaria est ad Pastorale manus subeundum, & ad Dei Ecclesiam gubernandam, vt contra hæreticos rectè probat Belarm. lib. 1. de Rom. Pontif. cap. 15. & nos paucis declarauimus in nostris Commentar. in Bull. Cœn. Domini lib. 2. c. 1. q. 3. vbi iurisdictionis potestatem diuisimus in internam, & externam, ita vt prior ordinetur ad forũ sacramentale, & internum animæ bonum: & posterior ad gubernandam Ecclesiam in Ciuili, & exteriori foro; ad quam pertinet vis, atque potestas, tùm directiua ad ferendas leges, tùm etiam coerciua, respiciens delictorum vindictam in foro contentioso.

Hac igitur potestate, vt Domini nostri ouibus opportuna pro animarum salute re-
2 media adhiberet Rom. Pontifex hanc Decretalem edidit; quæ cùm sit constitutio Ecclesiastica, licet habeat pro fine externam pacem Ecclesiæ; per se primò tamen data est ad dirigendos homines in felicitatem æternam, & supernaturalem vitæ futuræ; atque ideò in bonum, ac salutem animarum. Et quamuis Episcopi omnes, & alij Prælati, curam animarum habentes, Papæ inferiores dicantur quoque *Pastores*, ac pastorali munere fungantur; non tamen ex hoc sequitur habere eorum potestatem de iure diuino, independentem à potestate Romani Pontificis. Nam & si cæteris etiam Apostolis, in quorum locum successerunt Episcopi immediatè similiter à Deo fuit concessa Ecclesiastica iurisdictio, & potestas, Ioan. cap. 20. in illis verbis, *Sicut misit me Pater, ego mitto vos, &c.* quibus verbis omnes Apostolos constituit sibi legatos per vniuersum Terrarum Orbem, cum facultate promulgandi Euangelium, creandi Episcopos, ordinandi Clericos, leges promulgandi, & alia ad Apostolicum munus pertinentia; ipsa tamen iurisdictio fuit delegata, in successores non transitura, & non ordinaria; sed cessauit cum ipsis Apostolis: quam potestatem delegatam tribuit Deus eo loco omnibus Apostolis, & sic etiam Petro. Et demum in d. cap. 21. Ioan. dedit eidem ordinariam, qua creatus fuit Apostolis ipsis superior, & Princeps vniuersalis Ecclesiæ. Non tamen dicendum est, Apostolum Petrum duas obtinuisse à Domino potestates; sed vnam dumtaxat, prius minus perfectam, vt rectè declarat Suar. de censur. disp. 1. sec. 2. Vndè meritò reijcitur Soti sententia in 4. d. 22. q. 2. ar. 1. dicentis, Episcopos omnes recipere immediatè à Christo iurisdictionis coercinę potestatem, cùm in locum Apostolorum succedant. Etenim iurisdictio illa fuit delegata: siquidem ordinariam nemo habet independentem, nisi solus Roman. Pontifex, à quo omnes alij Episcopi, & Christi Domini ouium Pastores participant.

Voluit autem Christus Dominus suum
3 Vicarium in Terris appellari Pastorem ouium, vt quibus animarum cura commissa est, se Pastores, non percussores esse meminerint, atque ita præesse subditis oportere, vt non in eis dominentur; sed illos tanquam filios, & fratres diligant, elaborentque, vt hortando, & monendo ab illicitis deterreant; ne vbi deliquerint, debitis eos pœnis coercere cogantur, vt hæc, & alia habentur in Conc. Triden. sess. 13. cap. 1. de reform. Hinc meritò Gregor. c. 1. 2. 3. & 4. 45. d. non Prælatorum seueritatem, sed beneuolentiam erga subditos commendat, inquiens, *Licèt plerunque accidat Sacerdotibus, quæ sunt reprehendenda; plus tamen erga corrigendos agat beneuolentia, quàm seueritas; plus cohortatio, quàm comminatio; plus charitas, quàm potestas; cùm nemo nostrum sine reprehensione, aut sine peccato viuat. Nam si Dominus statim post trinam negationem Beatum Petrum Apostolum, præceptorem nostrum iudicasset, non tantum ex eo fructum, sicut fecit, recepisset.*

Pastorem dici voluit suum Vicarium
4 Dominus, vt quibus animarum cura commis-

missa est, oues suas agnoscant, pro his sacri-
ficium offerat, verbique Diuini prędicatio-
ne, sacramentorum administratione, ac bo-
norum omnium exemplo pascant, paupe-
rum, aliarunque miserabilium personarum
curam paternam gerant, & in cętera mu-
nera pastoralia incumbat; quę omnia ne-
quaquam ab ijs pręstari, & impleri possunt,
qui gregi suo non inuigilant, neque assistũt;
sed mercenariorum more deserunt, vt ex
eodem Conc. per supradicta formalia ver-
ba habetur sess. 23. cap. 1. de reform.

Pastorem nuncupari voluit Dominus
5 Summum eius Vicarium, vt animarum cu-
ram habentes, dum nouerint esse Pastores,
sciant, cùm opus fuerit, mortem debere su-
bire pro fidelium animarum salute. Etenim
bonus pastor animam suam ponit pro oui-
bus suis; aliàs mercenarius dicitur, & non
pastor, vt habetur Ioan. cap. 10.

Tunc autem dicitur bonus Pastor, ait
6 Gregor. in explicatione d. cap. 10. *Quando
exteriora misericorditer ouibus suis impendit:
& à primo hoc minimo peruenitur ad postre-
mum maius, quod est animam pro ouibus suis
ponere. Sed cùm incomparabiliter longè sit
anima, qua viuimus terrena substantia, quã
exterius possidemus, qui non dat pro ouibus
suis substantiam suam, quando pro his daturus
est animam suam. Et sunt nonnulli, qui dum
plus terrenam substantiam, quàm oues dili-
gunt, meritò nomen Pastores perdunt, de quibus
protinus additur. Mercenarius autem, &
qui non est Pastor, cuius non sunt oues propria,
videt lupum venientem, & dimittit oues, &
fugit. Non Pastor, sed mercenarius vocatur,
qui non pro amore intimo oues Dominicas, sed
ad temporales mercedes pascit. Mercenarius
quippè est, qui locum quidem Pastoris tenet, sed
lucra animarum non quarit, terrenis commo-
dis inhiat, honore Pralationis gaudet, tempo-
ralibus lucris pascitur; impensa sibi ab
hominibus reuerentia latatur.*

7 Hinc hodie, ait D. Ber-
nardus serm. 23. su-
per Cant. *Pra-
lati profe-
ctò
pauci sunt qui vtilitem pau-
tientes, qui humiliter
praesint.*

Ibi, *Legitimum cambiorum vsum.*

An cambium sit licitum, & sic lege permissum Q. VIII.

SVMMARIVM.

1 *Quæsitum, quid est, quæsitis, quale est, & propter quid præfertur.*
2 *Omnis quæstio debet à definitione proficisci.*
3 *Cambia illicita esse, qui doceant, recensentur.*
4 *Quæ sunt intrinsecè, & ex obiecto mala, nullo vnquam tempore permitti possunt.*
5 *Cambium secundum se consideratum habet quandam turpitudinis speciem.*
6 *Rapinam non permisit, qui furtum prohibuit.*
7 *Campsores appellantur etiam Nummularij, Argentarij, Mensularij, Bancharij, Collibistæ, & Telonarij.*
8 *Vsura est lucrum ex mutuo.*
9 *Cui competit definitio, competit definitum.*
10 *Mutui definitio traditur.*
11 *Emere rem minus infimo pretio, anticipata solutione, est mutuare sub vsuris. sicut rem vendere supra rigorosum pretium, pecunia credita.*
12 *Scutum marcharum in rerum natura non existit, sed in nundinis recipitur eius æstimatio.*
13 *Tempus, solem, & aerem omnibus ex æquo Deus, & Natura concessit.*
14 *Vsurarius super omnes Mercatores est maledictus, cùm tempus vendat.*
15 *Pecuniæ proprius vsus est, vt sit mensura rerum venalium.*
16 *Campsoria ars appellatur ab Aristotele vituperabilis.*
17 *Cambium verum, & reale cum debitis circumstantijs celebratum, communiter licitũ existimatur.*
18 *Cambiorum vsum necessitas, publicaque vtilitas induxerunt.*
19 *Malum intrinsecè est contra ius naturale, & contra dictamen rationis.*
20 *Cambium est de iure gẽtium, rationis dictamini valdè consentaneum.*
21 *Mala intrinsecè, & ex obiecto nulla circumstantia fieri possunt bona.*
22 *Cambium est humano generi omnino necessarium.*

23 Cam-

23 *Campsoria ars est ministra Economia; ac Politica: dicitur quintum elementum, & maximum bonum, quo mundus substentatur.*

24 *Cambium ad minutum non est minus necessarium, quàm cambium per litteras.*

25 *Cambium non solùm necessarium est, sed etiā Reip. valdè vtile.*

26 *Contractus, qui communiter celebratur, præsumitur licitus: & à pœna, ac nullitate contrahentes excusat.*

27 *Consuetudo reddit contractum alienum ab omni suspicione illiciti: & quando dubitatur de iustitia contractus, inspicienda est loci consuetudo.*

28 *Cambium nihil ex sui natura vitiosum, & virtuti contrarium importat: quamuis lucrum, quod est negotiationis finis in sui ratione non importet honestum aliquod.*

29 *Lucrum, quod est negotiationis finis, licèt in sui ratione honestum non importet; potest tamen dirigi ad finem honestum.*

30 *Campsoriam artem per se sonare malum & citrà culpam exerceri non posse qualiter sit intelligendum, declaratur.*

31 *Campsoriam artem Aristotelem non reprobare, ostenditur.*

32 *Campsoriam artem cur Matthæus Apostolus ita dimisit, vt ad eam amplius non redierit & Apostolorum Princeps ad piscationem rediit, quam dimiserat, explicatur.*

33 *Campsoria ars, & si realis; periculosa tamen est valdè.*

34 *Campsoriam artem quamuis omniñue periculosissimam scribentes communiter velint esse; non tamen eam exercentes dicuntur permanere in peccato mortali.*

35 *Periculo peccandi se exponens, an & quando mortaliter peccet, declaratur.*

36 *Cambiorum circulus damnatur.*

37 *Campsores monentur, vt quoad fieri potest à cambio exercitio se abstineant: nam non desunt, qui velint, artem campsoriam esse occasionem proximam peccandi.*

38 *Ars hominem constituens in probabili periculo peccandi, non potest licitè exerceri.*

39 *Lucrum ex cambio, & reali non est rapina: sed rapina dicitur lucrum ex cambio proueniens.*

40 *Cambium licèt in aliquibus conueniat cum mutuo, ab eo tamen in multis differt.*

41 *Species in iure aliquando appellatur genus.*

42 *Cambium est contractus vltro, citroque obligatorius: non sic mutuum.*

43 *Tempus non est de ratione cambij; est tamen de ratione mutui.*

44 *Cambium in sola pecuniarum permutatione consistit, mutuum verò non tantùm in pecuniis, sed etiam in omnibus alijs rebus, quæ vsu consumuntur.*

45 *Cambium exigit, vt pecunia recipiatur, numero saltem distincta: quod mutuum non expostulat.*

46 *Cambij capitale, aliquando redditur dimidium: non sic mutuum.*

47 *Cambij lucrum percipitur vt pretium periculi, cui campsor exponitur.*

48 *Cambium lucrum parit: non sic mutuum.*

49 *Campsor non recipit lucrum ex cambio ratione anticipatæ solutionis; sed ex alijs iustis causis.*

50 *Copia, & inopia pecuniarum faciunt merces pluris, aut minoris vendi.*

51 *Campsores licèt aliquando recipiant pecuniā in eodem loco, quo datur; id tamen non prouenit per vnum, & idem cambium, sed per aliud à primo distinctum.*

52 *Cambium non est propriè contractus emptionis, & venditionis.*

53 *Nundinæ quò propinquiores sunt, cur pecunia recipiatur à campsoribus cum minori lucro, ratio redditur.*

54 *Campsores vbi plures sunt, quam campsuarij, pecuniæ valor decrescit; sicut è contrario crescit, vbi plures sunt campsuarij, quàm campsores.*

55 *Pecunia dupliciter consideratur: materialiter scilicet, vt res est: & formaliter, vt est mensura, ac pretium rerum venalium.*

56 *Pecunia vsus formaliter sumpta, est duplex primarius scilicet, & secundarius.*

57 *Mensura, & mensuratum qualiter eadem res esse possit: sicut, & actio, & passio in vno, & eodem subiecto.*

ARistoteles Peripateticorum ille Princeps, Poster. lib. 1. sciendi methodum edocens, quamuis quæ sitùm, quid est, quæsitis, quale est, & propter quid præferendū esse censeat: cui concordat etiam eloquentiæ flumen Cic. offic. lib. 1. in prin. du n ait, *Omnis enim, quæ à ratione suscipitur de aliqua re*

2 *re institutio, debet à definitione proficisci, vt intelligatur quid sit id, de quo disputatur.* Nos tamen hoc loco quæsitum, quid sit, postponendum esse duximus; non vt tanti ponderis, eminentibusque viris contrarius videar; sed vt ordinem nostræ Extrauag. prosequar: quæ quidem ob illa verba, *Legitimum cambiorum vsum, &c.* de cambiorum qualitate prius, quàm de eorum definitione agendũ, occasionem præbuit.

In hac re igitur pugnantes extant opi-
3 niones. Nam prima sententia fuit Goffr. in sum. sub tit. de vsur. Host. in sum. eod. tit. D. Anton. & aliorum, quos refert Caiet. opusc. de camb. cap. 2. existimantium, lucrum ex cambio esse illicitum, & non nisi vbi loco interesse succedit, legitimè percipi posse.

Probatur hæc sententia primò, quoniam
4 ea, quæ sunt intrinsecè, & ex obiecto mala sunt illicita, itaut vllo vnquam tempore permitti possint; sed cambiorum lucrum est huiusmodi; ergò est illicitum. Maior patet; nam ea, quæ sunt intrinsecè, & ex obiecto mala habent intrinsecam, & inseparabilem malitiam, itaut super eis nulla cadat dispensatio, vt in c. super eo, de vsur. Minor probatur ex D. Thom. 2. 2. q. 77. ar. 4. vers. Respō-
5 deo, dum ait, negotiationem commutandi pecunias secundum se consideratam, habere quandam turpitudinem, in quantum de sui ratione non importat finem honestum: & Ioan. Anan. & alij, relati per Sigism. Scac. in suo tract. de commerc. & camb. §. 1. q. 7. p. 1. sub num. 7. volunt, artem campsoriam per se sonare malum, & citra culpam non posse à campsoribus exerceri. Hinc legitur de Mattheo Apostolo, qui fuit telonearius, atque ideo campsor, non redijsse ad telonij, seu cambiorum negotium: sicut Apostolus Petrus ad piscationem redijt; quia, vt ait D. Gregor. homil. 24. in Euāgel. Ioan. cap. 21. Mattheus negotiationem huiusmodi absque peccato exercere non poterat. Imò Arist. lib. 1. Polit. cap. 6. & 7. nulla Diuina lege edoctus; sed naturali tantùm lumine ductus, campsoriam artem, quæstuariam, cauponolem, turpem, odibilem, & fœneratoriam appellat. Est igitur lucrum ex cambio intrinsecè malum, atque ideo illicitum.

Secundò lucrum ex cambio est rapina,
6 ac latrocinium: ergò est illicitum, intrinsecè, & ex obiecto malum. Clara consequentia, quoniam iure Diuino, ac naturali, tam rapina, quam furtum prohibentur, nam cōprehenditur ipsa rapina sicut, & furtum sub præcepto Decalogi, Non furtum facies. Non enim rapinam permisit, qui furtum prohibuit, vt in c. pœnale, 14. q. 5. Probatur modo antecedens ex illo Matt. cap. 21. vbi legitur, quòd Christus Dominus templum ingressus, nummulatiorum mensas euertit, inquiens, *Domus mea domus orationis est, vos autem fecistis eam speluncam latronum*, atque adeo campsores, latrones appellat: siquidem nummularius idem denotat, quod campsor: nam campsores apud Arist. d. cap.
7 6. vocantur nummularij: sicut & in Pandectis campsor dicitur Argentarius, l. Argentarius, ff. de eden. & l. qui tabernas argentarias, ff. de contrah. empt. Appellantur quoque campsores alijs nominibus; nempe Telonarij, Bancharij, Mensulatii, & Collibistæ, vt ex Budeo, & Couar. probat Ioan. da Salas in suo tract. de cam. dub. 1. sub num. 1. Si igitur campsores sunt lattones; ergò lucrũ ex cambio est latrocinium, & rapina; quia latrocinium à latrone deriuatur, à raptore rapina, & furtum à fure.

Tertiò lucrum ex cambio est lucrum ex
8 mutuo: ergò cambium est omninò illicitũ. Consequentia patet; quia lucrum ex mutuo est lucrum vsurarium, cùm vsura ex communi Doctorum placito, non sit aliud, quā lucrum ex mutuo, vt in c. consuluit, & ibi Doctor. de vsur. Antecedens probatur; quoniam cui competit definitio, competit
9 etiam definitum, vt in l. si quis seruo, & ibi Bart. num. 2. & alij, C. de furt. sed cambio conuenit definitio mutui; ergò cambium est mutuum: & propterea lucrum ex cambio tanquam ex mutuo est illicitum; & non nisi ratione interesse percipi potest. Quòd cambio conueniat definitio mutui probatur ex Bart. in l. 2. in fin. ff. si cert. petat. vbi definiens mutuum ait, quòd mutuum nihil
10 aliud est, quàm alicuius rei vsu consumptibilis, in numero, pondere, & mensura consistentis gratuita facta translatio, sub spe percipiendi tantundem in genere suo. Hæc autem definitio conuenit cambio, quia in hu-

huiusmodi negotio confertur pecunia, cuius dominium in accipientem transfertur, cum onere restituendi eandem, aut æquiualentem: ergò cambium essentialiter est mutuum.

Quartò emere rem minus infimo pre-
11 tio, anticipata solutione, est mutuare sub vsuris; sicut rem vendere supra rigorosum pretium pecunia credita, vt habetur ex D. Thom 2.2.q.78.ar.2. Panor. in c. nauiganti sub num.7. de vsur. & ex alijs, quos refert, & sequitur Ioa. de Salas in suo tract. de empt. & vendit. dub.43. sub num.1. & Molf. p.2. suæ sum. tract.12. cap.5. num.113. Sed dare ad cambium est emere pecunia anticipata minus infimo pretio: ergò dare ad cambiũ, est mutuare sub vsuris; atque adeò lucrum ex cambio tanquam ex mutuo est vsurariũ, ac illicitum. Minor patet; quoniam campsor dans v.g. Ianuæ 66. solidos aureos, recepturus Placentiæ 67.4. perinde se habet, ac si solutione anticipata emeret minori pretio rem maioris pretij post aliquot dies, vel menses recipiendum. Siquidem, vt infra dicemus, qui dat cambio dicitur emere: nam cãpsor Genuę emit scutum march. Placentiæ pro solid. 66.

Quintò campsores in eodem loco, quo
12 dant eorum pecunias ad cambium, illas cũ lucro recipiunt: ergò dare ad cambium: est dare mutuo sub lucro, atque ideò cambium est illicitum, & vsurarium, sicut lucrum ex mutuo. Clara consequentia. Probatur antecedens; quoniam licèt campsor, qui dat Genuæ 66. solidos, fingat se emere à campsuario, qui eas recepit scutum vnum marcharum recipiendum Placentiæ; reuera tamen talis emptio est fictitia quoad scutum illud; eo quòd in rei veritate emit tantum 67. solid. & den. 4. eiusdem generis, cùm in Nundinis Placentiæ non tribuatur illi scutum aliquod march. nam huiusmodi scutum in rerum natura non existit; sed solùm eius æstimatio in 44. solid. Turonensibus, & paulo plus; quæ quidem æstimatio appellatur scutum march. & est eadem tam Placẽtiæ, quam Ianuæ: quo circa dans 66. solidos Ianuæ, recipit deinde per secundas litteras ad se remissas in eadem pecunia, quam cõtulit, solidos 67.4. in eadem ciuitate: atque adeo in eodem loco, quo campsor dedit campsuario 66. solidos, recipit solidos 67.4. & propterea campsor consequitur lucrũ illud ex cambio ob solam temporis dilationem: quod est illicita, ac vsuraria mutuatio. Est igitur lucrum ex cambio illicitum.

Sextò, vendere tempus est contra natu-
13 ram; atque ideo illicitum: sed dare ad cambium sub lucro est vendere tempus: ergo dare ad cambium sub lucro est contra naturam, & sic illicitum. Maior patet, quoniam tempus, solem, & aerem omnibus ex æquò Deus, & natura concessit: vnde meritò habetur ex Chrisostomo in c. eijciens, 88. d.
14 quòd super omnes mercatores maledictus est vsurarius: ipse namque rem gratis datam à Deo vendit, idest tempus non comparatum. Minor probatur, quia lucrum illud, quod à campsore percipitur ex cambio dũ pro 66. solidis aureis, recipit 67.4. Solùm exigitur ob temporis distantiam: siquidem Nundinæ quo propinquiores sunt, eò minus lucri sibi comparant campsores ex pecunijs ad cambium datis: etenim minorem quantitatem dant in principio nundinarũ, & maiorem in medio, & prope finem: quoniam si in principio dant 63. solidos recepturi 67. in medio dant 64. recepturi 67. & circa finem dant 65. & 66. recepturi 67 vel 67. 4. qui constituunt vnum scutum marcharum à campsoribus confictum; de quo infra Deo duce latius tractabimus: ergo dare ad cambium sub lucro est vendere tempus, & sic lucrum ex eo est illicitum, ac vsurarium.

Septimò ars campsoria vtitur pecunia in
15 vsu contra ipsius naturam, ergò lucrum ex cambio est illicitum. Antecedens patet; quia in huiusmodi arte pecunia emitur; atque ideo contra pecuniæ naturam, cùm pecuniæ proprius vsus sit, vt ipsa sit rerum venalium mensura, & non res venalis, vt in l. 1. ff. de contrah. empt. l. numm. s. ff. de in lit. iur. l. si ita, ff. de fideiuss. D. Thom. 2.2. q.77. ar.1. vers. Respondeo dicendum, Couar. tract. de veter. collat. numis. cap.7. num.4. in 3. concl. & alij. Imò in arte campsoria, cùm pecunia sit, quæ venditur, & qua pecunia vendatur, eadem est mensura, & mẽsuratum, & in eodem subiecto concurrit actio, & passio, quod reputatur impossibile: nam ob id creditor habens facultatem vendendi

dendi pignus à debitore, non potest sibi ipsi vendere, vt per Neguf. tract. de pignor. in 1. memb. 6. p. prin. sub num. 26. tom. 6. p. 1. & Menoch. consil. 296. num. 20. Consequentia probatur, quia vsus cuiuscunque rei cōtra ipsius naturam, est illicitus, ac vituperabilis; & in specie ars campsoria, ex quo non vtitur pecunia in suo proprio vsu, appella-
16 tur ab Arist. lib. 1. Polit. cap. 6. vituperabilis, vt deducunt Caiet. de camb. cap. 5. num. 4. tom. 6. p. 1. Boninf. eo. tract. cap. 3. Fab. & alij apud Scac. de commerc. & camb. §. . q. 7. p. 1. sub num. 15. circa fin. Est igitur cābium illicitum.

His tamen, & similibus, quæ in contra-
17 rium adduci possent, non obstantibus, in contrarium est communis sententia; atque adeò cambium verum, ac reale cum debitis conditionibus ad illud requisitis, licitum esse docent Bald. in l. 2. num. 2. vers. Item cābia, C. de vsur. rei iud. & in l. institoria, vbi etiam Saly. in fin. C. de exercit. & instit. act. idem Saly. in auth. ad hæc, num. 10. q. 11. C. de vsur. Iaf. in l. 1. in prima lect. num. 64. q. 6. & in 2. lect. num. 39. vers. Numquid autem, C. de sum. Trin. & fide cathol. Lauren. de Rodulp. in c. consuluit, p. 2. q. 26. num. 8. & p. 3. num. 1. & seq. de vsur. Strac. de mercat. p. 2. num. 4. Vasq. in tract. de contract. vsu frequen. cap. 6. Calder. consil. 11. Conrad. de contract. q. 98. & 99. Sot. Rebel. Molin. Valen. Bann. Nauar. Less. & alij quāplurimi, quos refert, & sequitur Ioan. de Salas in suo tract. de camb. sub num. 7. vers. Ad nostrum corollarium.

Probatur hæc sententia primò ex nostra
18 Extrauag. in quo approbatur legitimus cābiorum vsus, atque ideo cambium reale, & certa forma in eo celebrando constituitur, & cambia sicca omnino damnantur, vt cōstat ex illis verbis, *Cumque itaque ad aures nostras peruenerit, legitimum cambiorum vsum, quem necessitas, publicaque vtilitas induxit, &c.*

Secundò si cambium esset illicitum, vel
19 tale esset, quia sit intrinsecè, & ex obiecto malum; vel quòd lege aliqua fuerit prohibitum. Non potest dici primum. nam quod est intrinsecè malum, est contra ius naturæ, & contra dictamen rationis: at cambium non solū dici non potest cōtra ius naturale, & contra dictamen rationis; quin potius iuri naturali, & rationis dictamini valde consentaneum: siquidem cambium est de iure
20 gentium, cùm gentes omnes naturali lumine ducti illud sibi adinuenerint, vt latè probat Scac. de commerc. & camb. §. 1. q. 6. num. 1. cum plur. seq. quod autem ab omnibus nationibus est receptum, nō potest esse contra ius naturale, intrinsecè, & ex obiecto malum; sed rectæ rationi omnino congruum. Confirmatur, quia si cambium esset intrinsecè, & ex obiecto malum, nulla circumstantia, nec vllo vnquam tempore licitè exerceri posset; nam ea, quæ sunt intrin-
21 secè, & ex obiecto mala, nulla circumstantia possunt fieri bona. Hinc vsura, quæ est intrinsecè, & ex obiecto mala, super eam nulla cadit dispensatio, & exerceri nequit, nec pro redemptione quidem captiuorum, vt in cap. super eo, de vsur. atque ideò omnes campsores essent in statu damnationis: quod ab omnibus negatur; cùm ars campsoria secundum communem omnium sententiam ex circumstantia boni finis honestetur. Nec potest dici secundum, quia ars campsoria non tantùm ciuili iure est permissa, vt in l. traiectitia, & toto tit. ff. de naut. fœnor. verùm etiam de iure canonico per constitutiones Pontificias; præsertim per nostram Decretalem, in qua Pius V. solùm damnat cambia sicca: alia verò, quæ vera, ac realia sunt, approbat, & modum præscribit, quo licitè exerceri possint: imò legitimum appellat cambiorum vsum, vt supra ostendimus.

Tertiò cambium est humano generi om-
22 nino necessarium: ergo cambium est licitum. Clara consequentia; quoniam aliàs humano generi non esset sufficienter prouisum. Antecedens probatur tum ex nostra Decretali, in illis verbis, *Quem necessitas, publicaque vtilitas induxit*. Tum etiam ratione; quia sine cambio cessarent omnia ferè mercatorum commercia, cùm numismatum valor sit varius in varijs, ac diuersis locis: & variæ sint hominum indigentiæ tàm in eodem, quàm in diuerso loco. Vndè meritò Arist. 1. Polit. asserit, campsoriam
23 artem esse ministram Economiæ, & Politicæ; & propterea sicut Economia, & Politica, sunt necessariæ, ita etiam ars campsoria.

ria. Ob id etiam Bald.conf.348.num.4. volum. 1. ait, quòd negotiatio cambiorum vnius loci ad alium, est quintum elementum,& maximum bonum,quo mundus sub. stenratur: & Nauar. in Man. cap.17. num. 283.post Calderin. inquit, quòd sine cambijs omnia commercia cum Regnis extraneis cessarent,& propria pauperiora fierēt. Non enim Mercatores sine cambio possent merces à diuersis Regnis afferre: siquidem si ad remotissimas Orbis Terrarum partes se conferant ad emendas merces, cùm in eis diuersa sit pecunia, non possent vti propria;sed alia indigerent,quæ non aliter,quā per cambium haberi posset. Sic etiam è conuerso si ex mercium venditione in remotissimis Regnis consequantur eorum pecuniam, quæ in propria Patria non expenderetur, ne extranea pecunia sit inutilis, cambio indigent. Item in quamplurimis Regnis, ac Prouincijs extat statutum, seu lex,ne ex eis pecuniæ extrahantur: & propterea mercatores in ipsis Prouincijs pecuniam habentes, citra cambium eadem vti in alijs locis non possent. Imò non solùm
24 cambium per litteras, de quo supra diximus; sed etiam cambium adminutum est valdè necessarium: nam si quis non habeat, nisi pecunias aureas, & argenteas, & egeat nummis æreis, ac minutis pro emēdis oleribus, piscibus, & his similibus in parua quantitate, citra cambium res huiusmodi comparare non posset. Est igitur necessarium cambium.

Est etiam cambium non minus Reip.ne-
25 cessarium,quàm vtile propter pericula maris, hostium, & latronum, quæ occasione cambij deuitantur: & propter damna, quæ cambijs mediantibus,effugiuntur:siquidem vnius,& eiusdem speciei signi,qualitatis, & quantitatis numismatis in vna, & eadem Prouincia,vel etiam in diuersis variatur valor.Sic Mediolani ducati valor est quinque litarum,& 15.solid.at Placentiæ, & in nonnullis alijs eiusdem Prouinciæ, ac etiam aliarum Ciuitatum ducatus Mediolanensis eiusdem speciei,ponderis, ac bonitatis, valet 7.lir.quo circa si cambium non daretur, grauæ damnum paterentur Mercatores in transferendis pecunijs ex vna Ciuitate ad aliam. Est demum vtile cambium tum ex commoditate, ac securitate in transferendis pecunijs de loco ad locum; tum etiam ob vtile, quod ex eo campsores recipiunt: quod vtile iustè à campsoribus intendi posse, infra,Deo duce, demonstrabitur in solutione argumenrorum. Est igitum cambium licitum,cùm Reip.sit non tantum vtile, sed etiam necessarium.

Denique,alijs prætermissis,nos videmus
26 cambium publice celebrari inter bonos, & legales viros: ergo cambium est licitum. Antecedens patet. Probatur consequentia; quia quādo est probabilis dubitatio, vtrum contractus,qui celebratur,sit licitus, si solitus sit celebrari per graues,ac bonos viros, ac fideles Mercatores, contractum huiusmodi celebrantes, non solum excusantur à pœna,sed etiam ab actus nullitate, vt habetur ex Natt.conf.498. num.26. Castracan. in suo tract.de societ. offic. cap.4. num.24. vers.sed vbi:quos refert,& sequitur Scac.de commerc. & camb. §. 6. Glos.1. num. 48. cum plur.seq. motus ex eo præsertim quod
27 consuetudo reddit contractum alienum ab omni suspicione illiciti, vt per Oldr.conf. 207.num.7.vers.corroborat:& quando dubitatur,an aliquis contractus sit licitus, inspici debet consuetudo Regionis, Abb. conf.15.in fin.lib. 1.

Restat modo, vt ad argumenta respondeamus.

28 AD primum negatur minor: quia supra ostendimus in probatione nostræ conclusionis, in secunda ratione, cambium secundum se non esse iuri naturali, nec rectæ rationi contrarium: imò in ordine ad propriam vtilitatem consideratum, iustè quoque,ac licitè exercetur, nisi campsorum inordinata cupiditate redderetur iniustum. Nec D.Thom. d.ar.4. in corp.id negat: siquidem ait lucrum, quod est negotiationis
29 finis, & si in sua ratione non importet aliquid honestum, vel necessariū; nihil tamen ex sui natura importat vitiosum, & virtuti contrarium: & proinde nihil prohibet lucrum ordinari ad aliquem finem necessarium,vel etiam honestum, quod negotiando quærit;nempe ad propriæ domus susten-

tationem, vt suis, & aliorum indigentium occurrat necessitatibus. Ita quoque intelligendi sunt Theologi dicentes, artem campsoriam per se sonare malum: & dum dicunt citra culpam exerceri non posse, loquuntur de arte campsoria, cui ponitur vltimus finis; atque ideò inordinatæ cupiditati deseruit, & cui campsores sola maioris lucri cupiditate incumbunt, pecuniam eorum in continuo cambiendi circulo exponentes: de quibus loquens Apost. Paul. 1. ad Timoth. cap. 6. inquit, *Qui volunt diuites fieri in laqueum incidunt diaboli.* & Baruch, c. 3. *Argentum fabricant, & soliciti sunt, & non est finis acquisitionis eorum.* Quòd si præcipuus campsorum finis sit, seruire communi Reip. vtilitati, & ob id aliqua honesta, & iusta lucra habere, quibus se, suosque decenter alere, tunc non solùm citra omnem culpam ars cāpsoria exerceri potest, sed etiam meritoriè, sicut de alijs honestis negotiationibus dicimus, cùm ea ratione ars campsoria Politicè, & Economicè exerceatur, vt habetur ex Molin. de contract. disp. 398. num. 4. Nec Arist. Polit. lib. 1 cap. 6. & 7.
31 improbat artem campsoriam veram, ac realem; sed illam, quæ fœneratitia est, aut cui ponitur vltimus finis.

Et quamuis Matthæus Apostolus, qui
32 fuit campsor, post Telonij, atque ideo cambiorum negotium dimissum, ad illud numquam redierit, sicut Petrus redijt ad piscationem, id tamen ideo egit; quia artem campsoriam per prius feneratoriam exercebat, non autem veram, & realem. Et quatenus veram exercuisset, adhuc tamen ad eam noluit redire: quia negari non potest, quin hæc
33 etiam sit valdè periculosa: & sicut fœneratitia cambiorum negotiatio citra peccatum nullatenus exerceri potest; ita etiam realis non sine magna difficultate: nam ob id Gregor. in illud Ioan. cap. 21. loquitur alternatiuè inquiens, *Nullatenus, aut vix potest exerceri sine peccato.* id est nullatenus fœneratitia: & vix, hoc est cum magna difficultate realis ob periculum ponendi in ea vltimum finem, eandemque exercendi sola maioris lucri cupiditate, & pecuniam in continuo cambiendi circulo exponendi.

Hinc Mercat. in suo tract. de cāb. cap. 1.
34 num. 6. inquit, quòd quamuis campsoria ars, atque adeo cambia vera, ac realia licita sint secundum se considerata, vtilia, & necessaria; nihilominus negotiationem huiusmodi esse omnium scrupulosissimā, ac periculosissimā, quæ in hoc mundo licitè exerceri possunt: qua propter Arist. Polit. lib. 1. c. 8. appellat eā omniū infimā, & minus tutā. Non tamē ob id cāpsores dicuntur esse in peccato mortali. Etenim tūc exponens se periculo peccādi mortaliter, vel veniali-
35 ter, peccat mortaliter, aut venialiter, quādo se exponit periculo in aliquo casu particulari; secus si se exponat in genere, & vniuersaliter: aliàs, qui Episcopatū, officiū quodlibet Reip. administrandæ susciperet, aut quācunque artē exerceret, peccaret, quod asserere, est absurdū, vt habetur ex Nauar. in c. 2. num. 18 19. & 34. de pœnit. d. 5. Vel melius dicamus ex Sigism. Scac. post alios, in suo tract. de cōmerc. & cāb. §. 1. q. 7. p. 1. sub num. 65. vers. Tertio respondeo: quòd duplex est periculum, alterum vires humanas quodammodo superās; quale est periculum fornicationis in iuuene cū pulcherrima meretrice dormiēte: alterū, quod firmissimo nō peccādi proposito potest superari; quale est periculū blasphemandi, aut rixādi in ludo. Priori periculo se exponēs, procul dubio eo ipso peccat, quamuis firmissimè statuat non fornicari: quoniā huiusmodi periculū dicitur obruens, & rarò euenit, vt tali periculo expositus nō peccet, nec sine magna difficultate superari potest, vt habetur ex Medina to. 2. rit. de restit. q. 30. vers. Ad illud: secus autē exponens se posteriori periculo: siquidē huiusmodi periculū citra magnam difficultatē superari potest per firmissimum nō peccandi propositū; cùm hoc periculū ex eodē Medin. dicatur accidēs: & tale periculū est exercenrium cāpsoriam artem, & quascunque alias mercaturas: eo quòd cāpsores ementes, & vendentes de facili possunt in mendacia, periuria, & alia eiusmodi peccata incidere.

Vndè nō negat ipse Mercat. loco citato
36 num. 8. quin cambia semel, aut bis licitè, & citra scrupulū exerceri possint: sed quia, vt ait Arist. Polit. lib. 1. c. 8. cāpsoria ars est nūmotū, ac diuitiarum maximè effectiua, propter auaritiam, & diuitiarum ingluiem, ac sitim, in quas communiter inclinantur ho-

mines, nemo, inquit, diù artem huiuſmodi exercuit, quia duo milia ſaltem latrocinia, & vſuras commiſerit: aut apud Populum de talibus ſaltem criminibus fuerit diffamatus. Etenim videntes campſores in tali negotio diù verſatos, & inſatiabili lucrandi cupiditate ſuccenſos, innumeras ferè vafrities, & ſubtilitates in diem excogitare, omnē eorū pecuniam nulli alij negotio Reip. vtili, quàm cambijs, & recambijs tradētes, ita vt in continuo quodam cambiendi motu, ac circulo verſentur; atque ideo vltimū finem in tali negotiatione poſuiſſe proculdubio videntur; & propterea in ſtatu damnationis eſſe, ait D. Anton. in ſua ſum. 2. p. tit. 1. c. 6. & expreſsè dānatur à D. Th. 2. 2. q. 77. ar. 4.

Ob id Salon. de camb. q. 1. in admonit.
37 cāpſor. & cōſeſ. meritò inquit, admonēdos eſſe cāpſores, vt artem campſoriā non exerceant, eorum priuata tantùm cōmoda intēdētes; ſed eorum primum, & præcipuum finem debeant dirigere in Reip. ac Ciuiū vtilitatem, & huiuſmodi negotiationi inſeruire ad moderata ac honeſta lucra ex ea comparanda pro ſe, ſuiſque alendis, & cābijs ita vtātur, vt negotiationi mercium deſeruiāt, ad quod fuerunt adinuenta, vt infra dicemus; non autem vt pecuniæ cupiditati inſeruiant. Imò idem Salon. campſores ipſos admonet, vt quoad fieri poteſt, ab hac negotiatione ſe abſtineant, tāquam omnium negotiationū periculoſiſſima: ſiquidem non deſunt, qui volunt, artem campſoriam eſſe occaſionem proximam peccandi; quemadmodum ſi iuuenis ſolus cum meretrice proximo fornicandi periculo ſe exponeret: quod ſi ita eſt, vt Mercat. loco citato videtur velle, proculdubio campſores omnes in ſtatu dānationis eſſent: quoniā ars hominē conſtituens in probabili periculo peccādi, non poteſt citra culpam exerceri: quia qui amat periculū, peribit in illo: & in moralibus non eſt iudicandū de rebus ſecundū ea, quę ſimpliciter poſſunt fieri, ſed ſecundū ea, quę cōmuniter accidunt, l. nā ad ea, ff. de legib. Sed quia nos cū Salon. d. q. 1. ar. 2. num. 9. Scac. & alijs æquius iudicandum ſupra exiſtimauimus, campſores non exponi tali peccandi periculo proximo, idcirco negamus, cāpſores omnes eſſe in ſtatu dānationis, ſed eos tantū, qui in lucro ponūt vltimū finem iuxta ea, quæ ſupra adnotauimus.

Ad ſecundum reſpondetur diſtinguendo
39 antecedēs. Nam aut loquimur de lucro ex cābio ficco, & vſurario prouenienti: aut de lucro vero, & reali. Si primū cōcedimus lucrū ex cābio eſſe rapinam, & latrociniū, cū ſit vſurarium, c. ſi quis vſuram, 14. q. 3. vbi D. Ambroſius vſuram, rapinam appellat. Et Dominus Matt. c. 21. huiuſmodi nummularios latrones vocat; ſicut & alios illicitas negotiationes exercentes. Quòd ſi ſecundum, negatur antecedens; cùm lucrum ex cambio vero, ac reali ſit licitum, & iuſtum, vt ſupra oſtendimus.

Ad tertium negatur antecedens, & ad
40 probationem dicitur, quòd licèt quoad aliqua definitio mutui conueniat definitioni cābij; mutuum tamen in multis differt à cābio, vt habetur ex Caiet. in opuſc. de camb. c. 2. Cōrad. de contr. q. 99. concl. 2. Sot. lib. 6. de iuſt. & iur. q. 8. ar. 8. Boninſ. de cāb. c. 6. Salon. eod. tract. c. 1. Leſſ. Rebell. Valenr. & alij apud Salas in ſuo tract. de camb. dub. 1. num. 3. & Filliuc. tom. 2. qq. moral. tract. 35. de cenſib. & cāb. c. 4. q. 3. num. 343. & propterea nō poteſt eidē competere definitio mutui. Etenim in mutuo periculū omne ſumit in ſe mutuatarius, qui rem mutuatā accipit: in cābio verò omne periculū pertinet ad cāpſorem, ſi correſpōſalis eius nō ſoluat litteras cāpſuario, à quo campſor ipſe prius pecuniā accipit. Quòd ſi correſpōdens litteras ſoluat, ad nihil aliud tenetur cāpſor, vt per Bald. conſ. 349. in princ. lib. 1. & Soc. cōſ. 68. col. 2. verſ. ſubſequēter l. 3. Imò etiā ſi ille, cui ſcribitur nō ſoluat, dūmodo offerat, & paratā habeat pecuniam, adhuc tamē liberatur cāpſor, ita vt ſi correſpondens decoxerit, damnum non imputetur campſori, ſed campſuario, vt habetur ex Bald. loco citato, num. 3. Soc. conſ. 64. num. 6. quos refert, & ſequitur Tuſch. ver. cambiatur, cōcl. 12. num. 2. 3. & 8. vbi id quomodo verū ſit, latè declarat: quibus adde Scac. de commerc. & camb. §. 1. q. 4. à num. 1. ad 13. & §. 2. Gloſ. 5. num. 297. cum plur. ſeq. Secundò à cambio differt mutuum; quoniam in mutuo, qui mutuat primò dat, & deinde recipit: at in cambio multoties campſor primò recipit, & deinde dat, vt patet in caſu ſupra propoſito, & infra latius Deo duce,

ea dicemus, quibus adde, quæ habentur ex Scac. loco citato, sub num. 5. in vers. Prima differentia est. Tertiò de ratione mutui est, vt res mutuata reddatur eadem specie, vt in l. 2. § mutui autẽ datio, ff. si cert. petat. Nec Bart. in d. l. 2. contrarium docet, dum definiendo mutuum ait, mutuum est alicuius rei vsu, &c. Sub spe recipiendi tantundẽ in ge-
41 nere suo, quia Bart. ibi per genus intelligit speciem: siquidem in iure species appellari solet genus, vt in l. posse si non genera, ff. de acqu. r. possess. Hoc autẽ in cãbio non est necesse, cù non interdũ oportear, vt restituatur pecunia diuersa specie. Quartò in mutuum completur ex datione pecuniæ mutuantis dũtaxat, cù non mutuum non fit vitro, citroque datio, seu traditio, sed solius rei traditione perficiatur: at cãbium non tantũ exigit campsoris pecuniam pro ipsius complemento; verũ etiam pecuniam campsuarij; eo
42 quòd cãbium est vitro, citroque datio, seu traditio, cũ non solũ res, quę prior datur; sed etiã, quæ repẽditur, cõmutetur, vt rectè declarat Less. lib. 2. de iust. & iur. cap. 23. dub.
43 1. num. 2. Quinto de ratione mutui est tẽpus: nõ enim quicquam mutuo accipit, rem mutuatam mox restituturus; sed post aliquot tempus arbitrio prudentis: in cambio verò non semper exigitur tempus, vt paret in cambio ad minutum, quo vnico cõtextu pecunia datur, & accipitur: & in alijs cambijs tẽpus requiritur per accidens tantùm, & de eorum essentia est locus. Etenim qui pecuniã confert, vt in aliquo loco recipiat, non censetur simpliciter dominiũ transferre, vt alio tempore restituatur; sed vt alio loco, atque ideo in huiusmodi contractu tẽporis expectatio accidentaria est, cùm non possint in alio loco, nisi post aliquot tempus litteræ innotescere. Vndè ratione talis temporis nulla merces exigi potest, vt habetur ex Ioan. Bapt. Lup. in c. nauiganti, §. 2. num. 79. de vsur. Boninf. in suo tract. de camb. c. 6. num. 4. & ex alijs, quos refert, & sequitur Scac. d. §. 1. q. 4. a num. 13. ad 14. Sextò mutuum consistit non solùm in
44 pecunia numerata, sed etiam in omnibus alijs rebus, quæ vsu consumuntur, & consistunt in numero, pondere, & mensura, nempe in frumento, oleo, &c. vt in d. l. 2. § mutui autem datio, ff. si cert. pètat. cambium autem non potest consistere, nisi in pecunia numerata. Septimò in cambio cam-
45 psor dat pecuniam receptu us aliam numero saltem distinctam; quoniam sicut aliarum rerum commutatio non expostulat, vt res ipsæ, quæ commutantur sint specie differentes, sed satis est si numero differant: siquidem equus cum equo rectè commutatur, gladius cum gladio, vinum cum vino, frumentum cum frumento, &c. Sic etiam cambij natura non exigit, vt pecuniæ, quæ commutantur, genere, vel specie distinguantur; atque ideo aurea pecunia cum alia aurea commutatur: argentea cum argentea, & sic de alijs. vt quia vna est alia pulcrior, antiquior, aut purior: at verò in mutuo id non exigitur: quia si mutuatarius rem mutuo acceptam nolit expendere, potest eandem numero, mutuanti restituere; & ita mutuum ex sui natura non requirit, vt pecunia diuersa numero restituatur, vt rectè declarat Scac. d. q. 4. num. 7. 8. & 9. Octauò differunt inter se mutuum, & cam-
46 bium, quoniam mutuum non debet reddi diminutum, sed in eadem quantitate: at cambium potest minui; quia potest euenire, vt dans cambio detrimentum patiatur in sorte, quamuis id rarò accidat, vt declarat Scac. post alios d. q. 4. num. 11. & q 7. p. 1. num. 94. Hinc ait Falch. ver. cambia, concl. 11. num. 2. post Rom. cons. 238 num. 6. & communem opinionem, quòd consuetudo Mercatorum hoc requirit ad iustitiam cambij, vt sors sit periculo dantis ad cambium: aliàs si fiat pactum, quòd sors principalis salua fiat, tunc cambium erit siccum, & illicitum: quoniam cambij lucrum perci-
47 pitur, vt præmiũ periculi. Denique differt mutuum à cãbio; quia ex mutuo, & in pretium vsus illius non potest aliquid percipi, iuxta illud Domini, *Mutuo date nihil inde sperantes*, c. consuluit, de vsur. Sot. lib. 6. de iustit. & iu. q 8. ar. 2. concl 3. & alij: ex cambio verò licitè lucrum aliquod percipitur,
48 vt habetur ex Salon de camb. q. 1. ar. 1. sub num. 4. vers. Denique, Azor. p. 3. Inst. moral. lib. 10. tit. de camb. cap. 4. q. 9. vers. Tertiò cambium. Quibus differentijs sic stantibus, licèt cãbium cõueniat cũ mutuo in trãslatione dominij pecunię, quę datur ad cãbiũ; nihilominus cũ in pluribus differat, vt supra

C 2 di-

diximus, cambio non poteſt conuenire de-
finitio mutui.

Ad quartum argumentum reſpondetur,
49 negando minorem, & ad probationem di-
citur, quòd cãpſor non recipit incremẽtum
illud quatuor ſolidorum ratione anticipatæ
ſolutionis; ſed propter diuerſam æſtimatio-
nẽ, quã habent pecuniæ in diuerſis locis: ſi-
quidẽ vbi maior eſt pecuniarũ copia, pecu-
nia minus æſtimatur: vbi verò minor, maius,
ſicut aliæ merces. Vndè 66. ſolidi Ianuæ
50 eandẽ habent æſtimationẽ, quã 67.4. Pla-
centiæ propter maiorẽ abundantiam pecu-
niarum, quæ in nundinis Placentiæ reperiri
ſolet, vt patet ex ijs, quæ habẽtur ex Salon.
de camb.q.1.in reſp.ad 5. in fin. vbi reijcit
reſponſionem Fabiani, dicentis, quòd ideo
campſor recipit incrementũ illud, quia la-
bores ſuſtinet, & periculis ſe exponit ad re-
ducendã pecuniam à Placentia Ianuã. Sed
licèt re vera reſpõſio Salon. bona ſit, quan-
do Ianuæ eſſet inopia pecuniarũ, & in nũdi-
nis copia Marcharũ; non tamen locum ſibi
vendicaret, vbi Ianuæ eſſet copia pecunia-
rũ, & Placentiæ inopia Marcharũ, iuxta ea,
quę habentur ex Scac.de commerc.& cãb.
§.1.q.7.p.1.ſub num 75.verſ. Primò nego.
Vndè reſpõſio Fabiani videtur probabilior:
& eo magis, quòd pecunia præſens plus va-
let, quàm abſens; qua ratione campſor lu-
crum prædictum conſequi poteſt.

Ad quintum negatur antecedens; nam
51 eſtò quòd campſores aliquando in eodem
loco, in quo dant pecuniam ad cambium
illam recipiant; id tamen non agunt per
vnum, & idem cambium; ſed per aliud cam-
bium: ſiquidem primum cambium eſt à Ia-
nua ad Placentiam: & ſecundum eſt à Pla-
centia Ianuam, vt infra ſuo loco latius, Deo
duce, declarabimus. Nec ad iuſtitiam cam-
bij requiritur, vt actu, & re vera reperiatur
aliquod numiſma, quod dicatur ſcutum de
marchæ, tali ſigno impreſſum; ſed ſatis eſt
valor illius, vbique in ea menſura, & æſti-
matione receptum; cùm huiuſmodi con-
tractus, vt ſuo loco dicemus non ſit forma-
52 liter emptio, ſed vera, ac realis commuta-
tio pecuniæ vnius loci cum pecunia alte-
rius loci, ſeruata æqualitate valoris inter
eas, iuxta valorẽ à cõmuni hominũ æſtima-
tione vnicuique earũ in tali loco præfinitũ,
vt rectè declarat Salon. loco citato, in fin.

Ad ſextum negatur minor, & ad proba-
53 tionem eius dicitur, quod nundinæ quo
propinquiores ſunt, recipitur pecunia à cã-
pſoribus cum minori lucro non propter
campſorum copiam, cùm plures tunc exi-
ſtant, qui pecunias ſuas alijs ad cambium
tradant: vbi autem plures ſunt campſores,
quàm campſuarij, pecuniæ valor decreſcit:
54 Sicut è contrario creſcit quando plures
ſunt campſuarij, quàm campſores, vt decla-
rat Salon. loco citato, ſub num.9. Adde
quòd non eſt ſemper verum, quòd plus ęſti-
metur pecunia præſens in principio nundi-
narum, quàm in medio, & in fine; nam ſæpe
cõtrarium euenit, vt latè habetur per Scac.
d.q.7.p.1.ſub num.75. verſ. Primò nego.

Ad ſeptimum dicitur, quòd pecunia du-
55 pliciter conſiderari poteſt; materialiter ſci-
licet, vt eſt argentum, aurum, &c. Et forma-
liter, vt eſt menſura rerum venalium, inſi-
gnita figura Principis. Vſus autem pecu-
niæ formaliter ſumptæ, eſt duplex prima-
56 rius videlicet, & ſecundarius. Prior eſt vt
ſit menſura omnium rerum venalium, vt di-
ximus: poſterior verò, vt vendi, locari, com-
mutari valeat, &c. Sic veſtis conſideratur
materialiter, vt lana eſt: & formaliter vt ve-
ſtis. cuius vſus ſimiliter eſt duplex; nempe
primarius, & proprius; quatenus veſtis ex
ſui natura eſt ordinata ad veſtiendum: & ſe-
cundarius, quatenus vendi, locari, pignora-
ri, commutari poteſt. Primarius pecuniæ
vſus eſt naturalis, ſicut primarius veſtis
vſus: Secundarius appellatur ab Ariſtotele
innaturalis. Et quamuis ab Ariſt. talis pecu-
niæ vſus per ſe ſumptus vituperetur; poteſt
tamen ex fine campſoris honeſtari, cùm di-
rigitur ad familiæ, & ſtatus ſui decentem ſu-
ſtentationem. Siquidem poteſt id, quòd ſo-
litariè conſideratũ eſt incongruũ, ex adiun-
cto fieri congruũ, & honeſtũ, vt habetur ex
Nauar. in Man. cap.17. ſub num.287. & ex
alijs ferè innumeris apud Scac. de cõmerc.
& camb. §.1. q.7. p.1. ſub num.61. & 62.
Nec eſt inconueniens, quòd eadem res ſit
menſura, & menſurata: & in eodem ſubie-
cto concurrant actio, & paſſio ſub diuerſa
formalitate: & eo maximè, quia in cam-
bijs multæ fictiones, & improprietates
tolerantur; inter quas ea eſt, vt nummus,

qui

qui est pretium, & mensura rei emendæ, fingatur etiam res ipsa emenda, & sic est mensura, & mensuratum, atque adeò in eodem subiecto stat actio, & passio, quod est incõpossibile, cùm duo contraria non possint stare in eodem subiecto, vt per Bal. in l. si vxor, C. de bon. auct. iudic. posses. Ofasc. decis. 95. num. 2. & alios apud Scac. de commerc. & camb. §. 6. Glos. 1. num. 24.

An cambium sit propriè contractus, vel dicatur quasi contractus, Q. IX.

SVMMARIVM.

1 *Contractus à quasi contractu quomodo differat, declaratur.*
2 *Contractus est formaliter pactum.*
3 *Contractus est obligatio non formaliter, sed effectiuè, cùm sit pactionis effectus.*
4 *Contractus plures definitiones assignantur.*
5 *Contractus est vltro, citroque obligatio.*
6 *Cambium est verè, & propriè contractus.*
7 *Cambium cùm sit contractus vltro, citroque obligatorius non potest consistere, nisi saltem inter duos, pro diuersis rebus.*
8 *Cambium ad minutum qualiter sit contractus vltro, citroque obligatorius.*
9 *Gabella soluenda est pro cambio, si pro quolibet contractu gabellam statuto solui mandetur.*
10 *Census consignatiuus est verè contractus si emptionis titulo celebretur: secus autem si testamento legetur: aut donationis titulo transferatur.*
11 *Census reseruatiuus est contractus si à promissione incipiat: secus autem si à traditione.*
12 *Gabella non solùm soluitur pro cambio; sed etiam pro recambio, si statuto caueatur, vt soluatur pro quolibet contractu.*

1 AD euidentiam eorum, quæ in hac re dicenda erunt, est adnot. quòd vt diximus in explic. proœm. Extrauag. Pij V. de censib. q. 7. num. 1. & seq. contractus in hoc differt à quasi contractu, quòd cõtractus est formaliter pactũ: quasi contractus verò pactionẽ aliquam non includit; sed nobis inscijs, & aliquando inuitis, celebratur, & ex eo oritur obligatio; quæ licèt ex partium conuentione nõ proueniat; prouenit tamen ex aliquo officio, & facto licito, & honesto, vt est officiũ Tutoris, Curatoris, Negotiorũ gestoris, Iudicis, Aduocati, Testis, Medici, & similiũ, vt patet ex toto titulo, in Inst. de obligat. quæ ex quasi contr. nasc. Azor. p. 3. Inst. moral. lib. 6. c. 3. q. vlt. Rebell. p. 1. de oblig. iustit. lib. 1. de contract. in genere, q. 1. sec. 1. num. 18. & nos latius declarauimus d. q. 7. sub num. 1. vbi etiam a num. 3. ad 11. ob id probauimus, pollicitationem, donationẽ, & acceptilationẽ non esse propriè cõtractus; sed impropriè, & quasi contractus.

2 Differt igitur contractus à quasi contractu per pactũ: quod ex Vlp. in l. 1. ff. de pact. est duorũ in idem placitũ, vel cõsensus. Seu ex eodẽ Vlp. in l. 1. ff. de pollic. Est duorum, aut pluriũ in idem consensus, atque conuẽtio. Et quamuis ex ipso Vlp. in l. Labeo, la 2. §. contractũ, ff. de verb. signif. cõtractus strictè, & propriè sumptus per obligationẽ, non autem per pactum definiatur, dũ inquit, cõtractus est vltro, citroque obligatio; nihilominus hęc definitio non est formalis, sed ef-
3 fectiua: siquidem contractus non potest dici formaliter obligatio, sed pactionis effectus, cùm ex contrahentium pacto, seu consensu proueniat. Hinc Rebell. loco citato, definiens contractum, sic ait, contractus est vltro, citroque obligatio ex partium vo-
4 luntate, ac pactione consurgens. Vel ex Sot. lib. 6. de Iustit. & iu. q. 2. ar. 1. concl. 1. Contractus est actio inter duos, & ex qua vtrinque obligatio nascitur. Vndè idem esse volunt pactionẽ, & contractũ: & pactionem in eo tantùm differt à pacto, quòd pactio conuentionem in fieri denotat, pactum verò pactionem in facto esse, vt latius declarauimus d. q. 7.

5 His prælibatis, videtur prima facie dicẽdũ, cambiũ non esse verè, & propriè cõtractũ: siquidẽ contractus, vt supra diximus, est vltrò citroque obligatio. At in cambio non contrahitur obligatio ex vtraque parte; sed ad summum ex parte alterius tantùm; ergò cambium non est contractus. Maior patet ex dictis. Probatur minor. Nam in cambio per litteras cùm primum campsor pecuniam accipit in vno loco soluendum in alio, campsuarius ad nihil obligatur;

sed tantùm campsor obligatus remanet ad cuiandum, vt litteræ acceptentur, & cambium soluatur in loco condicto. Et campsor quando primam dat pecuniam ad cābium ad nihil aliud obligatur: Sed campsuarius dumtaxat soluere constrictus remanet in conuento loco. Idem dicendum est de cambio ad minutum: Siquidem dans scutum aureum pro habendo eius valorem in tot nummis argenteis, vel æneis, ad nihil vltra obligatur: sed campsor solùm obligatus restat ad soluendum campsuario nummos argenteos, vel æneos. Cùm igitur in cambio non contrahatur obligatio ex vtraque parte, necessariò sequitur, cambium non esse verè, & propriè contractum. Etenim in nostris Commentar. ad Extrauag. Pij V. de censib. in procem. q. 7. num. 4. ob id ostendimus, quòd quamuis promittens donate, post acceptationem donans obligetur ad rei donatæ traditionem; nihilominus, quia ex parte donatarij nulla ciuilis obligatio oritur; sed naturalis tantùm ad antidora, talem donationem non esse propriè, ac verè contractum.

His tamen non obstantibus, in contra-
6 rium est communis opinio, vt patet ex iis, quæ habentur ex Caietan. opusc. de camb. cap. 6. & 7. Bann. 2.2. tract. de camb. dub. 3. Nauar. in Man. cap. 17. nūm. 291. Salon. q. 1. de camb. ar. 1. & 2. ad 2. Molin. de cōtr. disp. 396. Valent. Soto, & alijs apud Ioan. de Salas de camb. dub. 1. & Scac. de commerc. & camb. §. 1. q. 6. Probatur, quia cui competit definitio, competit etiam definitum; sed cambio competit definitio contractus; ergò cambium est verè cōtractus. Maior patet. Probatur minor; quia cambium est vltrò, citròque obligatio, iuxta contractus definitionem, ab Vlp. traditam in l. Labeo, 2. ff. de verb. signif. Obligatur enim campsor ad propriam pecuniā tradendam campsuario, & è contra campsuarius ad tradendam propriam pecuniam campsori. Et cùm cambium sit vltrò, citròque obliga-
7 tio, consequenter fit, vt talis contractus cōsistere non possit, nisi saltem inter duos pro diuersis rebus; cùm vnus ita obligetur, vt alter vicissim se obliget, iuxta ea, quę docet Molin. de contract. disp. 253. num. 4.

Vndè hac conclusione sic stante, ad con-
8 trarium patet solutio. Dicimus enim in cābio contrahi obligationem ex vtraque parte: nam siuè campsor primò det suam pecuniam in vno loco, permutatam recipiēdam in alio; siue prius recipiat: & siue campsor in cambio ad minutum dederit primò pecuniam argenteam, vel æneam, mox recepturus in eodem loco auream; vel è contra receperit auream, mox daturus argenteam, vel æneam; semper commutatio huiusmodi prouenit ex præuio pacto, & obligatione cambiendi pecuniam vnius cum pecunia alterius. Vndè illa traditio, vel acceptio pecuniæ facta per campsorem, & campsuarium est implementum prioris obligationis, qua alter alteri vicissim se obligat.

Ex hoc infertur, quòd si statuto caue-
9 tur, vt pro quolibet contractu soluatur gabella, celebrans cambium, proculdubio tenetur gabellam soluere: quia cambium est verè, & propriè contractus. Idem dicen-
10 dum est de censu consignatiuo emptionis titulo constituto: secus autem si fuerit testamento relictus, aut donatus, vel Iudicis sententia creatus; quoniam tunc non erit contractus, vt probauimus in nostris Commentar. in Extrauag. Pij V. de censib. d. q. 7. concl. 1. 2. & 3. vbi idem diximus de censu reseruatiuo cùm à promissione incipit; se-
11 cus autem si à traditione. Imo gabella non solùm deberetur pro cambio; verum etiam
12 pro recambio: quia recambium est nouum cambium, vt suo loco dicemus, quibus adde, quæ adnotauimus in dictis Commentarijs, §. 5. q. 5. num. 4.

De cambio, quænam sit contractus species. Q. X.

SVMMARIVM.

1 *Cambium esse contractum mutui, qui doceāt, recensentur.*

2 *Cambium esse contractum emptionis, ac venditionis, multi tenent.*

3 *Pecunia æstimationem secundum primarium eius vsum, ac formaliter consideratā, à lege taxatam nemini licet alterare citra Principis auctoritatem: & nisi ratio aliqua permutationis concurrat.*

4 Pe-

4 *Pecunia præsens cur pluris æstimetur, quàm absens, ratio redditur.*

5 *Pecuniæ valor variatur non solùm ratione loci; sed etiam ratione temporis.*

6 *Pecuniæ valor ratione materiæ qualiter varietur, ostenditur.*

7 *Selibra partitur in 24. caracta: quapropter aurum auro purius efficitur: sicut & argentum argento.*

8 *Pecuniæ valor variatur etiam ratione formæ.*

9 *Pecuniæ valor qualiter varietur propter cursum, explicatur.*

10 *Pecuniæ valor variatur ratione copiæ, vel inopia campsorum, vel campsuariorum.*

11 *Pecuniæ valor variatur propter periculum, ne à Principibus reprobetur.*

12 *Pecuniæ valor variatur solo Principis placito.*

13 *Pecunia formaliter sumpta, & secundum primarium eius vsum, est mensura rerum venalium: materialiter verò considerata est res quadam, & habetur loco mercis.*

14 *Pecunia materialiter considerata, & secundum secundarium eius vsum, potest locari, commodari, vendi, &c.*

15 *Cambium si contractus est emptionis, ac vēditionis, consequenter dicitur contractus nominatus, bonæ fidei, onerosus, &c.*

16 *Cambium non nulli volunt esse contractum locationis operum.*

17 *Cambium alij volunt esse commotionem quandam: verum diuisi sunt.*

18 *Cambium quidam dicunt esse contractum nominatum.*

19 *Cambium quamplurimi putant esse contractum innominatum.*

20 *Cambium non potest dici formaliter mutuum.*

21 *Cambium non est formaliter contractus locationis operum.*

22 *Cambium contractum esse emptionis, ac vēditionis, probabiliter dici potest.*

23 *Cambium non esse contractum emptionis, ac venditionis, probabilius videtur.*

24 *Pecuniæ accidit vendi.*

25 *Cambium non potest dici commutatio in specie sumpta.*

26 *Cambium esse contractum innominatum, verius nobis videtur.*

27 *Commutatio est contractus denominatus.*

28 *Cambiū est cōtractus innominatus, do, vt dēs.*

29 *Contractus innominati ea natura est, vt reduci possit ad plures nominatos, quibus magis est similis: & iuxta eos est iudicandus, ac regulandus.*

30 *Cambium antequam ab vtraque parte impleatur, licitum est ab eo recedere secundum aliquos.*

31 *Cambium antequam impleatur ex altera parte, pecuniæ data ad cambium transfertur dominium in accipientem.*

32 *Pœnitentiam locum habere in contractibus innominatis, quomodo intelligatur, ostenditur.*

33 *Præsens pecunia pluris æstimatur, quàm absens.*

34 *Cambium non est contractus bonæ fidei; sed stricti iuris.*

35 *Cambium non dicitur contractus bonæ fidei, etiam attenta dispositione nostræ Extrauag. & aliarum constitutionum Pontificiarum.*

36 *Contractus cambij, & alij omnes celebrati cum Principe sunt bonæ fidei.*

37 *Cambium dolo celebratum non est nullum ipso iure, sed venit rescindendum actione, vel exceptione doli.*

38 *Cambium si non soluatur condicto tempore, an debeatur interesse.*

39 *Iudex non potest iudicare in contractu cambij, nisi id, quod est expressum.*

40 *Cambij contractus est onerosus, vltrò citroque obligatorius.*

41 *Cambij contractus non potest celebrari nisi saltem inter duos.*

IN hac re quot homines tot sunt sen-
1 tentiæ. Nam Goffr. in sum. sub tit. de vsur. & alij volunt, contractum cambij esse contractum mutui: & propterea lucrum ex cambio non nisi vbi loco interesse succedit, licitè percipi posse. Hæc sententia probatur argumentis, quæ supra retulimus q. 8. Vndè hanc sententiam tenentes, consequēter volunt, cambium non esse contractum bonæ fidei, sed contractum stricti iuris: quia mutui contractus non connumeratur inter contractus bonæ fidei, de quibus in §. actionum, in Inst. de action. vt est emptio, venditio, locatio, societas, &c. atque ideo omnes contractus, qui non connumerantur in d. §. sunt stricti iuris, vt nos latè declarauimus in nostris Commentar. in Extrauag. Pij V. de censib.

censib.in proœm.q.8.num.2.cum plur. seq. Præterea contendentes cambium esse contractum mutui, coguntur fateri quoque, cãbium esse contractũm nominatũ; quia contractus mutui est contractus nominatus, iuxta ea, quæ adnotauimus d.q.8. à num. 16.ad 20.inclusiuè: siquidem contractus nominatus appellatur ex eo quòd habet proprium, & speciale nomen, vt emptio, venditio, locatio, &c. ad differentiam contractus innominati, qui nomen generale conuentionis retinuerant, & non habent proprium, & speciale nomen, vt do, vt des: do vt facias: facio vt des: facio vt facias, vt in l.iurisgentium, §.1.vbi Bart.& Doctor.ff. de pact.& l.naturalis, ff.de præscript. verb. Imò qui tenent, cambium esse mutuum, cõsequenter dicerent esse contractum gratuitum, non onerosum; gratia recipientis tantùm celebratum, cùm talis sit contractus mutui, vt probauimus d.q.8.num.21.& 22. & non gratia vtriusque; atque ideo nec vltro, citroque obligatorius, qualis est contractus emptionis, venditionis, locationis, societatis, &c. vt ibidem adnotauimus, num. 22. in fin.

2 Secunda sententia est Caiet.in suo opusc. de camb. cap.7. Laurent. de Rodulph.in c. consuluit, 3.p.q.1.de vsur. Bonins.cap.6. de camb. Nauar.in Man.cap.17.sub num.283. Scac.de commerc.& camb. §.1. q.4. num. 35. Bann. Ledes. & aliorum, quos refert, Ioan.de Salas in suo tract. de camb. dub.1. sub num.2. existimantium, contractum cãbij esse contractum emptionis, ac venditionis: emptionis scilicet ex parte campsoris, dantis cambio; & vẽditionis ex parte campsuarij accipientis ad cambium: & propterea pecunia eius, qui dat cãbio est pretium, & pecunia illius, qui recipit ad cambium, consignanda campsori, est res empta, & vẽdita, atque ideo obtinet locum mercis. Probatur hæc sententia; quia cum quis dat Ianuæ 66.solid.pro habendo scutum marcharum Placentiæ, is verè dicitur emere scutum illud march. Etenim pecunia dupliciter considerari potest. Primò formaliter, seu secundum primarium eius vsum, & tunc dicitur pretium rerũ venalium; atque ideo omnium rerum æstimatio, l.si ita, ff.de fideiuss. cùm primus, & proprius vsus pecuniæ sit ad emendum, & vendendum, l.1. ff. de contrah. empt. & Arist. 1.Polit. cap.6. qua propter nulli fas est ipsius æstimationem à lege taxatam excedere; nisi Populi, aut

3 Principis auctoritate, vt habetur ex D.Tho. lib.2.de Reg.m.Princ.cap.3.& Innoc.in c. quanto de iureiur. Hinc sequitur licitum non esse frumentum emere Ianuæ, augendo valorem legalem scutorum Ianuensium, aut aliarum pecuniarum, quibus emitur, nisi in huiusmodi contractu permisceatur permutatio aliqua, præciso omni dolo, vt si solutionem pretij rei emptæ conuenti in pecunia argentea, velit venditor in aurea: nam tunc emptor potest illi trade. e in scutis aureis minus quam valent centum ducati argentei, & id ratione coniunctæ permutationis, vt rectè docet Tolet.lib.5. suæ sum.cap. 51.& Reginald.lib.25. suæ prax. num.449. Secundò pecunia potest considerari materialiter, seu quoad secundarium eiusdem vsum, etiam si formaliter pecunia ipsa consideretur, vt supra diximus q.8. in resp. ad 7. nempe vt res quædam est, aurum, argentum, æs, &c. & hoc modo considerata non habet pretium taxatum, sed potest plus, & minus valere, & multipliciter variari.

4 Variatur autem pecunia primò ratione loci: quia pecunia loco remota minoris valet, quàm præsens, vt latè probat Lopez de contract. lib.2. cap.8. vbi soluit contraria: & ante ipsum Ioan.de Anania in c.nauiganti, sub num.10. vbi etiam Nauar.vers. Decimotertio, num.15.& vers. Vigesimoprimo, num.62. de vsur. Fabian. Genuen. in suo tract.de camb. c.4. sub num.53. Romoald. Coll eo.tract.cap.17.& cap.25. vers. Francesco: & alij, quos refert, & sequitur Scac. de commerc.& camb. §.1.q.1.num.424.& 432. vbi hanc esse rationem ait; quia pecunia absens periculo maiori exponitur, quàm præsens: & propterea minus valet actio, quàm res, ad quam datur actio, vt rectè probat idem Scac. loco citato, num.433.& seq. & ampliat id esse verum non solùm si pecunia sit absens quoad locum, sed etiam quoad tempus, vt in §.1 q.7. p.1. num.80. Itẽ ratione loci variatur pecunia eiusdem materiæ; quia pluris æstimatur in vno loco, quàm in alio secundum maiorem abundantiam, aut penuriam illius. Vndè scutum Toleti

leti propter abundantiam pecuniarum mi-
nus valet, quàm Romæ, vbi non est tanta
pecuniarum copia, vt habetur ex Soto lib.
6. de Iust & iur. q. 9. ar. vn. col. 1. vers. Ad in-
telligentiam.
Secundò variatur pecunia ratione tem-
5 poris. Etenim scutum aureum, scutum ar-
genteum Ianuense, Ducatum Mediolanen-
se, Florenus, &c. cursu temporis aliquando
plus valent, & aliquando minus, quamuis
sint eiusdem ponderis, & quantitatis. Imò
Romæ, Genuæ, & in non nullis locis, & Ci-
uitatibus Italiæ, & Flandriæ valor pecuniæ
numquam est certus, & determinatus; sed
semper varius, sicut aliarũ rerum venalium
pretium variari solet; & in diem videmus
noua statuta, seu nouas gridas fieri circa va-
lorem scuti aurei, & Ianuæ circa valorem
scuti argentei, vt rectè habetur per Scac. de
commerc. & camb. §. 1. q. 4. sub num. 26.
27. & 28.
Tertiò variatur pecunia ratione materię:
6 siquidem pecunia aurea pluris æstimatur,
quàm argentea: & argentea pluris, quam
ærea: nam ad plures vsus prodest aurea,
quàm argentea; & argentea quàm ærea. Sic
etiam si materia sit pretiosior; quia datur
aurum auro purius: & argentum argento
pretiosius. Hinc minerale aurum est om-
nium pretiosissimum: illud autem, quod
vulgò dicitur, di Tepusque, est omnium vi-
lissimum. vndè pondus auri tepusque æsti-
matur octo realibus; sed minerale tresde-
cim: & hoc ideo, quia prius est paucorum
caractorum: posterius verò plurimorum, vt
bene declarat Mercat. de camb. cap. 1. sub
7 num. 4. Ad cuius rei maiorem intelligen-
tiam est adnot. quòd Aurifices selibram, &
quodcunque aliud auri pondus diuidunt in
24. partes, quas caracta appellant: quando
igitur aurum est purissimum, atque ideo non
admixtum alterius metalli specie, tunc di-
citur 24. caractorum; quia huiusmodi auri
pondus omnes 24. partes habet auri, & ni-
hil alterius metalli, quale est pondus auri
mineralis; quod obrizum nuncupatur, grecè
sincerum, ac delicatum: quando verò cum
23. partibus auri pōderis est permixta pars
vna alterius metalli, illud aurum dicitur 23.
caractorum. vbi autem pondus auri cum
22. partibus auri permixtas habet duas
partes alterius metalli, vocatur aurum 22.
caractorum. Cum præterea cum 21. parti-
bus auri permixtas habet tres partes alte-
rius metalli, dicitur aurum 21. caractorum,
& sic de singulis. Quæ diximus de auro,
possunt etiam proportionaliter dici de ar-
gento, & valore illius, vt eò sit pretiosius,
quò minus admixtum habeat aliud metal-
lum: siquidem cùm argenti selibra, seu pon-
dus est purissimum, dicitur duodecim de-
nariorum: quando verò cum vndecim par-
tibus argenti permixtam habet vnam par-
tem æris, aut alterius similis metalli, nuncu-
patur argentum vndecim denariorum, &
sic de reliquis, vt latè habetur ex Molin. de
contr. disp. 400. num. 4. cum plur. seq. &
Ioan. de Salas de camb. dub. 6. Item ratio-
ne materiæ variatur pecuniæ valor; quia ta-
lis materia rara est, & non inuenitur, vel est
maioris ponderis.
Quartò variatur pecuniæ valor ratione
8 formæ, signi, siue figuræ. Etenim in vno lo-
co pecunia tali signo insignita plus valet; in
alio verò minus. Item ratione formæ varia-
tur pecuniæ valor; quia pulcra est antiqua,
& ob aliam qualitatem possidenti cara, nec
illam alienare vellet; nisi emptoris impor-
tunitate fuisset compulsus, vt rectè inquit
Tolet. lib. 5. suæ sum. c. 51.
Quintò variatur pecuniæ valor propter
9 cursum; quoniam scilicet in pluribus Re-
gnis, & locis currit; licèt sit eiusdem ponde-
ris, & mensuræ, ita vt plus valeat in vno lo-
co, quàm in alio, vt habetur ex Laurent. de
Rodulph. in c. consuluit, p. 1. q. 26. sub num.
8. & p. 2. sub num. 5. vers. Ad secundum, de
vsur. Ioan. Bapt. Lup. in c. nauiganti, §. 2. sub
num. 34. eod. tit. Hinc Florenus aureus, vel
Ducatus venetus propter suũ cursum plus
valet, quàm aureus Bononiensis, vel Duca-
tus Romanus, vt habetur per Scac. d. §. 1.
q. 4. sub num. 26.
Sextò variatur pecuniæ valor ratione
10 copiæ, vel paucitatis campsorum, & cam-
psuariorum; atque adeò dantium, vel acci-
pientium ad cambium: nam si plures cam-
psores sint, quàm campsuarij, pecuniæ va-
lor decrescit: si verò plures sint campsuarij,
quàm campsores, pecuniæ valor crescit.
Septimò variatur pecuniæ valor pro-
11 pter periculum, ne à Principibus reprobe-
tur

tur ob malam ipsius qualitatẽ, aut ob aliud accidens; quoniam tunc ob illam suspicionem poterit vilius emi, quàm valeat, vt habetur ex eodem Scac. loco citato, sub num. 28.

Octauò variatur pecuniæ valor Reip. aut
12 Principis placito, ac auctoritate: siquidem Resp. & Princeps facultatem habent taxandi pecuniæ pretium; ita vt moneta signata Principis, aut Reip. decreto pluris æstimari valeat, quàm sit auri, vel argenti valor, ac pondus: quoniam Arist. lib. 5. Ethic. cap. 5. & lib. 1. Polit. cap. 6. ait, quòd nummus lege consistit, ac suam vim retinet, non natura, vt hæc & alia latè habentur ex Lopez de contractib. lib. 2. cap. 9. Azor. par. 3. Inst. moral. lib. 10. cap. 4. q. 5. Molin. Mercat. lo. cis citatis, & ex alijs.

Cùm igitur pecunia secundũ primarium
13 eius vsum, & formaliter considerata sit mẽsura omnium rerum venalium: & considerata materialiter sit res quædam, & appellatione mercis quoque contineatur, vt per Strac. in suo tract. de mercat. p. 1. num. 75. Nauar. in c. nauiganti, vers. Dicimus, num. 51. de vsur. & Scac. d. q. 4. num. 29. & 30. atque adeo vendi potest: ergo cambium nihil aliud est, nisi contractus emptionis, ac venditionis, ita vt cùm quis dat Ianuæ 66. solidos aureos, vt recipiat Placentiæ solid. 67. 4. seu scutum march. dicitur emere scutum illud absens pretio 66. solid. & sic illi solidi 66. considerantur formaliter, & vt pretium: & scutum ipsum marchar. consideratur materialiter, seu formaliter secundum secundarium eiusdem vsum, & vt res quædam est, & loco mercis se habet. Confirmatur, quia pecunia materialiter sumpta, & se-
14 cundum secundarium eiusdem vsum considerata, potest locari, commodari, ac etiam commutari, vt habetur ex Salon. de camb. q. 1. num. 4. & ex Doctor. communi sententia: ergò potest vendi, vt post alios probat Scac. d. q. 4. num. 31. & seq. ergo cambium est contractus emptionis, ac venditionis, cùm omnia in eo concurrant, quæ ad emptionem pertinent: siquidem concurrit pecunia, vt pretium ex parte campsoris: pecunia vt res ex parte campsuarij: & consensus ex parte vtriusque; atque ideo in huiusmodi contractu concurrunt res, pretium, & cõsensus; quæ tria sunt de essentia contractus emptionis, & venditionis.

Ex hoc infertur, quòd si vera est opinio
15 supradicta se habens, cambium esse contractum emptionis, ac venditionis; necessariò dicendum est illud esse contractum bonæ fidei, cùm emptio numeretur inter contractus enumeratos in §. actionum, in Inst. de action. Et cùm contractus emptionis, ac venditionis habeat proprium, ac speciale nomen, sequitur etiam, cambium secundum hanc opinionem esse contractum nominatum, sicuti est ipsa emptio, ac venditio iuxta tex. in l. iurisgentium, in prin. ff. de pact. & per ea, quæ supra cumulauimus in relatione primæ sententiæ. Et dum in contractu emptionis, ac venditionis non habet locum pœnitentia ante implementum; eo quòd est contractus nominatus, per ea, quæ adnotauimus in Commentar. in Extrauag. Pij V. de censib. in procem. q. 8. num. 54. & seq. idem dicendum est de cambio. Et sicut cõtractus nominatus eo ipso quòd celebratur vestitur, vt in d. q. 8. num. 56. & seq. ita etiã secundum hanc ipsam opinionem dicendum est de cambio. Præterea contractus cambij cùm secundum prædictam opinionem sit contractus bonæ fidei, dolus dans ei causam efficit illum ipso iure nullum, post moram succedit obligatio ad interesse, sicut dicimus de omnibus alijs contractibus bonæ fidei, & Iudex facultatem habet iudicandi in eo ex bono, & æquo, quod sibi visum fuerit; quoniam in hoc differunt contractus bonæ fidei à contractibus stricti iuris, vt latè probauimus d. q. 8. à num. 33. ad 43. Et denique si vera est prædicta opinio, quòd cambium sit contractus emptionis, per cõsequens erit contractus onerosus, vltro citroque obligatorius; atque ideo respectiuus, qui celebrari non possit, nisi saltem inter duos; quoniam talis est emptio, & venditio, vt diximus d. q. 8. num. 59.

Tertia sententia est Syl. in sum. ver. vsu-
16 ra 4. num. 8. & aliorum asserentium, cambium esse contractum locationis operum: siquidem locans operas suas sicut mercedem iustè comparare potest, ita etiam campsor ratione obsequij, ac famulatus in seruandis pecunijs, traijciendis, &c. dicitur campsuario famulari; & propterea aliqua iusta,

iusta, ác rationabili mercede efficitur dignus. Vndè qui hanc sententiam tenent consequenter dicerent, cambium esse contractum bonę fidei, nominatum, onerosum, vltrò citròque obligatorium. Etenim locatio est contractus bonæ fidei, cùm connumeretur inter contractus, de quibus in d. §. actionum, in Inst. de action. Est etiam cōtractus nominatus, cùm habeat proprium, & peculiare nomen, l. iurisgentium, ff. de pact. Est denique onerosus, non gratuitus; sed vltrò citròque obligatorius; quia locator tenetur ad operas; conductor verò ad mercedem.

Quarta sententia est non nullorum exi-
17 stimãtium cambium nihil aliud esse quàm commutationem quandam. Verùm diuisi sunt: nã quidam volunt esse simplicē commutationē pecunię cũ pecunia, nullũ alium cōtractum habētem permixtum. Quidã verò volunt, cambium esse commutationem pecuniæ cum pecunia, habentem tamen permixtum locationis cōtractum: siquidem campsor in transferenda pecunia de loco ad locum, dicitur locare operam suam: & cùm permutet pecuniam suam cum pecunia Campsuarij, huiusmodi contractus est essentialiter commutatio. Etenim omnis contractus, in quo hinc inde transfertur rerum dominium, vel est emptio, & venditio, quę est commutatio pecunię ad rem: vel est formaliter commutatio, & hæc est permutatio rei ad rem: vel tandem est cambium, & est commutatio pecunię ad pecuniam, vt habetur ex Azor. tomo 3. Inst. moral. lib. 10. tit. de camb. cap. 5. q. 2. Vndè si vera est hæc opinio: cambium vt commutatio est, erit contractus innominatus: & vt locatio, nominatus, iuxta ea, quę nos adnotauimus in dictis nostris Commentar. in Extrauag. Pij V. in proœm. q. 8. num. 16. 17. 18. & 19. vbi locationem inter nominatos; commutationem verò inter innominatos contractus annumerauimus.

Quinta sentētia est Salon. q. 1. de camb.
18 ar. 1. & 2. & aliorum dicentium, cambium esse contractum nominatum, cui proprium nomen ab alijs distinctum, est cambium: & propterea secundum hanc opinionem ei conuenirent omnia prædicata contractus nominati, de quibus supra diximus in relatione secundæ sententiæ.

Sexta, & vltima sententia est Molin. disp.
19 396. Rebel. de oblig. it. Iust. p. 2. lib. 11. q. 1. Nauar. in c. nauiganti, num. 9. de vsur. Salon. loco citato, & aliorum, quos refert, & sequitur Ioan. de Salas in suo tract. de camb. dub. 1. sub num. 3. vers. existimo tamen, existimantium, cambium esse contractum innominatum, do vt des; à nominatis, & ab alijs innominatis diuersum. Hæ opiniones in hac re sunt extrantes, restat modo, vt quid nobis dicendum sit, videamus. Pro cuius controuersia determinatione sit igitur.

Prima Conclusio.

Cambium non potest dici verè, ac for-
20 maliter mutuum. Hæc conclusio est Caiet. in opusc. de camb. cap. 2. Conrad. q. 98. concl. 1. & q. 99. concl. 2. Salon. de camb. q. 1. Rebel. de obligat. iustit. p. 2. lib. 11. q. 1. & aliorum, quos retulimus supra q. 8. in respons. ad 3. argum. vbi quam plurimas adduximus differentias inter cambiũ, & mutuũ: & propterea sufficienter probauimus, contractum cambij non esse cōtractum mutui.

Secunda Conclusio.

Cambium non dicitur formaliter con-
21 tractus locationis operum. Hæc conclusio est Ioan. de Salas in suo tract. de camb. sub num. 3. Filliuc. tom. 2. qq. moral. tract. 35. cap. 4. q. 4. num. 344. & aliorum. Probatur primò, quia in locatione datur pretium pro vsu rei locatæ: at in cãbio nihil datur pro vsu pecunię. Secũdò in locatione non transfertur dominiũ rei locatę, sed tantũ vsus; in cãbio verò trãsfertur dominium pecuniæ, quæ cambitur, & cōmutatur cum alia. Tertiò contractus locationis, est cōtractus, facio vt des: cambium autem est contractus, do vt des: siquidem campsor dat Titio Genuæ 66. solidos aureos, vt ipse Titius det campsori Placentiæ scutum march. Dat campsor ad minutũ pecuniam ęream, vel argenteam, & recipit auream:

dat

dat pecuniam vnius Regionis, vt sibi detur pecunia alterius Regionis, Prouinciæ, vel Regni. Denique licèt cambium, in quo campsor accipit prius, vt alibi reddat, possit dici secundum quid contractus locationis; quoniam censetur pecuniam alterius ex vno loco in alium traijcere: quæ opera est pretio digna; nihilominus non potest dici simpliciter talis: quia campsor vt plurimum dat in vno loco pecuniam, vt in alio recipiat: & propterea non dicitur traijcere alterius pecuniam; atque ideo dans ad cambium non potest dici locare operas suas; sed potius recipiens, cùm alibi debeat restituere, & habeatur loco pecuniæ deferentis, vt rectè post alios inquit Less. lib. 2. de Iust. & iur. cap. 23. dub. 1. sub num. 4. Non tamen negamus quin in cambio concurrat campsoris opus in coaceruandis, & asseruandis pecunijs ad cambium dandis: & propterea potest appellari talis contractus quodammodo mixtus cum locatione; simpliciter tamẽ non potest dici talis, cùm ex alijs causis per se primò pretium cambij recipiatur, vt infra, Deo duce, latius suo loco dicemus.

Tertia Conclusio.

22 PRobabilis est sententia eorum, qui volunt contractum cambij esse contractũ emptionis, ac venditionis. Pro hac opinione faciunt rationes, quas supra adduximus ad probandam secundam sententiam Confirmatur hęc ipsa conclusio: quia pecunia propter solum cursum plus valet, quamuis eiusdem ponderis, & bonitatis, vt patet in Ducato veneto, qui propter solum cursum plus valet, quàm Romanus, vt habetur ex Scac. de commerc. & camb. §. 1. q. 4. sub num. 35. Denique quilibet contractus, in quo fit mentio pretij, non habens conditiones contractui emptionis, ac venditionis repugnantes, reputandus est contractus emptionis, ac venditionis, vt habetur ex eodem Scac. loco citato, sub num. 21. & §. 9. num 32. Sed contractus cambij est huiusmodi, ergo, &c. Minor patet, quia quando Titius v. g. dat 500. aureos in auro Genuæ Sempronio pro pretio scutorum 510. march. soluendorum in primis Nundinis Placentiæ procuratori præfati Titij, dantur litteræ tenoris sequentis. *A Meuio Procuratore de Titio, in Piacenza, fiera de santi. A pagamenti prossimi de fiera de santi, pagate per questa prima de cambio à Titio, ò à suo Procuratore scuti 510. di marche, per la valuta hauuta nel cartulario della gabella de cambij da esso Titio, e ponete à conto mio; à Dio. Vostro Sempronio.* Nota verba illa *per la valuta*, quoniam idem significant, quòd pro pretio, vt habetur ex ipso Scac. d. §. 9 sub num. 29. si igitur in hoc cambij contractu fit mentio de pretio, & non adsunt conditiones repugnantes contractui venditionis: ergò contractus ipse in dubio dicendus est contractus empt. ac vendit.

23 Dixi, quòd supradicta sententia est probabilis; quoniam contraria opinio, quòd cambium non sit contractus emptionis, & venditionis, non est improbabilis; imò fortè est probabilior. Probatur, quia non desunt Doctores magni ponderis, qui volunt, contractum cambij esse contractui emptionis, ac venditionis valdè similem, vt habetur ex Bonins. in suo tract. de camb. cap. 6. num. 7. Molin. de contract. disp. 397. num. 5. Filliuc. tom. 2. qq. moral. tract. 35. cap. 4. q. 2. concl. 2. num. 342. & ex alijs: ergò cãbium non potest dici formaliter contractus empt. ac vendit. Siquidem nihil simile est idem, l. quod Nerua, ff. depos. Secundò emptio, seu venditio perficitur consensu absque rei traditione: at cambium non perficitur nisi pecuniarum traditione, vt in l. 1. ff. de rer. permut. Quod quidem adeò verum est, vt Nauar. in c. nauiganti num. 9. de vsur. quem refert Ioan. de Salas de camb. dub. 1. num. 4. velit, ante cambij ex vtraquè parte impletionem, licitum esse ab eo recedere, sicut à cæteris innominatis contractibus. Vnde Bart. in l. 2. C. de rer. permut. ait non transferri dominium ante quã is, qui accepit, ex sua quoque parte contractum adimpleat: quamuis contrarium quoad cambium saltem in foro conscientiæ teneat, Rebel. p. 2. de oblig. Iust. lib. 11. q 1. num. 10. relatus à Ioan. de Salas loco citato. Denique probatur hæc eadem sententia; quoniam emptio, seu venditio est commutatio pecunię ad rem: cambium verò est com-

commutatio pecuniæ cum pecunia.

Nec obstat, quòd campsor cùm dat Ge-
24 nuæ 66. solidos aureos, vt recipiat scutum marcharum Placentiæ, verè dicitur pecunia præsenti formaliter sumpta, & vt pretium, ac mensura rerum venalium emere pecuniam absentem existentem Placentiæ, non vt pecuniam formaliter secundum primarium eiusdem vsum; sed vt res est, & merx quædam, & sic materialiter, & secundum secundarium ipsius vsum, iuxta ea quæ supra adnotauimus in relatione secundæ sententiæ: quoniam respondetur, quòd licèt cambium sub hac formalitate consideratum, sit emptionis, ac venditionis contractui valdè simile; nihilominus, quia accidit pecuniæ vendi, cùm id fit contra primarium eiusdem vsum; simpliciter non potest dici contractus emptionis, ac venditionis, vt colligitur ex ijs, quæ adnotantur ex Salon. de camb. quæst. 1. artic. 2. num. 4. & Boninſ. eod. tract. cap. 3. Vndè his sic stantibus, ex ijs potest facilè responderi ad contraria: siquidem illa nihil aliud videntur probare; nisi cambium esse contractui emptionis, ac venditionis valdè simile; non tamen illud dici posse formaliter emptionem, ac venditionem.

Quarta Conclusio.

25 Cambium non dicitur commutatio verè, ac propriè, formaliter, & in specie sumpta. Probatur, quia commutatio formaliter sumpta, est commutatio rei, quæ non est pecunia, ad rem, quæ pecunia non sit, l. 1. ff. de rer. permutat. At in cambio fit commutatio pecuniæ cum pecunia. Nec obstat, si dicatur, quòd pecunia habet duplicem vsum: primarium scilicet, secundum quem dicitur pretium, & mensura rerum venalium: & secundarium, prout consideratur vt res quædam est: quapropter in cambio potest considerari pecunia secundum secundarium ipsius vsum, materialiter, & vt res quædam; atque ideo cambium verè diceretur commutatio rei ad rem, & sic vera, ac formalis permutatio: quoniam respondetur, quòd licèt id verum sit; attamen quia talis vsus secundarius accidit pecuniæ, vt conclus. præcedenti diximus, meritò cambium non potest dici verè, ac formaliter permutatio; sed tantùm largo modo, sicut in præcedenti conclusione ostendimus ob id contractum cambij non posse appellari verum, ac formalem contractum emptionis, ac venditionis.

Quinta Conclusio.

26 Omnium supra allatarum opinionum probabilissima videtur illa, quæ se habet, contractum cambij esse contractum innominatum; non autem nominatum. Hæc conclusio est Nauar. in c. nauiganti, num. 9. de vsur. Lup. ibidem, §. 2. num. 79. Molin. de contract. dispur. 253. num. 9. & 10. & disp. 396. sub num. 2. Less. lib. 2. de Iustit. & iur. cap. 23. dub. 1. sub num. 4. Salon. de camb. quæst. 1. artic. 1. Filliuc. tom. 2. quæstion. moral. tract. 35. cap. 4. quæst. 4. conclus. 3. num. 348. & aliorum. Probatur hæc conclusio, quia contractus innominatus dicitur, qui non habet proprium, & peculiare nomen; sed generale commutationis nomen sibi retinet. Siquidem antiquitus antequam pecuniæ vsus fuerit adinuentus, omnes contractus cõmutatione perficiebãtur, qua vna res cum alia commutabatur, vt in l. 1. ff. de contrahend. emption. itaque permutatio est generale nomen, comprehendens contractus tàm nominatos, quàm innominatos: nam venditio nihil aliud est, quàm commutatio; pecuniæ scilicet ad rem, & nihilominus est contractus nominatus, ex eo dictus quòd habeat proprium, & speciale nomen. Et commutatio strictè considerata, quæ pro-
27 priè est rei ad rem, secundum sententiam magis receptam dicitur contractus innominatus, vt per Bart. & alios, in l. naturalis, ff. de præscript. verb. Rebell. par. 1. de obligat. iustit. lib. 1. quæst. 1. sec. 2. & nos diximus in nostris Commentar. in Extrauag. Pij Quinti de censib. in procem. quæst. 8. num. 17. & 18.

D Vn-

Vndè cambium cùm inspecta vocabuli significatione, idem sit, quod commutatio: eo quòd cambium deriuatur à verbo campso, id est permuto, vt in cap. 1. §. si quis Dominus, in lib. fendi sub tit. quo tempor. mil. & in cap. 1. §. cùm autem, de contr. inuestit. Hinc fit, cambium esse contractum innominatum, sicut ipsa commutatio: eo magis, quia vt dicunt Bald. in d. §. cùm autem, & Iaf. in l. 1. colum. vltim. ff. de rer. permut. cambium non solùm significat commutationem speciei ad speciem; sed speciei ad genus, & generis ad genus: & propterea campsor idem denotat, quod permutator: quod quidem nomen est valdè vsitatum apud Iurisperitos, vt habetur ex Tiraquell. & alijs, quos refert Couar. tom. 2. in tract. de collat. numis. cap. 7. & Salon. de camb. quæst. 1. artic. 1. vbi testatur, hanc contractus speciem non sub nomine cambij, sed sub nomine commutationis, ac permutationis Phylosophos agnouisse. Idem constat ex antiquis Theologis, vt habetur ex D. Thom. 2. 2. quæst. 77. artic. 1. & ex Recentioribus de hac re tractantibus, qui omnes vtuntur nomine cambij pro commutatione pecuniæ cum pecunia; quamuis cambium, vt supra diximus, sit nomen genericũ conueniens etiam commutationi rei cum re, quæ dicitur formaliter permutatio.

Secundò probatur hæc ipsa conclu-
28 sio; quia cambium non est contractus nominatus; ergo est contractus innominatus. Clara consequentia. Probatur antecedens; quoniam si esset contractus nominatus, cùm sit respectiuus, esset vtique emptio, seu venditio, mutuum, aut locatio, vel formaliter commutatio: sed cambium non dicitur propriè, ac formaliter aliquis contractus ex supra relatis, vt supra latè probauimus: ergò necessariò sequitur esse contractum innominatum: non facio vt facias; non do vt facias; non facio vt des: quia in tali contractu non promittitur factum, sed tantùm datur pecunia pro pecunia: ergo est contractus innominatus, do vt des.

Denique probatur eadem conclusio ex
29 ipsa opinionum varietate, cùm in hac re quot homines (vt ita dicam) tot sunt sententiæ: imò ipsemet Sylu. loco citato, Nauar. d. cap. nauiganti, & in Man. cap. 17. num. 283. & alij aliquando inquiunt, cambium esse venditionem: interdum locationem, & conductionem: quandoque commutationem ab alijs contractibus distinctam. Vndè cum cambium sit contractus, vt supra diximus, necesse est, vt sit vna determinata contractus species: & propterea cùm non possit dari contractus aliquis qui simul sit emptio, venditio, locatio, conductio, mutuum, & formaliter commutatio; dicendum est esse contractum innominatum: quia contractus innominati ea natura est, vt possit reduci ad plures nominatos, quibus magis est similis, & iuxta eos est iudicandus, ac regulandus, vt rectè docet Molin. de contract. disput. 253. sub num. 9. Et quoniam contractus cambij valdè similis est supradictis contractibus, præsertim emptioni, ac venditioni, & commutationi, & ad illos potest reduci, vt rectè explicat Less. lib. 2. de Iustit. & iur. cap. 23. dub. 1. Salas de camb. dub. 1. Filliuc. tom. 2. quæstion. moral. cap. 4. quæst. 2. num. 341. meritò secundum illos est regulandus.

Ex hoc infertur primò, quòd contra-
30 ctus cambij cùm sit contractus innominatus, ante cambij ex vtraque parte impletionem, licitum esse ab eo recedere, vt habetur ex Nauar. in cap. nauiganti, num. 9. de vsur. quem refert Ioan. de Salas de camb. dub. 1. num. 4. Etenim hæc est differentia inter contractum nominatum, & innominatum, quòd ex contractu nominato ante implementum oritur obligatio naturalis, & ciuilis; & propterea in eo non habet locum pœnitentia, nec potest alter ex contrahentibus ab illo resilire; vt in l. Iulianus, §. offerri, ff. de action. emption. & vendit. atque ideo tàm in foro externo, quàm interno non licèt, altera parte repugnante, ab huiusmodi contractu recedere, exceptis contractibus mandati, societatis, depositi, ac præcarij: siquidem contractus nominati sunt talis naturæ, vt statim, ac celebrantur,

vim

vim habeat obligandi, vt rectè declarat Rebell. par. 2. de obligat. Iust. lib. 10. quæst. 1. num. 17. At in contractu innominato fas est saltem de iure Cæsareo, re integra, ab eo discedere; atque ideò permittitur vni ex contrahentibus repetere id, quod dedit, quamdiù alter non adimplet; modo seruatur indemnis, si fortè sumptus aliquos fecerit præparando se ad impletionem, vt per Rebell. loco citato, & lib. 1. quæst. 3. sec. 1. sub num. 5. & seq. & latius Molin. de contract. disp. 258. num. 2. cum plur. seq. Imò quidam putant ex contractibus innominatis saltem respectiuis, non modo ciuilem, sed nec naturalem quidem obligationem oriri ante implementum, vt per Bald. in l. petens, C. de pact. & ex alijs nos probauimus in dictis nostris Commentar. in Extrauag. Pij V. de censib. in proœm. quęst. 8. num. 54. & 55. vbi eam esse rationem diximus; quia in contractibus innominatis inest tacita conditio seruandi pactum, si & alius seruauerit: & propterea si vnus fidem frangat, fides frangitur eidem, atque ideò alius repetere potest, quod dedit: ita vt ex parte eius, qui non dum impleuit non est locus pœnitentiæ: siquidem competit actio ei, qui adimpleuit aduersus alium, vt cogat eum implere: vel si implere non possit, cogat illum ad solutionem interesse, aut ad restitutionem accepti ad libitum, qui impleuit, vt rectè declarat Molin. d. disp. 258. sub num. 3. & latè Scac. de commerc. & camb. §. 2. Glos. 5. sub num. 447. cum plur. seq. vbi rem hanc multipliciter ampliat, & limitat.

Secundò infertur secundum aliquos,
31 quòd per cambium, cùm sit contractus innominatus non transfertur dominium pecuniæ ad cambium acceptæ, antequam is, qui accipit ex sua quoque parte cambium adimpleat; cùm in contractibus innominatis habeat locum pœnitentia, vt supra diximus. Sed hæc sententia non placet Molin. de contractib. disp. 396. sub num. 8. per tex. in l. cum precibus, C. de rer. permut. & Rebell. d. quæst. 1. num. 10. & in cambio consuetudine receptum esse, ait Ioan. de Salas de camb. dub. 1. sub num. 4. circa medium, vt is, qui pecunias accepit, tanquam suas distrahere possit, ac si per mutuum illas accepisset. Etenim, ait Molina loco citato, peculiare tantùm esse in emptione, ac venditione, vt non transferatur dominium rei venditæ per traditionem, nisi soluatur pretium, offeratur, habeatur pro soluto, aut fides de eo, vt in §. venditæ, in Instit. de rer. diuis. l. procuratoris, §. planè, ff. de tributar. act. Latè Molin. eo. tract. disp. 338. num. 7. At in permutatione, cambio, & similibus traditione transfertur dominium, præcedente titulo, exceptis casibus à iure
32 expressis. Nec obstat, quod in contractibus innominatis habet locum pœnitentia, vt supra diximus; quoniam id verum est re integra; quando scilicet à neutro ex contrahentibus contractus adimpletur: secus autem si ex altera tantùm parte, vt supra ostendimus ex eodem Molin. d. disp. 258. sub num. 3. Vel secundò respondent alij, in contractibus innominatis habere locum pœnitentiam, quando ita constat de voluntate contrahentium; aliàs secus: vel iura id statuentia habere locum in foro externo; non autem in foro interno, vt per eundem Ioan. de Salas, loco citato, num. 5. Sed prior solutio nobis videtur verior.

Tertiò infertur, quòd contractus inno-
33 minatus cùm ea natura sit, vt reduci possit ad plures nominatos, quibus magis est similis, & iuxta eos sit regulandus, cambij contractus dum emptioni, seu venditioni sit valdè similis, vt supra ostendimus, hinc fit, vt sicut merces loco distantes vilius emuntur, quàm præsentes; ita etiam pecunia absens vilius æstimatur, quàm præsens; atque ideò licitè dantur aurei 58. Florentiæ; vt recipiantur 59. Lugduni, vt ait Bonins. de camb. cap. 6. sub num. 13. ex Caietan. Sylu. & alijs, & nos latius supra diximus. Præterea in emptione, ac venditione requiritur, vt pretium sit æquale rei emptæ, cùm reguletur secundum iustitiam commutatiuam, quæ consistit in æqualitate rei ad rem, vt ait Aristot. 5. Ethic. Et in cambio quoque hanc eandem æqualitatem inter datum, & acceptum esse seruandam docet Nauar. in Man. cap. 17. num. 294. Less. lib. 2. de Iust. & iur. cap. 23. dub. 1. sub num. 4. in fin. Vndè quæstio de cambio an sit contractus no-

nominatus, vel innominatus parum refert quoad iustitiam, vel iniustitiam contractus, vt per Nauar. & Less. locis citatis, Ioan. de Salas de camb. dub. 1. sub num. 3. Scac. de commerc. & camb. §. 1. q. 4. num. 36. & §. 9. sub num. 32.

Sexta Conclusio.

34 Cambij contractus non est contractus bonæ fidei, sed stricti iuris. Probatur, quia cambium non connumeratur inter cõtractus bonę fidei, de quibus in §. actionum, in Inst. de action. Ergo est contractus stricti iuris, nam omnes contractus sunt stricti iuris, qui in d. §. actionum, non connumerantur inter bonæ fidei, vt habetur ex Molin. de contractib. disp. 259. sub num. 2. Nec obstat si dicatur, quòd ex permutatione datur actio bonæ fidei, vt ostendimus in dictis nostris Commentar. in Extrauag. Pij V. de censib. in procem. quæst. 8. sub num. 2. cum plur. seq. quoniam nos conclusimus supra conclus. 4. contractum cambij non esse formaliter commutationem, sed commutationi similem; cùm commutatio formaliter sumpta sit rei ad rem: cambium verò sit pecuniæ cum pecunia. Eadem ratione cambium non potest dici contractus bonæ fidei ex eo quòd sit emptioni, ac venditioni valdè similis: quoniam nihil simile est idem, l. quod Nerua, ff. depos. Confirmatur; quia cambij contractus est de vsura valdè suspectus; ergò non potest esse contractus bonæ fidei, sed omnino est contractus stricti iuris. Etenim si cambium esset contractus bonæ fidei, iudex plenam circa eundem haberet potestatem, & de facili daretur occasio malis hominibus fœnerandi. vndè ob fœnoris periculum excluduntur à numero contractuum bonæ fidei, mutuum, & census consignatiuus, licèt fuerit emptionis titulo comparatus, vt latè probauimus in supra relatis Commentar. d. q. 8. num. 7. & 8. & num. 23. cum plur. seq.

35 Ampliatur hæc conclusio, vt cambij contractus non sit bonæ fidei, sed stricti iuris, non solùm attenta dispositione iuris communis tàm Cæsarij, quàm Canonici; & propterea eo iure sublatam esse differentiam inter contractus bonæ fidei, ac stricti iuris; verùm etiam, attenta dispositione Pontificiatum Extrauag. & Bullar. quoniam nec nostra Decretalis, nec aliæ Pontificiæ constitutiones decreuerunt, contractum cambij esse contractum bonæ fidei: & ideò cambia omnia sunt stricti iuris.

36 Sic ampliata limitatur eadem conclusio, vt locum non habeat in contractu cambij celebrato cum Principe; siquidem omnis contractus celebratus cum Principe, est bonæ fidei, itaut ex bono, & æquo plenius debeat interpretari: & non standum verbis, ac dispositioni contrahentium, quantum iustitia patitur, sicut standum est in contractibus stricti iuris, vt ostendimus d. quæst. 8. num. 2. & 3. Etenim Principes in omnibus debent probitatis exemplum ostendere: & ideo in eius contractibus proceditur summariè, simpliciter, & de plano, sola facti veritate inspecta, vt per Bald. in cap. 1. §. 1. de nou. for. fidel. & alios, quos refert, & sequitur P. Molf. par. 2. suæ sum. tract. 12. cap. 4. num. 62. & 63. & nos latius de hac re d. q. 8. num. 29. vbi id ampliauimus quoque in Repub. cùm militer eadem ratio, argument. text. in l. illud, ff. ad leg. Aquil.

37 Ex hoc infertur primò, quòd contractus cambij cùm sit stricti iuris, non autem bonæ fidei, si cambium celebretur dolo dante causam contractui, nõ erit nullus ipso iure; sed actione, seu exceptione doli rescindetur: siquidem hæc est differentia inter contractus stricti iuris, & bonæ fidei, quòd in contractibus bonæ fidei dolus dans causam contractui, illum irritat ipso iure, vt in l. eleganter, in princ. ff. de dol. l. 3. §. vlr. ff. pro soc. l. si dolo, C. de rescind. vendit. l. si fraude, C. de præscript. At in contractibus stricti iuris si dolus dederit causam contractui, contractus non est nullus ipso iure, sed venit rescindendus actione, seu exceptione doli, vt in l. si quis cùm aliter, ff. de verb. obligat. l. dolo C. de inutilib. stipulat. latè Doctor. in §. actionum, in Inst. de action. Molin. de contract. disp. 259. num. 5. Felic. de sol. de censib. in procem. c. 3. sub num. 8. & nos latè de hac re egimus in d. quæst. 8. num.

num.34.in proœm.Cõmentar.in Extrauag. Pij V. de censib. vbi num.35. ex Molin. loco citato, vers. Illud, diximus etiam; hãc distinctionem inter contractus bonę fidei, & stricti iuris locum habere quoad forum exterius tantùm; non autem quoad forum interius: quia in foro conscientiæ dolus dans causam cõtractui, illum irritat, siue sit bonę fidei, siue stricti iuris: eo quòd deficit consensus, cùm ratione doli contractus non dicatur omnino voluntarius.

Secundò infertur, quòd cambium cùm
38 sit cõtractus stricti iuris, si campsuarius fuerit in mora soluendi cambium, condicto loco, & tempore, non tenetur aliquid amplius ratione moræ campsori soluere, nisi aliter probet interfuisse. Etenim licèt in contractibus bonę fidei debeantur vsurę commodi percepti compensatiuæ, & damni restauratiuæ à die moræ, quas licitas esse probauimus d.q.8.à num. 11. ad 15. per tex. in l. mora, §. in bonæ fidei, ff. de vsur. & l. Iulianus, §. ex rendito, ff. de action. empt. in contractibus tamen stricti iuris vsuræ non veniunt: si aliundè non interfit, quàm ex mora debitoris, vt in contractu census, eo quòd sit stricti iuris ostendimus, d.q.8.num. 36.

Tertiò infertur, quòd in contractu cam-
39 bij Iudex non potest iudicare nisi iuxta id, quod in ipso contractu fuit expressum: eo quò d id est proprium contractus stricti iuris: & in hoc differt à contractu bonę fidei, in quo iudex facultatem habet iudicãdi ex bono, & ęquo, quod sibi visum fuerit, vt in §. bonæ fidei, & ibi Doctor. in Inst. de action. Molin. de contract. disp. 259. sub num.3. Et sic in contractibus bonæ fidei lata fit interpretatio, vt diximus d. q. 8. num. 2. & 40. de contractu census consignatiui tractantes, & num. 41. & seq. contraria soluentes.

Septima Conclusio.

40 Cambij contractus est onerosus, vltro, citroque obligatorius, ac respectiuus. Hęc conclusio patet ex ijs, quæ supra cumulauimus, q.9. dum ostendimus, cambium esse verè, ac propriè contractum onerosum, vltro, citroque obligatorium, iuxta definitionem contractus traditam in l. Labeo, 2. ff. de verb. signif. Etenim campsor tenetur suã pecuniam campsuario tradere, & campsuarius è conuerso suam. Et cùm vicissim obligentur campsor, & campsuarius, hinc fit, huiusmodi contractum esse respectiuam, iuxta ea, quæ habentur ex Molin. de contract. disp.253. sub num.4. Ex quo deducitur, quòd contractus cambij cùm sit respectiuus non potest celebrari, nisi saltem inter duos pro diuersis rebus, cùm vnus ita obligetur, vt alter vicissim se obliget. Obligatur, inquam, campsor ad propriam pecuniam tradendam campsuario, & è conuerso campsuarius ad tradẽdum propriam pecuniam campsori: quibus adde ea, quæ diximus de censu consignatiuo in d. q. 8. in fin. in nostris Commentar. ad Extrauag. Pij V. de censibus.

De Definitione, ac Origine cambij. Q. XI.

SVMMARIVM.

1 *Cambij definitio traditur.*
2 *Contractus innominatus est essentialiter cõmutatio.*
3 *Commutatio est genus conueniens non solùm innominatis; sed etiam nominatis contractibus.*
4 *Commutatio formaliter sumpta, & sic rei ad rem, licèt sit contractus innominatus; nihilominus cùm res datur in pretium alterius, est contractus nominatus emptionis, ac venditionis.*
5 *Cambium est generale nomen complectens triplicem commutationem, nempe pecuniæ ad rem, atque ideo emptionem, ac venditionem: rei ad rem, quæ est formaliter commutatio: & pecuniæ ad pecuniam, quæ vocatur cambium.*
6 *Naturali iure omnia sunt communia: & iure tantùm gentium rerum dominia fuerunt distincta.*
7 *Commutatio, emptio, ac venditio, cambium, & alij contractus ortum habuerunt ex iure gentium; ita vt commutatio sit emptione antiquior: & emptio prior cambio.*

8 *Pecunia, & numus cur ita appellentur, declaratur.*

9 *Cambij origo traditur.*

10 *Cambium cur lucrosa, seu negotiatoria commutatio dicatur.*

11 *Cambium quomodo distinguatur à contractu emptionis, & venditionis, & à commutatione formaliter considerata, explicatur.*

12 *Pecunia habet duplicem vsum: per se scilicet, seu primarium; & per accidens, & sic secundarium.*

13 *Cambium ad minutum dumtaxat, & non aliud apud Romanos fuisse in vsu, non nulli volunt.*

14 *Pecuniæ vsus per accidens est multiplex.*

15 *Pecuniarum in cambio an vna dicatur alterius pretium, explicatur.*

1 QVæ nam sit cambij definitio, ex adnotatis in præcedenti quæstione facilè colligitur. Etenim cambium nihil aliud est, quam commutatio lucrosa pecuniæ cum pecunia, vt patet ex ijs, quæ habentur ex Tolet. lib. 5. suæ sum. cap. 50. Lopez de contract. lib. 2. cap. 1. de definit. ac diuis. camb. sub num. 2. Reginal. lib. 25. suæ prax. num. 438. & ex alijs.

2 Dixi. *Commutatio*, quoniam in præcedenti quæstione probauimus, cambium esse contractum innominatum: at omnis contractus innominatus est essentialiter commutatio. Nam aut est commutatio rei ad opus, vt do vt facias, do centum vt seruum manumittas: aut est commutatio operis ad rem, facio, vt des, vt domum tibi construo, vt des centum tali Ecclesiæ: aut est commutatio operis ad opus, facio vt facias, vt custodiam tuum viridarium, vt domum mihi construas: aut denique est commutatio rei ad rem, do vt des, vt do tibi equum, vt des mihi bouem: qui quidem contractus est formaliter commutatio: sicut & cambium dicitur, cùm commutatio fiat pecuniæ cum pecunia, nempe cùm do pecuniam auream, vt accipiam argenteam: vel do scutum aureum Genuę, vt des scutum march. Placentiæ.

Dixi, *Commutatio*. loco generis, quo-

3 niam commutatio, do, vt des, conuenit non solùm contractibus innominatis; verum etiam nominatis. Etenim commutatio pecuniæ ad rem, est emptio, seu venditio, vt in l. 1. ff. de contrah. empt. qui quidem contractus est nominatus, vt in præcedenti q. ostendimus: & commutatio rei ad rem, est formaliter permutatio, quam inter contractus innominatos connumerauimus q. citata. Imò hæc commutatio rei ad rem, cùm vna res datur in pretium alterius, potest dici quoque emptionis, seu ven-

4 ditionis contractus. Etenim Gen. cap. 21. legitur Abraham emisse ab Abimalech Rege Palestinorum aquam cuiusdam putei pro septem agnis: & cap. 33. eiusdem lib. Iacob. emit agrum pro cêtum agnis. Commutatio denique pecuniæ cum pecunia appellatur cambium; quod quidem gene-

5 rale nomen complectitur triplicem illam commutationem: nempe rei ad rem, pretij ad rem, & pecuniæ ad pecuniam. Prima commutatio est omnino naturalis, & simpliciter fuit necessaria ante numismaris inuentionem. Secunda deflectit aliquantulum à sinceritate naturæ, quamuis licita sit, si aliunde non vitietur. Tertia tandem est minus naturalis, & ortum habuit à varietate numismatum, & à varijs eorum pretijs in diuersis Prouincijs, ac Regionibus. Et quoniam eius vsus maximè excreuit, factum est, vt licèt cambium generale sit nomen, omnia commutationum genera sub se complectens, atque ideo emptionem, seu venditionem, permutationem rei ad rem, &c. nihilominus sola pecuniæ cum pecunia commutatio, cambij nomen sibi vendicauit, & ita nomen generis sibi retinuit, & contractus dicitur innominatus, iuxta ea, quæ supra adnotauimus, q. præced. concl. 5. quibus adde etiam; quæ habentur ex Scac. de commerc. & camb. §. 1. q. 4. num. 1. & 2. Vndè permutatio antiquior est emptione: & emptio antiquior cambio.

6 Pro cuius rei clariori intelligentia est adnot. quòd licèt naturali iure omnia communia esse dicerentur; nihilominus, quia communio discordiam parit, iure gentium fuit introductum, vt rerum dominia distinguerentur; ex quo omnes ferè contractus ortum habuerunt, vt emptio, venditio, locatio,

catio, conductio, societas, depositum, mutuum, &c. cæt. vt in §. ius autem gentuum, in Institution. de iure naturæ gent. & ciuili. Ex huiusmodi dominiorum
7 distinctione factum est, vt quæ vnus affluenter haberet, alteri deessent: qua propter Gentes res; quas possidebant inuicem permutare cæperunt; quo permutationis contractu vnus alteri ea conferebat, quibus ipse locuples erat, & alter indigebat. vndè abundans frumento, & indigens oleo, v.g. dabat frumentum pro oleo: & copiam habens bouum, ouium, ac vini, carens melle, equis, indumentis, dabat boues, oues, ac vinum pro melle, equis, & indumentis. Et quoniam stante rerum inæqualitate, vt agni ad bouem, oleris ad equum, &c. citra difficultatem maximam non comperiebantur homines, qui singula potuissent pro singulis permutare; idcirco Gentes materiam quandam sibi constituerũt; nempe aurum, argentum, æs, & cætera eiusmodi, cum quibus res omnes permutari valuissent; atque ideo pro tali mensura olei, vini, aut frumenti, pro boue, agno, &c. tantum ponderis auri, argenti, aut æris dabatur. vndè permutationem omnium ferè contractuum antiquissimam fuisse constat.

8 Deinde ad euitandas quamplurimas difficultates, quæ ex tali commutatione oriebatur; nempe ponderis, ac mensuræ necessitatem, examen qualitatis auri, vel argenti; cùm aurum auro, & argentum argento purius inueniatur, vt quæst. proxima explicauimus, publica auctoritate fuit constitutum, vt in huiusmodi materia imago aliqua imprimeretur, quæ auri, argenti, vel æris quantitatem, vel qualitatem indicaret. Hæc autem materia ita signata numus dicebatur à nomu græcè, idest lege, vt ait Aristot. lib. 1. Ethic. cap. 5. quasi Politica lege, ac auctoritate impressa, atque signata, vt esset pretium, ac mensura publica omnium rerum venalium, vt in d.l. 1. ff. de contrahen. empt. idem Aristor. Polit. lib. 1. cap. 6. D. Thom. lib. 2. de Regim. Principum cap. 13. Dicitur etiam numus, pecunia; quia apud Romanos pecudum caractere signabatur, vt habetur ex Plin. lib. 33. cap. 3. Pecunia igitur commutabantur res, & commutantur; atque ideo expeditius commercium exercetur: hæc autem commutatio pecuniæ ad rem hodie appellatur emptio, ac venditio: qua propter emptionis, ac venditionis contractus est tempore posterior commutatione rei ad rem, cum ab ea originem traxerit, vt in d.l. 1. ff. de contrahend. empt.

9 Denique, numismate adinuento, considerantes Gentes, non omnes pecunias esse rationis eiusdem; sed in specie, quantitate, ac qualitate differentes, cùm aliæ aureæ sint, aliæ argenteæ: aliæ ex ære, aliæ ex ferro, ac plumbo: imò Mercat. de camb. cap. 1. sub num. 1. & sequen. testatur in Indiarum insulis vidisse quasdam monetarum species ex quodam genere fructus constitutas, qui vulgariter dicitur *Cacat*. Item pecuniæ aliæ sunt maiores: aliæ minores: aliquæ plus valent in vna Prouincia, quàm in alia, & aliæ recipiuntur in vno loco, sed non in alio; idcirco cæperunt cambio incumbere pecuniam cum pecunia commutantes, primò ad res emendas aureas pro argenteis, vel æreis, pecunias maioris valoris pro pecunia minoris: deinde verò pecunias vnius Prouinciæ pro pecunijs alterius, ad quam se collaturi erant: & ita esse cæpit tertia commutationis species, quæ dicitur pecuniæ cum pecunia, & retinens nomen sui generis communiter appellatur cambium. Quiquidem contractus, quamuis à principio fuerit adinuentus ad commutandas pecunias vnius loci in pecunias alterius, vbi illæ priores non expendebantur, Mercatores tamen pecunias suas in alium asportantes, videntes illas ibi plus valere, quàm apud suos, & è conuerso, atque ideo ob id lucrum, ac commodum consequi posse, ab insatiabili pecuniarum cupiditate tracti cæperunt cambiorum lucro incumbere, & sic pecunias tàm diuersas, quàm eiusdem rationis commutare. Vndè artem campsoriam casu fuisse adinuentam ait Arist. & alij, quos refert Salon. de camb. quæst. 1. ar. 1. num. 3. Latè Mercat. loco citato, & Romoal. col. eod. tract. c. 1. in fin.

10 Dixi, *Lucrosa*. quoniam non nulli cambium

bium lucrosam commutationem appellãt, vt habetur ex Reginal. lib. 25. suæ prax. num. 438. eo quòd illa pecuniæ cum pecunia commutatio dicitur propriè cambium, quæ spem lucri secum affert. Vndè cambium Tolet. lib. 5. suæ sum. cap. 50. negotiatoriam commutationem vocat. Non tamen ob id excluderem à ratione cambij commutationem pecuniæ cum pecunia gratis factam: quoniam illa spes lucri concurrit, vt plurimum, & ferè semper; idcirco fuit à Tolet. cambij definitioni addita dictio illa, negotiatoria, & à Reginaldo dictio, lucrosa, quæ idem denotat; ex quo in moralibus attenditur id, quod frequentius accidit, l. nam ad ea, ff. de legib.

Dixi, *pecunia*. loco differentiæ, vt distin-
11 guatur à commutatione propriè dicta, ac formaliter considerata, quæ est rei ad rem, quarum neutra est pecunia: & ab emptione, ac venditione, quæ est pecuniæ ad rem, & ab alijs contractibus, vt supra declarauimus.

Dixi, *pecunia cum pecunia*. quoniam pe-
12 cunia, vt superiori q. declarauimus ex Arist. lib. 1. Polit. cap. 6. habet duplicem vsum, alter dicitur per se; alter verò per accidens; Prior vsus subdiuiditur in primarium, quatenus est pretium rerum venalium, cùm ad hunc finem primariò fuerit adinuentus: & in secundarium, vt commutetur vnum numisma cum alio: qui quidem vsus appellatur per se; quia huiusmodi vsus conuenit etiam pecuniæ formaliter consideratæ, vt pecunia est: nam non commutatur, vt aurum, & argentum; sed vt pecunia est. Dicitur autem secundarius: siquidem pecunia fuit primò adinuēta, vt pretium esset rerum venalium: verùm quia non omnis pecunia est adæquatum pretium cuiuscunque rei: idcirco opus fuit, vnam pro alia commutare; atque ideo ex eo cæpit introduci primò
13 cambium ad minutum, quo permutantur monetæ maiores cum minoribus, & è contra; seruata tamen ęqualitate compensationis inter pecuniarum diuersitates. Et hæc est ratio cur apud antiquos præsertim Romanos non reperitur in vsu extitisse, nisi huiusmodi cambium ad minutum, de quo infra suo loco dicemus, vt habetur ex Ioan. Bapt. Lup. in c. nauiganti, S. 2. sub num. 46. & 47. de vsur. meritò igitur talis vsus dicitur per se, & secundarius. exemplum posuit Arist. in calceo, cuius primarius vsus est incalceatio: quia per se primò ad calceandum fuit adinuentus: & secundarius, qualis est venditio, commutatio, accommodario, locatio, &c. quia calceus venditur, commutatur, commodatur, locatur, &c.

Per accidens denique pecuniæ vsus est
14 multiplex, cùm materialiter consideratur: vt aurum scilicet, argentum, aut aliud metallum est. vndè pecunia aurea tot habet vsus per accidens, quot ex auro, vt aurum est haberi possunt: est enim vtilis ad deaurandum, ad ostentationem, & alios vsus, de quibus late Salon. de camb. q. 1. art. 2. num. 4. vbi etiam ait, quòd hac ratione potest in pignus etiam dari; imò ait Tolet. lib. 5. suæ sum. cap. 50. & 51. potest emi, vendi, commutari, & locari.

Et quamuis aliqui velint, huic definitio-
15 ni esse addenda hæc verba, *Quarum neutra est pretium alterius determinatè*. eo quòd cambium cum sit commutationis species, non potest assignari ratio cur vna pecunia sit pretium alterius; sicut si commutatur liber cum ense non est maior ratio cur liber sit pretium determinatum ensis, & è contrario: nihilominus, quia multi tenent, cambium esse contractum emptionis, ac venditionis, quorum opinionem, q. præcedenti diximus esse valdè probabilem: vel saltem esse contractum venditioni, ac emptioni valdè similem; atque adeò volunt, ex parte campsoris dantis cambio, pecuniam esse pretium; respectu verò campsuarij accipientis cambio, pecuniam esse rem, & obtinere locum mercis; idcirco, dicta verba duximus in cambij definitione superuacanea esse: tanto magis, quia Doctores cambia maximè per nundinas explicant vt contractus emptionis, ac venditionis.

De Diuisione cambij. Q. XII.

SVMMARIVM.

1 *Cambium diuiditur in reale, & siccum.*
2 *Cambium reale est vera, ac realis commutatio pecuniæ cum pecunia.*
3 *Cambium siccum non est verè cambium, sed fictum, & apparens.*

4 Cam-

4 *Cambium reale, & ſiccum æquiuocè tantùm conueniunt; non autem vniuocè.*
5 *Cambium reale ſubdiuiditur in cambium ad minutum, & per litteras.*
6 *Cambium ad minutum cur dicatur ſimplex ac manuale, declaratur.*
7 *In moralibus attenditur id, quod frequentius accidit.*
8 *Cambium per litteras, ſeu mixtum, quid ſit, & cur ita dicatur, oſtenditur.*
9 *Cambium per litteras multipliciter ſubdiuiditur.*

1 Cambij diuiſio, & ſi multipliciter à Doctor. afferatur, vt videre eſt apud Cõrad. de contract. q. 99. Medin. de reb. per vſur. acquiſ. q. 5. Sot. lib. 6. de Iuſt. & iur. q. 8. ar. 1. Nauar. in Man. cap. 17. ſub num. 283. & in c. nauiganti, num. 10. de vſur. Azor. p. 3. Inſt. moral. lib. 10. cap. 2. Lopez lib. 2. inſtruct. cap. 1. de defin. ac diuiſ. camb. ſub num. 3. verſ. Prҫterea poſt cambij. Ioan. Bapt. Lup. in d. c. nauigãti, §. 2. ſub num. 53. Molin. de contract. diſp. 398, num. 7. Scac. de commerc. & camb. §. 1. q. 5. Salon. Tolet. & alios, quos refert P. Molſ. p. 2. ſuæ ſum. tract. 12. cap. 7. num. 24. & 25. Reginald. lib. 25. ſuҫ prax. num. 438. Ioan. de Salas de camb. dub. 2. & Filliuc. tom. 2. qq. moral. tract 35. cap. 4. q. 7. & 8. nihilominus ſumma eiuſdem camb j diuiſio hҫc eſt, quòd cambium communiter partitur in reale, & ſiccum.

2 Reale cambium eſt vera, ac realis commutatio pecuniҫ cum pecunia: & dicitur reale, quia non tantùm nomine appellatur cambium; ſed etiam re, & ex ſui natura tale eſt, non autem fictum, atque ſimulatum; atque ideò licitè ex eo vltra ſortem incremẽtum aliquod percipitur. Vel dicitur reale ex Mercat. de camb. cap. 2. ſub num. 6. circa medium; quia proprium eſt Regum, ac Principum litteras dare adeò ſecuras, efficaces, & quaſi infallibiles ad earum effectum ſortiendum, magis quàm ſi plures eſſent ſcripturæ publicæ.

3 Siccum verò cambium nõ eſt verè cambium; ſed apparens, ac ſolùm nomine dicitur tale: quoniam in re eſt mutuum vſurarium, cambij pallio indutum, & pro eo nullum incrementum vltra ſortem percipi poteſt, cùm incrementum illud ex ſola temporis dilatione intendatur. Et dicitur ſiccum, quaſi humorem non habens, & carens ſucco ad lucri fructus producẽdos: eo quod iuſtum titulum non habet, quo lucrum ex eo iuſtè percipi poſſit. Vndè ſicut arbor ſicca, quæ vitale caret humore videtur arbor, cùm re vera talis non ſit, cùm fructus ferre non valeat; ita huiuſmodi cambium appellatur ſiccum; quia videtur cambium, cùm re vera tale non ſit, lucrum aliquod iuſtè parere inſufficiens. Hinc Pius V. in noſtra Decretali infra §. 1. damnans omnia cambia ſicca, cambium ſiccum, cambium fictum, ac ſimulatum appellat: ſiquidẽ vſurarij confingentes cambij contractum celebrare, re vera non cambiunt, ſed lucrum ex mutuo, & in pretium mutui percipiunt; atque ideo huiuſmodi cambia ex diametro opponuntur, & differunt inter ſe, ſicut verũ à falſo, iuſtum ab iniuſto, vt latè habetur ex Ioan. Bapt. Lup. ac Molin. locis ſupra citatis; qui reprobãt opinionem eorum, qui dicunt, cambium ſiccum eſſe, quo campſor prius dat, vt cum incremento poſtea recipiat, eſtò receptio futura ſit in loco diſtanti, vt nos etiam falſam eſſe infra ſuo loco §. 1. Deo duce, oſtendemus. Etenim ſiccum re vera tunc dicitur cambium quotieſcunque in eo habetur ratio temporis, & non loci. Ex quibus patet, quòd cambium ſiccum, &
4 reale æquiuocè tantùm conueniunt, non autem vniuocè; quoniam licèt nomen habeant commune; rationem tamen habent diuerſam, iuxta definitionem ҫquiuocorum traditam ab Ariſtot. in ante prædicam. in prin.

5 Diuiditur autem reale cambium in cambium ad minutum ſimplex, ſeu manuale: & in cambium per litteras, ſeu mixtum ſecundum aliquos. Cambium ad minutum eſt pecuniҫ prҫſentis cum prҫſenti commutatio; atque ideo fit in eodem loco: & dicitur ad minutum; quoniam minuta numiſmata cum maioribus, & è contra ſҫpe commutantur: quæ quidem numiſmatum commutatio, vt plurimum fit in parua quantitate, vt habetur ex Merc. de camb. cap. 1. num. 5. Scac. de commerc. & camb. §. 1. q. 5. ſub num. 23. & ex alijs, vndè ij, qui arti cambiendi ad minutum inſeruiunt, ob id non Banchàrij, ſed

sed Bancharotti vulgò appellantur, vt per Fabian. Genuen. de camb. in prin. num. 4. Dicitur etiam simplex huiusmodi cābium,
6 vel ex eo quòd fit sine litteris, iuxta ea, quę habentur ex Fabiano loco citato, p. 1. num. 2. 3. & 4. & p. 2. cap. 4. num. 53. circa finem. vel ex eo secundum alios, quòd cū eo nullus alius admisceatur contractus. Vocatur denique manuale: quoniam celebratur pręsēti, & ad manum pecunia citra litterarum adminiculum: quæ quidem commutatio si aliquando fieri contingat in magna pecu-
7 niarum quantitate; non tamen ob id sequitur non dici cambium ad minutum; quia in moralibus attenditur, quod frequentius accidit, l. nam ad ea, ff. de legib. Imò quia hoc solùm cambium apud Antiquos erat in vsu, vt testatur Ioan. Bapt. Lup. in c. nauiganti, §. 2. num. 4. & 5. de vsur. & est antiquissimū, eo quòd habuit originē ab initio, quo fuit adinuentus pecuniarum vsus, vt habetur ex Romoal. Col. de camb. cap. 4. idcirco, inspecta sui origine, in quauis pecuniarū quātitate celebretur, cambij ad minutum nomen sibi retinet, vt per eundem Scac. loco citato, num. 24.

Cambium verò per litteras, seu mixtum
8 secundum aliquos, illud dicitur, per quod fit commutatio pecuniæ præsentis cum pecunia loco absenti: & dicitur mixtum ex eo quod non est simplex, sed alium cōtractum habet sibi adiunctum. Etenim Titius v. g. vbi dat campsori 100. aureos Placentiæ, vt illos sibi soluat Romæ, in hoc cambio duplex contractus inest: alter cambij, quo fit commutatio pecuniæ præsentis cum absenti: & alter locationis, quo campsor locat Titio suam operam in traijciēdo pecuniam ipsius Titij à Placentia Romam. Quamquidem rationem quamuis aliqui velint, non posse verificari in omnibus cambijs per litteras, sed in eo tantùm cambio, in quo cāpsor accipit prius, vt alibi reddat, non autem vbi prius dat, vt alibi recipiat, vt habetur ex Less. lib. 2. de Iust. & iur. cap. 23. dub. 1. sub num. 4. & alijs. nihilominus potest dici mixtum omne cambiū per litteras, quatenus campsor suam operam impendit in congregandis pecunijs, asseruandis, ac numerandis in vtilitatem campsariorum. Imò hac eadem ratione si res ipsa rectè perpendatur, cambium ad minutum dicendum est non minus mixtum, quàm cambium per litteras: siquidem in illo cambio interuenit commutatio pecuniæ præsentis cum præsenti, & campsor locat operam suam in cōgregandis pecunijs, asseruandis, & numerandis ad vtilitatem eorum, qui cambio ac-
9 cipiunt. Hoc autem cambium per litteras dupliciter fieri contingit; nempe de loco ad locum, & ad nundinas. Cambium per litteras de loco ad locum subdiuiditur in cambium, in quo campsor prius accipit pecuniam in vno loco à campsario, restituturus in alio: & in cambium, in quo campsor dat pecuniam in vno loco recepturus in alio. Cambium verò ad nundinas fit tripliciter, nempe de loco ad nundinas: de nundinis ad locum: & de nundinis ad diuersas loco nundinas. De quibus omnibus, Deo duce, infra §. 1. latè agemus. Hoc autem loco de cambio tantum ad minutum tractabimus.

De iustitia cambij ad minutum, seu manualis. Q. XIII.

SVMMARIVM.

1 *Campsores realia cambia exercētes, quidam dicuntur ex officio, qui propriè Nummularij, seu Bancharij, & depositarij appellantur: quidam verò sunt persona priuata, siue ad minutum sint, siue per litteras.*

2 *Campsorum, seu Numulariorum, & Depositariorum duæ sunt species.*

3 *Cambium ad minutum est licitum, & Reip. valdè vtile, ac necessarium.*

4 *Cambium ad minutum adeo est licitum, vt in ea nulla possit cadere vsura.*

5 *Cambium ad minutum est licitum, siue fiat pecunia expendibilis in aliam in vno, & eodem loco expendibilem: siue fiat pecunia expendibilis in aliam in tali loco non expendibilem.*

6 *Cambium ad minutum ad sui iustitiam exigit, quòd seruetur æqualitas in valore monetarum, & campsor sit sua iusta mercede contentus.*

7 *Cambium ad minutum est actus iustitia commutatiuæ, sicut reliqua cambia.*

8 *Campsores obligati ad cambiendum possunt*

pro

pro mercede consequi aliquid aliud supra stipendium à lege taxatum.

9 *Campsores ex officio ratione cambij ad minutum licitè consequi possunt incrementum aliquod, non solum vna, sed pluribus ex causis, & titulis.*

10 *Campsores ad minutum stipendium merentur, siue dent pecuniam auream, vel argenteam pro area, siue dent aream pro aurea, vel argentea.*

11 *Campsores Depositarij ex officio licitè quoque stipendium recipiunt.*

12 *Campsores Depositarij, qui soluunt pro eo, qui apud ipsos pecuniam depositam non habent, possunt ab eo consequi dimidium scuti pro singulis centum, paulò plus, vel minus in præmium obligationis.*

13 *Fideiussor in aliquo contractu adhibitus, pro fideiussione citra culpam potest incrementum aliquod consequi.*

14 *Campsores Depositarij non possunt stipendium aliquod percipere à creditoribus eorum, qui pecunias apud ipsos deposuerunt.*

15 *Mutuantes ex officio, an & quando stipendium aliquod recipere possint.*

16 *Lucrum perceptum ex mutuo ob obligationem mutuandi non est vsurarium.*

17 *Campsores Depositarij, si stipendium eis cõstitutum sit à Repub. non possunt consequi stipendium aliquod ab alijs: & idem dicendum est de mutuantibus ex officio.*

18 *Campsores, & mutuantes ex officio vt supra possunt pignus accipere in data pecunia securitatem.*

AD huius rei explicationem est adnot.
1 ex Romoal. Col. in suo tract. de camb.
cap. 29. 33. & 34. Salon. eo. tract. q. 3. art.
vnico de camb. ad minut. vers. Obseruemus: & q. 4. ar. 1. vers. Cambium ratione Officij: & vers. cambium ratione custodiæ, Scac. de commerc. & camb. §. 1. q. 7. p. 2. ampl. 3. per totam, & ex alijs, quòd ex campsoribus cambia realia exercentibus, quidã illa exercent tanquàm ex officio, domos, officinas, mensas, & varia pecuniarum genera parata, & exposita habentes cuicunque cambire volenti: quidam verò sunt cãpsores, qui non ex officio pecunias cambiunt, sed occasione aliqua cambiendi ipsis oblata. Vtrique autem campsores, siue ex officio tales sint, siue non; sed sunt personæ priuatæ, diuiduntur in campsores ad minutum, & in campsores per litteras. Imò ad nundinas non solùm pecuniarum, verùm etiam, & mercium solent concurre mercatores aliqui, qui scientes in eis multas merces fore emẽdas, & emptores pecunijs indigere, mediante publica auctoritate, ac facultate à Magistratibus eis tributa, officinã aperiunt, parant mensas, ingentemque pecuniarum quantitarem exponunt, offerentes se, ac obligantes ad conferendam pecuniam omnibus mercatoribus ad nundinas illas concurrenribus: ea tamen lege, vt cambium soluant iuxta commune pretium fori ex eo loco, in quo tales nundinæ fiunt, & pecunia recipitur, in eum locum, vbi illa à campsuario restitui debet, & insuper aliquod aliud incrementũ ratione dictæ obligationis. Quiquidem campsores appellantur propriè Numularij, seu Bancherij, & ex officio dicuntur tales, vt ex Arist. lib. 1. Polit. cap. 6. Couar. & alijs probat Ioan. de Salas in suo tract. de camb. dub. 1 sub num.
1. Dantur quoque campsores, Numulari,
2 seu Bancherij, depositarij, apud quos deponũtur mercatorum pecuniæ, & à quibus redduntur ijs, quibus à pecuniarum Dominis fuerit ordinatum, aliquid ratione custodiæ, ac laboris, quem sustinent in eiusmodi pecunijs custodiendis, & soluendis litteris, quæ illis soluendæ traduntur, recipientes. Horum Depositariorũ adhuc duæ sunt species: nam quidam dicuntur depositarij ex publico officio, Reip. ac Magistratibus sufficientem caurionẽ præstanres pro custodiendis, ac fidelirer soluendis pecunijs apud ipsos depositis citra omne stipẽdium, atque ideo gratis: quidam verò non sunr depositarij ex publico officio, sed personæ priuatæ custodientes mercatorum pecunias, & illas soluentes, quibus mercatores ipsi præceperint; pro quorum custodia, & eorum laboribus incrementum aliquod ad boni viri, & expertorum arbitrium eisdẽ soluitur, vt habetur ex Romoal. Col. Salon. & alijs Doctor. supra relatis. His breuiter sic adnotatis in hac re duo faciemus. Primò certa ab incertis separabimus. Secũdò dubia per suas qq. diluemus. Circa primum igitur sit.

Pri-

Prima Conclusio.

3 Certum est apud omnes, cambium ad minutum esse licitum. Probatur, quia huiusmodi cambium Reip. est valdè vtile, ac necessarium, tum ad facilius comparandas res venales parui valoris, ac eleemosynas pauperibus elargiendas: tum etiam ad commodius traijciendas pecunias ex vno loco ad alium. Ita Contad. de contr.q.99. Bann. 2. 2. tom. 2.de camb. concl.2.difficul. 1.Sor.lib.6.de iust.& iur.q.9.ar.vnico, Couar. de collat. numism. cap. 7. num. 4. Nauar.in Man.cap.17.num. 288. Reginal. lib.25.suæ prax num. 444. Scac. de commerc. & camb. §.1.q.5.num. 21. & 22.P. Molf.p.2.suæ sum.tract.12.cap.7. num.28. Ioan.de Salas de camb. dub.3. sub num. 1. cum alijs innumeris ferè, quos allegant, dicentes, hoc cambium esse verum, & proprium cambium, omnium antiquissimum. Rationes autem pro hac conclusione patebunt ex infra dicendis.

4 Ampliatur hæc cōclusio primò, vt cambium ad minutum adeò sit licitum, vt in eo nulla possit vsura cadere: siquidem in tali cambio mutuum nec explicitum, nec implicitum considerari potest, cùm nulla cōcurrat temporis dilatio, quam necessariò mutuum exigit: at vbi mutuum non interuenit contractus numquam potest dici vsurarius: cùm vsura sit lucrum ex mutuo, seu in pretium mutui, ac vsus rei mutuatæ. vt rectè declarat Scac.d.q.5.sub num.22.vers. Hoc cambium est.

5 Secundò ampliatur, vt cambium ad minutum sit licitum, siue fiat pecuniæ expendibilis in aliam in vno, & eodem loco expēdibilem: siue fiat pecuniæ expendibilis in aliam in tali loco non expendibilem, nec receptam: & siue fiat pecuniæ aureæ in auream: siue aureæ in argenteam, vel æream, & è cōtra: quoniam campsor id agit in gratiam campsuarij, & multos habet titulos, propter quos potest ex huiusmodi cambio lucrum consequi, vt habetur ex Molin. de contr. disp. 399. Lopez lib. 2. Instr. cap. 1. Ioan. de Salas eo. tract. libro 3. Romoald. Col. de camb. cap. 4. Filliuc. tom. 2. qq. moral. tract. 35. cap. 5. per totum, & nos infra dicemus concl. 3. & q. 1. q.

6 Sic ampliata limitatur eadem conclusio, vt ita demum cambium ad minutum sit licitum, si duæ concurrant conditiones: quarum prima est, vt seruetur æqualitas in valore monetarum, quæ cum bio dantur, vt infra dicemus concl. 2. eo quòd campsor non plus incrementi pro sua mercede percipiat, quàm à Reip. sit taxatum, à consuetudine, vel à peritis in hoc exercitio fuerit probatum, vt habetur ex Romoald. Col. loco citato, cap. 4. vnde quamuis in cambio minuto non possit interuenire vsura, vt supra diximus, in eo tamen potest cadere iniustitia, si non seruetur æqualitas, vel fiat excessus in mercede recipienda, vt habetur ex Medina tom. 2 tit. de reb. per vsur. acquis. q. 9. in princ. quem refert, & sequitur Scac. d. q. 5. sub num. 22.

Secunda Conclusio.

7 Certum est cambium ad minutum, sicut reliqua cambia realia, cùm sint contractus innominati, & præcipuè reducantur ad contractus permutationis, seu emptionis, ac venditionis, vt q. 10. supra ostendimus; atque ideo sint actus iustitiæ commutatiuæ, quemadmodum in contractu vēditionis, & in alijs commutationibus, vt contractus iustus censeatur, necesse est, vt interueniat æqualitas, ac commensuratio inter id, quod datur, & id pro quo datur ita in cambio seruanda est æqualitas circa valorem monetarum, quæ sunt commutandæ; itaut tanti valoris sit, quod datur, quanti id, quod recipitur: & quod campsor ratione cambij non recipiat à campsuario aliquod incrementum vltra suam mercedem, à lege, vel à consuetudine, & communi hominum vsu, vel Periti iudicio taxatā, vt supra probauimus, q. præced. limit. vnica ex Romoal. Col. & ex alijs Doctor. supra citatis: quibus adde Filliuc. d. tract. 35. cap. 5. q. 4. num. 362. & Bonac. de contr. disp. 3. q. 1. p. vnico, propos. 2. sub num. 3.

8 Est tamen verum, quòd quando campsores se obligant alicui Reip. seu Magistratui, aut aliquibus particularibus mercatoribus illius

illius Reip. seu alterius loci ad cambiendum quocunque volente, cùm huiusmodi campsores remaneant sic obligati, possunt cambire non solùm pro mercede currenti; sed etiam pro maiori in aliqua moderata quantitate à peritis in arte taxata, cùm hæc obligatio pretio sit æstimabilis: secus si non esset obligatio; quoniam eo casu citra iniustitiam non posset excedere mercedem, lege, consuetudine, vel Peritorum in arte iudicio constitutam, vt patet ex ijs, quæ habentur ex Scac. de commerc. & camb. §. 1. q. 7. p. 2. ampl. 1. num. 5. & ex infra dicendis, q. seq. clarius patebit.

Tertia Conclusio.

9 Certum est, campsorem ex officio, ratione cambij ad minutum licitè percipere posse à campsuarijs incrementum aliquod, concurrentibus conditionibus in proxima conclusione relatis, vt habetur ex Valēt. 2. 2. disp. 5. q. 23. p. 4. & ex alijs, quos refert, & sequitur Ioan. de Salas, de camb. dub. 3. num. 2. Etenim officium sic susceptum includit obligationem cambiendi, & campsores huiusmodi pericula subeunt, obsequia impendunt in vtilitatem eorum, qui cambio accipiunt, labores sustinent in pecunijs varij generis congregandis, conquirendis, & asseruandis, ac numerandis in gratiam cambio accipientium. Item campsores ad minutum incrementum illud percipere possunt ratione interesse. Dant enim sæpe sæpius pecuniam auream, vel argenteam, & recipiunt æream: dant aliquando pecunias vbi maiorem æstimationem habent, alias in alio loco paruæ æstimationis recipientes: & quandoque dant pecuniam pulcram, expendibilem, recepturi veterem, & inespendibilem. Item dant scutum auri purissimi 24. caractorum, vt recipiant scutum aureum inferioris ligæ, qui quamuis habeat eūdem valorem legalem; est tamen minoris pretij ratione materiæ: denique dant pecuniam antiquam, & raram, recipientes nouam, vt latè habetur ex Filliuc. d. cap. 5. q. 5. num. 361. & Molf. tract. 12. cap. 7. num. 28. Hæc omnia cùm tendant in obsequium, beneficium, & vtilitatem campsariorum, & ad ea exhibenda campsores ipsi non teneantur, nisi ratione officij, sunt proculdubio pretio æstimabilia: & ideo ratione talis cambij possunt iure incrementū aliquod percipere, vt habetur ex Doctorib. supra citatis, & ex Less. lib. 2. de Iust. & iur. cap. 23. dub. 2. Mercat. de camb. cap. 2. Molin. de contract. disp. 399. & ex alijs.

Ampliatur hæc conclusio, vt locum sibi
10 vendicet siue campsor auream pecuniam det, vt æream recipiat, aut magnam pro minuta: siue è contra minutam pro magna, aut æream pro aurea, vel argentea cambiat. Nam quamuis cùm dat auream, & magnā, recepturus æream, argenteam, ac minutam plures habeat causas exigendi lucrū, quàm cùm dat æream, & minutam, & recipiat auream, & magnam; nihilominus semper ius habet percipiendi lucrum in mercedem sui officij, propter pericula, labores, & expensas in officio præstando, & ob obsequium, quod in alium confert, cùm vtrumque fiat in gratiam cambio petentis: siquidem qui dat auream, vt æream, & minutam monetam recipiat, proculdubio ærea, ac minuta indiget ad minutas res comparandas, & non aurea, vt rectè inquit Ioan. de Salas de camb. dub. 3. sub num. 2. vers. Notat autem, vbi contraria soluit, & ante ipsum Less. loco citato, Graff. tom. 1. decis. lib. 2. cap. 110. num. 12. & alij. Vndè Gabr. in 4. sent. d. 15. q. 11. ar. 2. ait, quòd campsor cùm dat auream pro ærea, exigit duos, vel tres nummos; cùm verò dat æream pro aurea, recipit vnum.

Secundò ampliatur eadem conclusio, vt
11 quæ diximus de campsoribus ex officio locum sibi vendicent in campsoribus Depositarijs ex officio. Hi enim mercedem merentur pro custodia pecuniarum, quas apud se depositas habent, & pro alijs laboribus in pecunijs numerandis: & insuper si campsor depositarius est ex officio, ratione officij debetur ei maius stipendium: nam officium sic susceptum includit obligationem suscipiendi deposito mercatorum pecunias, & periculis se exponit, iuxta ea, quæ supra adnotauimus ad probandam nostram conclusionem. Quòd si Depositarius non sit ex officio, tunc, quia non habet tot titulos, minorem mercedem meretur.

Est tamen verum, quòd quando campsor
12 depositarius soluit pro illis, qui nõ habent
apud ipsum campsorem pecunias, tunc potest
ab eis percipere dimidium scuti pro
singulis centum, aut paulò plus, vel minus
in præmium obligationis, quam in se suscipit
soluendi pro prædictis; quoniam huiusmodi
obligatio est pretio æstimabilis: & fideiussor
in aliquo contractu adhibitus citra
13 omnem culpam potest pro fideiussione
emolumentum aliquod accipere, vt habetur
ex Calcan.cons.35.num.11. Mant.de
tacit.& ambig.conuent.lib.6. tit.6. num.6.
& alijs apud Gaspar. Roder. de ann. redit.
lib.2.q.12.num.8.cum plur.seq quam sententiam
communem esse tractatur Cenc.
de cẽsib.p.2.c.1.q.2,num.7. & nos latè de
hac re egimus in nostris Cõment.in Extrauag.Pij
V.de censib.§.3.q 13.sub num.20.
Ex hoc patet quid dicendum sit de Depositarijs,
seu Bancharijs, recipientibus in
Nũdinis aureos sex pro singulis mille. Etenim
quãuis Medina Instit. Confess. in declar.7.mãd.§
24.putet huiusmodi Depositarios
illicitè eos sibi retinere posse; nihilominus
contrariũ sentiũt Sot. lib.6. de Iust.
& iure, q.11.ar. vnico, Lopez lib.2. Instr.c.
1.p.2.q.2. & Nauar.in c.nauigãti, num.38.
de vsur. quos refert, & sequitur Vega in sua
sum. de cãb. casu 43. Et id non alia ratione
nisi quia huiusmodi Depositarij, seu Bãcharij
se habẽt loco fideiussorũ. Imò præfati Bãcharij,
qui pecunijs apud eos depositatis
vtuntur ad negotiandũ, & ex eis lucrũ recipiunt,
id licitè consecuntur; dummodò non
exauriãt Banchum; ita vt nequeãt remissas,
quæ ipsis fierẽt, statim soluere, nec pecunias
depositatas exponant negotijs periculosis;
aliàs peccarent; quamuis lucrum sibi ipsis,
non autem Deponentibus quærant, vt rectè
declarat Merc.lib.4.de contr. c.14. relatus
à Vega vbi supra c.42.

Non tamen Depositarius potest stipen-
14 dium aliquod accipere à creditoribus eorum,
qui pecunias apud ipsum deposuerunt:
siquidem Depositarius vbi soluit nomine
eorum, qui pecunias deposuerunt, suis creditoribus,
representat personam debitoris.
Debitor autem non potest à suo creditore
mercedem aliquam recipere ob sui debiti
solutionem; ergò nec depositarius: quod
quidem quomodo procedat, latè explicat
Nauar. in d.c.nauiganti, num.37. de vsur.
Vega loco citato, & Romoal. Col. de cãb.
cap.34. vbi etiam inquit, non esse licitum
huiusmodi Depositarijs aliquid percipere
ratione anticipatæ solutionis, vel ratione
solutionis in pecunia numerata, & non in
litteris, vt habetur ex Lopez de cõtr. lib.2.
cap.2.concl.2. vers. Quæritur ergo: vbi rem
hanc tripliciter limitat. Latè Vega loco citato,
cas.44. vbi etiam è contra damnat Deponentes,
percipientes emolumentum aliquod
à Depositarijs.

Tertiò ampliatur dicta conclusio, vt lo-
15 cum habeat non tantùm in campsoribus, &
Depositarijs, vt supra; verùm etiam in mutuantibus
per officium, seu ex officio, vt
cùm Resp. v.g. constituit officium mutuandi
egentibus, constituto aliquo incremento
à mutuatario huiusmodi officiali; siquidẽ
incrementum illud licitè consequi potest in
mercedem sui operis, & propter obligationem
mutuandi, vt habetur ex Nauar. in c.
nauiganti, num. 16. & 17. vers. Septimò
quia, ibi, Quarto quia, de vsur. & in Man.
cap.17. num. 282. de vsur. circa cambia,
Salon.de camb.q.4.art.3. contr.1. num.3.
vers. Ex his tamen, & num.5. vers. Sit prima,
latè Scac. de commerc. & camb. §.1.
q.7.p.2. ampl.1. Etenim quamuis accipere
16 lucrum ex mutuo sit vsura, vt in c. consuluit,
vbi Doctor.de vsur. nihilominus percipere
lucrum pro obligatione mutuandi non
est vsurarium, nec iniustum; quoniam obligatio
illa mutuandi est pretio æstimabilis.
Non tamen hæc ars mutuataria est in vniuersum
in Repub. introducenda: quia de facili
aperietur via fraudibus, ac vsuris, vt habetur
ex Scac. loco citato, vers. Non obstat,
& vers. Quia respondeo.

Sic ampliata limitatur ipsa conclusio, vt
17 tunc campsores, Depositarij, & mutuantes
ex officio vt supra, mercedem aliquam percipere
possint, quando à Repub. stipendium
aliquod eis non fuerit constitutum; aliàs secus,
vt rectè aduertit Moln. de contract.
disp.399. sub num.3. Romoal. Col. de cãb.
cap.4. vers. Nota secundò. Est tamen verum,
quòd huiusmodi campsores ad minu-
18 tum si cambiant pecunia præsenti, & altera
absenti; oblata tamen tanquam præsenti,
aut

aut cambiant per litteras, possunt recipere pignus sicut mutuantes ex officio ad instar Montis Pietatis: quoniam illa obligatio generaliter iniuncta, seu suscepta ad cambiendum, vel mutuandum cuique, intelligitur, dato pignore, vel idonea fideiussione: aliàs talis institutio, & obligatio esset ad perdendum potiusquàm ad cambiendum, ac mutuandum: siquidem multi mutuo, vel cambio acciperent, ad restituendum impotentes, vt rectè aduertit Scac. d. ampl. 1. in fin. Hæc adeò vera sunt, vt discussione non egeant; difficultas modò est de duabus sequentibus controuersijs.

An qui campsoris officio publico non fungitur possit lucrum ex cambio ad minutum licitè percipere. Q. XIV.

SVMMARIVM.

1 *Cambium ad minutum exercentes non ex officio, sed tanquam personas priuatas, non posse ratione talis cambij incrementum aliquod consequi, qui doceant, recensentur.*

2 *Pecuniæ pretium à lege definitum nulli fas est preterire citra Principis, aut Reip. placitum.*

3 *Pretium legale in indiuisibili consistit, sicut pretium mercium, & citra violationem iustitiæ non alteratur.*

4 *Campsor licèt sit persona priuata, & non ex officio; licitè tamen ex cambio ad minutum mercedem aliquam consequi potest.*

5 *Communis extat Mercatorum consuetudo cambiendi ad minutum supra pretium legale.*

6 *Consuetudine potest induci, quod per legem statui potest.*

7 *Indemnem se seruare in omni contractu cuicunque licet.*

8 *Campsor ad minutum licèt sit persona priuata; habet tamen plures titulos percipiendi lucrum aliquod ex tali cambio.*

9 *Pecunia ex auro purissimo deseruit ad plures vsus ratione materiæ, quàm argentea, & argentea, quàm ærea.*

10 *Commoditas ementis non auget pretium rei venditæ.*

11 *Pecunia aurea an possit pro pluribus argenteis, quàm eius æstimatio valeat, commutari, declaratur.*

12 *Pecunias exteras an quis Artificibus vendere possit maiori pretio, quàm sit earum taxa facta à Principe.*

13 *Ducatus Florentinus est supra alios expendibilis.*

14 *Pecunia campsoris si sit pulcra, eidem delectabilis, & cara, potest commutari supra legale eius pretium.*

15 *Campsor licèt sit persona priuata, ratione periculi potest incrementum aliquod consequi supra legale pretium pecuniæ commutatæ.*

16 *Campsor ad minutum quamuis sit persona priuata, ratione affectionis, quam habet ad pecuniam commutatam, potest incrementum aliquod percipere.*

17 *Campsor ad minutum ex officio maius stipendium potest ex cambio percipere, quàm persona priuata.*

18 *Princeps non intendit pecuniam taxare secundum omnem rationem, & ad omnem vsum, quem habere potest; sed solùm, vt est mensura rerum venalium, & solutionis debitorum.*

19 *Pecunia quoad vsum secundarium potest citra Principis auctoritatem alterari.*

20 *Campsor priuatus potest ex cambio ad minutum incrementum consequi tàm in Prouincijs, in quibus monetæ omnes habent pretium lege, aut consuetudine definitum, quàm in alijs Prouincijs, in quibus præfinitum non habent.*

21 *Campsor priuatus potest ex cambio ad minutum stipendium percipere, etiam si nullum sibi lucrum cesset, nec damnum emergat.*

22 *Campsor priuatus potest licitè ex cambio ad minutum stipendium quærere, etiam si pecunia consideretur secundum primarium eius vsum.*

23 *Pecunia pretiosa cum alia minus pretiosa commutari potest, accepto maiori pretio, quàm sit legale.*

24 *Pecunia quo casu commutari possit supra pretium ipsius legale, declaratur.*

25 *Vendens res suas in pecunijs minutis, potest carius vendere.*

26 *Procurator, seu Economus, qui pecunias aureas accepit à Domino ad satisfaciendum operarijs, an & quando cum lucro sibi comparando possit eas cambire, & in pecunijs minutis illis satisfacere.*

27 *Princeps potest pluris numismata æstimare, quàm sit pondus auri, argenti, vel æris.*

28 *Campsor priuatus non potest tantundem ex cambio ad minutum percipere quantum potest campsor ex officio.*

29 *Campsor priuatus nō potest lucrum ex cambio ad minutum quærere, si id à Principe, vel à Repub. sibi fuerit interdictum.*

30 *Cambia ad minutum multis modis fraudulenter exerceri possunt.*

IN hac re pugnantes extant opiniones.
1 Nam prima sententia est Caiet. in suo tract. de camb. cap. 1. 5. 6. & 7. Gabr. in 4. d. 15. q. 11. ar. 3. Albornoz. lib. 3. de contr. tit. 4. Salon. de camb. q. 3. art. 1. concl. 3. & Armil. in sum. in ver. Campsor, existimantium, quòd is, qui publici campsoris officio non fungitur, atque ideo persona priuata, non potest citra culpam & tuta conscientia incremētum aliquod ex cambio ad minutum percipere: & propterea is qui publici campsoris munus non exercet, si pecuniam auream cum argentea, vel ærea cōmutet, non poterit aliquid amplius exigere, quā sit pecuniç æstimatio publica auctoritate taxata.

Probant hanc eorum sententiam primò: quia persona priuata, qui campsor non est, non habet causas percipiendi incremētum aliquod ex cambio ad minutum, quas habet campsor ex officio: siquidem huiusmodi cambium non fit ex prauia obligatione cambiendi, cùm sponte celebretur: nec talis priuata persona labores sustinet, & expensas facit, quas campsores ex officio subire solent in pecunijs varij generis conquirendis, & asseruandis in gratiam cambire volentium: neque periculis se exponit. Non ergo priuata persona percipere potest incrementum aliquod ex cambio ad minutum, cùm iustas causas illud consequendi non habeat.

Secundò probatur: quia si priuata persona ex cambio ad minutum lucrum aliquod assequi posset, vel id esset ratione laboris in numeranda pecunia, vel ratione puritatis materiæ; vt quis dat auream pro argentea, vel ærea: vel denique ratione commoditatis conseruandi pecuniam, transferendi, numerandi, & vbique negotiandi; cùm aurea pecunia commodius conseruetur, transferatur, numeretur; & cum ea vbique negotietur. At persona priuata nullo ex dictis titulis potest ex cambio ad minutū lucrum consequi; ergo, &c. Maior patet. Probatur minor: nam id sibi non debetur ratione laboris in numeranda pecunia: siquidem talis labor non est pretio æstimabilis, cùm non sit mercede dignum, & gratis fieri consueuerit: & dato quòd pretio laborem huiusmodi æstimare quis velit, talis labor compēsatur labore alterius, qui pecuniam etiam numerare tenetur. Nec ratione puritatis materiæ: quoniam Princeps in taxādo pretio, talis puritatis rationem habuit, atque ideò non potest campsa pluris æstimari. Nec denique ratione dictæ commoditatis: nam Princeps in pecuniæ pretio taxando, commoditatis huiusmodi rationem quoque habuit: & sicut pecunia aurea, argentea, & magna suas habet commoditates; ita etiam & minuta. Non ergo persona priuata potest ex cambio minuto lucrum assequi, cùm omninò careat iusto lucrandi titulo.

Tertiò pretium pecuniæ à lege definitum
2 nulli fas est prætergredi, non accedente Principis, aut Reip. auctoritate, à quibus taxari, constituique potuit: ergo nulla priuata persona potest ex cābio ad minutū incrementū aliquod percipere, & pretiū pecuniç cōmutatæ excedere. Antecedēs patet: quia pretiū pecuniæ à lege taxatū in indiuisibili
3 cōsistit, sicut pretium merciū, quæ iam pretio suo legali sunt à Principe, vel à Rep. æstimatæ; cuius quæcunque transgressio cùm consistat in indiuisibili, est contra iustitiam, & grauis culpa, nisi materia sit leuis, vt latè habetur ex Molin. de contr. disp. 364. & est tex. in l. si ita, ff. de fideiuss. & l. 1. ff. de contrah. empt. vbi apertè habetur, quòd pecunia pluris vendi non potest, quàm æstimetur. Consequentia probatur: quia eadem ratio militat in vtroque casu: siquidem cambium cùm sit quædam emptionis, seu venditionis species, vt supra diximus, q. 10. quæ dicuntur de illo contractu possunt dici de cambio: & propterea cùm in vtroque casu

sit

sit eadem ratio, eadem erit iuris dispositio, vt in l. illud, ff ad leg. Aquil. & l. adigere, §. quamuis, ff. de iur. patron.

His tamen non obstantibus, contrariam
4 sententiam arbitror de iure veriorem esse, quam tenet Conrad. de contr. q. 99. concl. 1. Maior in 4. d. 15. q. 37. Sot. lib. 6. de iust. & iur. q. 9. ar. 1. Nauar. in Man. cap. 17. num. 288. Lopez lib. 2. de contr. cap. 2. in propria q. quæ incipit, Postquam, Tol. lib. 5. suę sum. cap. 51. num. 9. Azor. lib. 10. Instit. moral. par. 3. cap. 4. q. 6. Reginal. lib. 25. suæ prax. num. 445. Ledes. Palac. Guttier. Less. Rebel. & alij, quos refert, & sequitur Ioan. de Salas in suo tract. de camb. dub. 3. Romoal. Col. eod. tract. cap. 4. Scac. de commerc. & cãb. §. 1. q. 7. p. 2. ampl. 11. Molf. par. 2. suæ sum. tract. 12. cap. 7. num. 30. Bonac. de contractib. q. 5. de camb. punto vnico, propos. 2. sub num. 3. Filliuc. tom. 2. qq. moral. tract. 35. cap. 5. q. 5. & alij quamplurimi à præfatis Doctoribus relati, dicentes, personam priuatam, quamuis campsoris publici munere non fungatur, nihilominus licitè posse ex cambio ad minutum lucrum aliquod percipere.

Probatur hæc opinio primò ex cõmuni
5 Mercatorum vsu, ac consuetudine cambiẽdi ad minutum pecuniam auream, vel argenteam pro maiori pretio, quàm ex sua legali æstimatione valeat: ergò licitum est eis, & cuilibet priuatæ personæ ex cambio ad minutum lucrum aliquod assequi. Antecedens patet. Probatur consequentia: siquidem, quod per legem statui potest, consue-
6 tudine quoque potest induci, cùm consuetudo sit altera lex, §. ex non scripto, in Inst. de iur. nat. gent. & ciu. at per legem, & publicam potestatem fieri potest, vt quis ex cambio aliquid supra legalem monetæ æstimationem recipiat, vt præced. q. probauimus: ergo & per consuetudinem, & eo magis, quia huiusmodi consuetudinẽ scit Princeps, & tolerat, vt habetur ex Lopez de contract. lib. 2. c. 2. concl. 3. Confirmatur, quia consuetudo potest imponere pretia rebus, vt ad huius rei propositum non nulla dicit Salon. de camb. q. 3. ar. 1. concl. 1.

Secundò persona priuata etsi campsoris
7 munus non exerceat; si tamen cambiendo suam pecuniam, damnum aliquod patiatur, aut lucrum sibi cesset, huiusmodi interesse proculdubio sibi debetur, cùm in omnibus contractibus cuicũque liceat se indemnem seruare ab interesse lucri cessantis, ac damni emergentis. Sed persona priuata cambiendo potest aliquod interesse pati: ergò, &c. Maior patet ex ijs, quæ latè habentur ex Scac. de commerc. & camb. §. 1. q. 7. p. 2. ampl. 8. Minor probatur, quia potest esse vt persona priuata pecuniam commutet, quæ ei plus valeat, quàm communiter ęstimetur, aut lege fuerit taxata, vt quia est purior, per plura loca currens: ergo persona priuata ex cambio ad minutum incrementum aliquod percipere potest supra id, quod æstimatur; si ad id maximè fuerit requisitus: siquidem quando ad emptoris instantiam res aliqua venditur, potest vendi vltra commune pretium, si illa re vera plus valeat vendenti, vt habetur ex D. Thom. 22. q. 77.

Tertiò persona priuata cambiendo in-
8 commoda, ac labores suscipit in numeranda pecunia, & in ea transferenda, maximè si minuta sit, & ærea in magna quantitate: siquidem huius labores, & incommoda sunt pretio æstimabilia, vt habetur ex Conrad. Nauar. Sot. locis supra citatis. Et quamuis aliquando huiusmodi labores gratis pręstari soleant; tamen cùm fiunt ad instantiam alterius, poterit licitè pro eis exigi compensatio: quoniam licitè potest merces ab eo expeti, qui aliquid in sui commodum expostulat. Nec dici potest, vt quidam argumentantur, numerationem vnius compensari per numerationem alterius: quia vtraque fit in gratiam cambium petentis: siquidem secunda est propter primam, & prima propter petentem: ergò & secunda propter eundem censetur esse, vt habetur ex Less. lib. 2. de Iust. & iur. cap. 23. dub. 2. Ioan. de Salas de camb. dub. 3. sub num. 3. vers. Ratio est. Bonac. d. pun. vnico, propos. 2. sub num. 3. vers. Tertia causa cum alijs ab eis relatis.

Quartò pecunia auri purissimi deseruit
9 ad plures vsus ratione materiæ, quàm argentea, & argentea, quàm ærea, vt supra declarauimus ex Salon. de camb. q. 1. ar. 2. & ex alijs: & propterea licèt scutum auri purissimi 24. caractorum nullam alterius me-

talli permistionem habens non sit maioris taxæ legalis, quàm scutum auri impurioris; est tamen maioris pretij vulgaris ratione materiæ: ergo ad instar mercis plus potest vendi, & commutari, cùm plus auri habeat, vt post Ioan. de Salas, Bann. Less. & alios inquit Filliuc. tom. 2. qq. moral. tract. 35. cap. 5. q. 3. num. 361. & Bonac. loco citato, qui plures alios allegat: atque ideo ob hanc causam vltra alias, persona priuata potest ex cambio ad minutum incrementum aliquod percipere, vltra legalem pecuniæ æstimationem.

10 Hoc idem profectò non negatur à Caiet. qui quamuis loco supra relato, neget, à persona priuata consequi posse incrementum aliquod ex cambio ad minutũ; id tamẽ limitat in eo, qui permutãdo dat monetam auream, quam sibi commodam existimat ad sua negotia peragenda: siquidẽ, requisitum, ait posse petenti suam commoditatem vendere. Non tamen id concedit, vbi commutans, pecuniam auream commodam sibi non reputat; quoniam & si petenti sit vtilis; nihilominus pro cambio nullum emolumentum potest assequi. Etenim sicut commoditas ementis non auget pretium rei venditæ in contractu emptionis, & venditionis; nec cõmoditas quærentis pecunias aureas, vel argenteas confert habenti illas ius aliquod ad emolumentũ percipiendũ, quando ipsa ex tali commutatione nullum patitur damnum, vel nulla priuatur cõmoditate. Hoc idem docet Less. lib. 2. de Iust. & iur. cap. 23. dub. 2. num. 15. Nos autem Caiet. sententiam verã esse arbitramur, etiã si cãbienti pecunia aurea non sit adeò cõ-
11 moda seu vtilis; sed eius existat magna pecunia: nam tunc potest moneta aurea pro pluribus argenteis, quàm eius æstimatio valeat commutari. Etenim sicut frumentum, vbi magna illius superuenit copia, non obstante maiori taxa, rationabiliter decrescit in valore; & è conuerso dum magna eiusdem accidit penuria crescit in valore, non obstante minori taxa, Principe, vel Repub. rationabiliter tolerante: sic etiam moneta aurea, quando iuxta suum secũdarium vsum assumitur, nempe vt merx est, commutabilis, aut vendibilis pro alia pecunia, ex talis monetæ aureæ, vel argenteæ magna superueniente penuria, rationabiliter dissimulante Principe, potest moneta aurea pro pluribus argenteis, & pecunia argentea pro pluribus æreis commutari, quam sit eius legalis æstimatio. Non tamen ob id infertur, quòd vbi esset magna auri copia, moneta aurea non possit pluris cambiri: siquidem semper sunt aliæ causæ, quibus moneta aurea pluris æstimatur, vt latè habetur ex Lopez lib. 2. de contract. cap. 2. q. 2. concl. 3. vbi etiam ait vers. Non tamen, licitum non esse cambire cambio ad minutum monetam auream inferioris valoris pro moneta aurea superioris; nisi fiat compensatio excessas; quia id esset contra iustitiam commutatiuam.

12 Nec obstat id, quod supra diximus in secundo argumento ex Medin. q. 7. de vsur. nempe, quòd in taxando pretio Princeps habet rationẽ puritatis materiæ; atque ideo moneta ob hanc causam non potest pluris æstimari, quàm legalis æstimatio valeat: quoniam respondetur, quòd mens Principis non est, quin pecunia auri purioris si tã. quam res commutetur cum pecunia auri impurioris, possit ratione materiæ pluris æstimari, nam id esset irrationabile, atque adeò subditos in conscientia non obligaret; sed tantùm taxare illius pretium, quatenus mensura est rerum venalium, vt rectè declarat Reginal. lib. 25. suæ prax. sub num. 448. vbi S. quamquam id limitat quando in pecunijs eiusdem metalli, & signi modicæ tantùm diuersitas sit in natura: aut si materia melioris monetæ non excedat pretium, eidẽ monetæ à lege taxatum. His etiã adde ea, quæ cumulat Bonac. de contract. disp. 3. q. 1. de cãb. pun. vnico, propos. 2. sub num. 3. § si pecunia, & §. Hinc sequitur: vbi ex Less. Salon. Bann. Rebel. & alijs, concludit, non esse damnandos eos, qui pecunias exteras vendunt artificibus maiori pretio, quàm sit eorum taxa facta à Principe: siquidem non vendunt pecuniam, vt est pretium, & mensura rerum venalium; sed vt est merx quædam.

13 Quintò persona priuata, etsi campsoris munus non exerceat; nihilominus obsequium, & facultatum præstat indigenti cambio dando pecuniam liberius, ac facilius expendibilem, vt si Florentinam pecu-

cuniam dedit pro Mutinensi. Nam Ducatum Florentinum licèt Mutinæ quinque liris Mutinensibus, & quinque bologninis regulariter æstimetur; sæpesæpius tamen possidentes huiusmodi pecuniam, vendunt illam vno, vel duobus bologninis supradictam æstimationem: quoniam moneta illa Florentina facilius expenditur, quàm aliæ monetarum species; atque ideo pecunia illa plus valet possidenti.

14 Sextò cambientis pecunia potest esse antiqua, seu pulcra, & possidenti delectabilis: quam delectationem ex alijs, in quas illas commutare rogatur non percipiet; huiusmodi autem oblectatio pretio est æstimabilis, atque ideo ob hanc etiam causam cambiens quamuis sit priuata persona, potest aliquid vltra legalem illam æstimationem percipere.

15 Septimò euenire potest, vt pecuniæ, in quas persona priuata rogatur cambire suas aureas, vel argenteas, periclitentur cadere ab vsu, & consueto valore: cùm eiusmodi periculum pretio æstimetur, ob id etiam rogatus cambire potest emolumentum aliquod exquirere supra legalem pretij æstimationem.

16 Denique priuata persona potest ex cambio minuto emolumentum consequi ratione affectionis, quam habet ad pecuniam câpsam, cùm talis affectio sit pretio æstimabilis; dummodo non sit leuis iuxta ea, quę docet Molin. de cótract. disp. 351. num. 3. quibus adde alias rationes apud Salon. de câb. q. 3 ar. 1. concl. 1.

Restat modo, vt ad argumenta respondeamus.

17 AD primum patet responsio: etenim argumentum nihil aliud concludit; nisi quòd priuatus homo non potest ex cambio tantundem accipere, quantum potest campsor ex officio: quia campsor ex officio plura sustinet onera, pericula suscipit, ac labores, & expensas facit, &c. at campsor priuatus emolumentum ex cambio solùm consequi potest ratione consuetudinis, ratione lucri cessantis, damni emergentis, & ex alijs causis à nobis supra relatis.

Ad secundum negatur minor, & ad eius
18 probationem quoad primam, & secundam partem patet responsio ex dictis in tertia, & quarta rationibus, quibus corroborauimus nostram sententiam. Ad probationē autem tertiæ partis respondetur, quòd Princeps eatenus rationem habet dictæ commoditatis in pręfigendo monetarum pretium, quatenus maius pretiū pecunijs imposuit, quā tantundē auri in minutissimas partes distributū haberet: eo pretio taxato adhuc pluris ęstimatur, quā pretiū illud minuta pecunia, neque id à Principe tolli potest; licèt possit cōmutationem interdicere, cū sit conditio rei naturam consequens. Ita Less. lib. 2. de Iust. & iur. cap. 23. dub. 2. num. 13. vel secūdò respondetur ex eodem Less. ibidē, num. 14. & ex alijs, quòd pecunia, vt aliàs diximus, duplicem habet vsum: alterū per se, & formaliter, quatenus pecunia est signata publico sigillo: alterum verò per accidens, quatenus constat ex auro, argento, &c. qua ratione vtilis est ad deaurandum, ad pignorandum, ad medicamenta, &c. Pecunię vsus per se, & formaliter, diuiditur in primarium, quatenus scilicet est mensura, & pretium rerū venalium: & in secundarium, quo cōmutatur vnū numisma pro alio, quatenus vnus numus est alio purior vel magis commodus ad cōseruandum, numerandū, deferendum, &c. quiquidem vsus secundarius, vt ait Less. contra non nullos adhuc se tenet ex parte materiæ. Vndè ad argumentum respondetur, quòd Princeps non intendit pecunias taxare secundum omnem rationem, & omnem vsum, quem habere possunt; sed solùm vt sunt mensura rerum venalium, & solutionis debitorum; atque ideò quoad dictas cōmoditates non intendit taxare pecunias ipsas: & propterea ratione dictarum commoditatum, & aliarum conditionum possunt pecuniæ æstimari supra legale pretium. Et sic Less. videtur approbare sententiam Cōrad. de contr. q. 99. concl. 5. & aliorum dicentium, quòd pecunia etiam si consideretur per se; secundum tamen vsum secundarium potest cum lucro commutari: quod quidem reijt Salon. de camb. q. 3. artic. 1. concl. 2.

Ad tertium patet responsio ex dictis.
19 Etenim antecedens est verum quoad vsum pri-

primarium pecuniæ, quatenus pretium est rerum venalium: secus autem quoad vsum secundarium,& quatenus pecunia materialiter cõsideratu, vt metallum est; quoniam tunc absque Principis auctoritate potest pecunia alterari, etiam supra pretium legale. Vndè his retectis firma remanet nostra conclusio, quòd licitum est personæ priuatæ, qui campsor publicus non est, pecuniam cum pecunia commutare, & lucrum aliquod ex tali cambio intendere.

Ampliatur primò hæc conclusio vt vera
20 sit tàm in Prouincijs, in quibus monetæ omnes habent præfinita per legem, aut per consuetudinem pretia, quàm in alijs Prouincijs, in quibus neque à lege, neque à recepta consuetudine habeant certum,& determinatum pretium, sicut in quibusdam Italiæ, Flandriæ, ac Germaniæ locis. Probatur ex communi omnium vsu etiam apud personas probatæ, ac timoratæ conscientię: quæ citra omnem culpę formidinem in Hispania, vbi omnes pecuniæ pretia habent lege præfinita, cambiunt duplonem pro viginti quinque realibus,& amplius, & nihilominus legalis eius æstimatio 22. reales non excedit: ita etiam Ducatum, & corona cambiuntur supra eorum pretium, nec à Confessarijs id culpæ confitentibus ascribitur: tum etiam, quia semper militat aliqua ex supradictis causis, ob quas iustè diximus, posse lucrum aliquod ex cambio percipi, vt habetur ex Lopez loco supra citato, q. 2. concl. 3. Azor. p. 3. Inst. moral. lib. 10. c. 4. q. 4. cum alijs, quos allegat; licèt contrarium teneat Salon. de camb. q. 5. art. 1. sub num. 5. & Reginal. lib. 25. suæ prax. nu. 447. cum plur. seq. quibus adde, quæ habentur ex Filliuc. tom. 2. qq. moral. tract. 35. cap. 5. q. 6. num. 365. dum ait, quòd in locis, in quibus pecuniæ pretium firmum esse non solet, potest licitè campsor incrementum aliquod percipere. In locis autem vbi pretium est taxatum, licitum est lucrum aliquod ex cambio ad minutum consequi ratione lucri cessantis, vel damni emergentis, vel ratione probabilis timoris, quòd pecunia campsa veniat auctoritate publica in valore minuenda.

Sed re vera non videtur recedendum ab
21 ipsa ampliatione, quæ indistinctè est intelligenda: siquidem vltra consuetudinē semper militat aliqua ex supradictis causis, ob quas iustè lucrum ex cambio ad minutum per personam priuatam sumitur: & propterea, etiam si campsori nullum lucrum cesset, neque inde damnum aliquod sibi emergat, potest incrementum consequi, siue sit in locis, in quibus pretium pecuniæ est variabile, siue sit in locis, in quibus pretium prædictum est fixum,& inuariabile, vt habetur ex eodem Lopez loco citato, concl. 1. vers. At videtur. Confirmatur; quoniam cambium huiusmodi, accepto aliquo lucro, aut est licitum ex sui natura, & ab omni iniquitate alienum; vel est illicitum,& iniquum. Si secundum nulli fas est ita cambire nec publico, nec priuato campsori. Quòd si primum licitum erit eo modo cambire tàm campsori publico, quàm priuato.

Secundò ampliatur, vt nonsolùm priua-
22 ta persona possit cambire pecuniam cum pecunia, augendo pretium ipsius, considerata materialiter pecunia, vt aurum est, argentum, &c. Sed etiam considerata pecunia secundum primarium eiusdem vsum, quatenus pretium est rerum venalium; in ordine tamen ad emptiones, & venditiones, idest quatenus mēsura est valoris mercium; atque ideò licitum esse cõuenire cum venditore domus, pro pretio centum aureorum emptæ, ea lege vt solutionem accipiat in duplis aureis ad rationem 25. carlenorum pro vnoquoque duplo; estò quòd legale pretium illius sit tantùm 24. Probatur, quoniam licitum est cum vendente triticum sex carlenis pro singulis modijs, cõuenire, vt vendat quinque carlenis, & sic vilius: ergò fas erit quoque ita conuenire cum eodem venditore: soluam tibi triticum in duplis aureis ad rationem 25. pro singulis, atque adeò vno carleno supra pretium legale: quoniam licèt hæc ipsa videātur diuersa; in re tamen sunt eadem; cùm idem sit descendere à pretio tritici, vt sex ad pretium vt quinque, manente pecunia in suo pretio legali 24. carlenorum. Confirmatur; quia sicut cõmutatur pecunia cum
23 pecunia in cambijs, eodem modo commutatur pecunia pro mercibus in cõtractibus emptionis, ac venditionis: at commutari potest pecunia pretiosa cum alia minus pre-

pretiosa, accepto maiori pretio, quàm legali: ergò licitum erit pariter commutare pecuniam pro alijs rebus venalibus maiori pretio, quàm sit legale. Denique potest em-
24 ptor, qui habet duplum aureū adire campsorem, & commutare illud 25. carlenis tradendis venditori: ergò poterit venditori immediatè tradere duplum illud pro eodem pretio supra pretium legale: siquidem hæc moraliter eadem sunt. Ita Nauar. in c. nauiganti, num. 58. de vsur. & in Man. c. 17. sub num. 283. & Sot. lib. 6. de iust. & iur. q. 6. ar. vnico: vbi limitant tamen hæc quæ diximus, quando tractatur de soluendis debitis iam contractis, & præcedentibus: aliàs nunquam daretur casus, in quo pretium legale attendi deberet; atque ideò pecunia nunquam diceretur certa mensura rerum venalium: quod est falsum, per ea, quæ supra adnotauimus, q. 10. Hoc idem tenet Lopez post alios, de contr. cap. 2. p. 2. concl. 2. dūmodo tria cōcurrant, quorum primum est, vt venditor liberè consentiat tali pacto: secundum, vt talis solutio fiat ad instantiam venditoris; quia merces ad instantiam emptoris venditę plus valent: & tertium, quod emptor commutaturus aliàs fuisset pecuniam maiori pretio, quàm legali; quia tunc ratione lucri cessantis posset pluris computare pecuniam auream.

Et quamuis contra Nauar. & alios simpliciter teneant Salon. de camb. q. 3. art. 2. concl. 4. num. 12. & Ioan. de Salas eodem tract. dub. 4. sub num. 3. vers. inter has sententias, dum volunt, quòd quando pecunia commutatur, vt pecunia formaliter sumpta, & vt pretium rerum venalium, siue sit commutatio, & solutio debitorum, siue mercium, pecuniam non posse commutari, nisi iuxta pretium legale, & id ex identitate rationis; nihilominus si cum tali pecunia taxata vltra pretium legale concurrat iustitia pretij mercium emptarum, aut ratio aliqua interesse, non video, cur pretium legale pecuniæ non possit alterari, cùm talis pactio non sit contra iustitiam commutatiuam.

Tertiò ampliatur hæc ipsa conclusio, vt
25 idem dicendum sit de vendente res suas pluris, quia pretium accipit in pecunijs minutis: & de emente minoris, quàm res valeant, quia pretium soluat in pecunia aurea, vel argentea, atque adeò indirectè alterando legale pretium pecuniæ: quoniam militat eadem ratio; dummodo id fiat citra fraudem, & scientibus, ac liberè consentiētibus contrahentibus ipsis, & iustum pretium, summum, vel infimum non excedatur ex eo quòd reddantur pecuniæ aureæ, vel minutæ, vt habetur ex Azor. p. 3. Inst. moral. lib. 10. de camb. c. 4. q. vlt.

Quartò ampliatur supradicta conclusio,
26 vt non tantùm priuata persona possit ex cambio ad minutum lucrum aliquod assequi, sed etiam Economus, aut Procurator, vel alius, qui à Domino pecunias aureas, vel argenteas accipiens ad aliquid emendum, ad soluendum debitum, aut ad satisfaciendum operarijs de eorum mercede, eas cum alijs commutet cambio ad minutum, percipiendo incrementum aliquod supra earum legale pretium: nam potest lucrum illud sibi appropriare, vt habetur ex Molin. de contr. disp. 402. Less. lib. 2. de iust. & iur. cap. 23. dub. 2. Ioan. de Salas de cāb. dub. 7. Reginal. lib. 5. suæ prax. num. 450. Filliuc. tom. 2. qq. moral. tract. 35. cap. 5. q. 7. num. 369. cū plur. seq. & ex alijs. Etenim lucrum huiusmodi prouenit ex Economi industria, ac labore; sicut dicimus de fure, & vsurario, qui ex pecunia furtiua, vel vsuraria negotia exercentes aliquid lucrati fuerint: nam ad ipsos pertinet, non autem ad Dominos pecuniæ: eo quòd tale lucrum prouenit ex furis, aut vsurarij opera, industria, ac labore, vt per Less. & Filliuc. locis citatis.

Nec obstat si dicatur, tale lucrum prouenire ex pecunia destinata ad satisfaciendum creditoribus; quoniā talis pecuniæ species non erat ei debita, & in alia ei soluitur sufficienter. Est tamen verum, quod si ea mens Domini fuerit, vt suo creditori species illa traderetur, tunc Economus peccaret. & si creditor erat pecunia illa aliquid lucraturus teneretur ei de lucro cessante, vt rectè docent Less. & Filliuc. locis citatis. Idem dicendum est, si Dominus pecuniæ ob cōmutationē huiusmodi ab Economo factam damnum aliquod patiatur, vt si res Domino emisset maiori pretio: siquidem tunc peccaret, & Domino teneretur ad interesse. Ita Less. loco citato, num. 18. Rebel. p. 2. de oblig. iustit. lib. 11. q. 10. num. 2. Azor. d.

cap.

cap. 4. q. 11. Molin. & Reginal. locis citatis, Ioan. de Salas de camb. dub. 1. & Bonac. de contr. disp. 3. q. 5. de camb. pun. vnico, propos. 2. num. 5. in fin. Et denique ampliatio ipsa vera est, n si cambium ad minutum esset interdictum personis priuatis, vt infra dicemus.

27 Quintò ampliatur dicta conclusio, vt siue campsor siue ex officio sit talis, siue non, atque ideo priuata persona potest ex cambio ad minutum lucrum aliquod consequi, augendo pretium legale pecuniæ; ita Princeps possit pluris numismata æstimare, quàm sit pondus auri, argenti, vel æris, ex quo tanquam ex materia constat, vt habetur ex Arist. lib. 5. Ethic. cap. 5. & lib. 1. Polit. cap. 6. & facit tex. in l. 1. §. vlt. & l. Titiæ, ff. de aur. & argen. legat. Couar. in opusc. de vet. numis. collat. cap. 7. quem refert, & sequitur Azor. d. cap. 4. q. 5. Nec obstat tex. in l. 1. ff. de contrah. empt. & l. 1. C. de vet. numis. potest. lib. 10. vbi habetur numismata esse vbique cudenda, & expendenda, & debitum pondus habeat: & c. quanto, de iureiur. definitur, Principem debere omnino monetam cudere, & publicam facere ex lege, vt valor ipsius sit iuxta pondus quoniam iura illa sunt intelligenda, nisi Principi ex iusta causa aliter visum fuerit. Vel sunt intelligenda iuxta debitum pondus à Principe præfinitum, vt si pro vncia auri signati statuat pretium sex ducatorum, aureus sex ducatorum non debet continere materiam minorem vna vncia auri.

28 Sic ampliata limitatur ipsa conclusio, vt licèt persona priuata, quæ campsor ex officio non est, possit ex cambio ad minutum emolumentum aliquod quærere; nõ tamen potest tantundem accipere, quãtum potest ipse campsor ex officio, qui publicus est: siquidem campsor publicus ex pluribus causis lucrum consequitur, ob plura, & maiora pericula, labores, ac impensas, atque in præmium sui muneris. At verò priuata persona incrementum huiusmodi potest exigere vel ratione communis consuetudinis, vel ratione pecuniæ pretiosioris, commodioris, vtilioris, antiquioris, vel ratione obsequij, ac famulatus, sed non ratione officij: & eo minus id percipiat, si pecuniam æream dederit, & auream acceperit; nisi ei vtilius sit æream pecuniam habere, quàm auream: potest etiam priuata persona ex alijs causis lucrum ex cambio ad minutum quærere, de quibus supra diximus, vt habetur ex Azor. p. 3. Inst. moral. lib. 10. cap. 4. q. 6. Salon. de camb. q. 3. ar. 1. concl. 3. vers. Ex qua lectura, Less. lib. 2. de iust. & iur. cap. 23 dub. 2. Reginal. lib. 25. suæ prax. sub num. 445. Bonac. disp. 3. de contr. q. 5 de camb. pun. vnico, sub num. 3. & Filliuc. tom. 2. qq. moral. tract. 35. cap. 5. q. 5. num. 363. cum alijs, quos allegat.

29 Secundò limitatur, vt ita demum persona priuata possit lucrum aliquod ex cambio ad minutum consequi, si à Principe, vel à Repub. id priuatis personis non fuerit interdictum. Etenim Princeps prohibere potest, ne cambia minuta à priuatis exerceantur, cùm id cedere possit in commune bonum. Ita Azor. loco citato, Salon. d. q. 3. ar. 1. q. vlt. Filliuc. d. q. 5. num. 363. vbi etiam post Molin. de contr. disp. 399. ait, quòd si lex redderet incapacem recipientem incrementum illud, tunc recipiens teneretur ad restitutionem. Quod quidem an sit verum quæst. seq. latius, Deo duce, discutiemus.

30 Tertiò limitatur, vt tunc dicta conclusio procedat, quando huiusmodi cambia debito modo, ac legitimè fiant: aliàs secus, cùm fraus & dolus nemini patrocinari debeat, c. ad nostram, de empt. & vend. Multis autem modis potest culpa contrahi in exercendo cambio ad minutum; nempe cùm adulterina moneta datur, vel illa, quæ non est vsu recepta, dolosè diminuta, vel quæ est publica auctoritate reprobata, aut plus lucri exigitur, quàm par est, & alijs modis, de quibus Azor. loco citato, q. 10. vbi etiam ait, in vers. Quid si Titius, quòd pecuniam adulterinam, diminutam, aut reprobatam vt supra, non potest quis alteri dare, etiam si eam ab alio ignoranter acceperit: quia sibi imputatur, qui talem accepit: nec poterit ipse alium decipere, quamuis fuerit ipse deceptus. Quod autem sit iustum pretium in cambijs minutis, rectè declarat Azor. ibi, q. 3.

An vbi publica auctoritate cambia ad minutum sunt prohibita priuatis hominibus; ea exercentes, & aliquid inde recipientes teneantur restituere. Q. XV.

SVMMARIVM.

1 *Legem humanam iustam non seruantes, peccant etiam contra Diuinam.*

2 *Peccatum mortale est dictum, factum, concupitum contra legem Dei.*

3 *Lex humana iusta, etiam si sit pœnalis obligat sub peccato ad sui obseruantiam.*

4 *Campsores priuati percipientes lucrum ex cambio contra legis prohibitionem, licèt peccent; non tamen tenentur illud restituere.*

5 *Frumentum vendens supra pretium legale, si iusto pretio vendit, licèt peccet legi non obtemperando; non tamen tenetur incrementum illud restituere.*

6 *Pecuniæ in cambio commutantur secundum secundarium earum vsum.*

7 *Campsor priuatus percipiẽs lucrum ex cambio contra legis prohibitionem si sit iustum, & lex sit purè pœnalis, non peccat, nec est restitutioni obnoxius.*

8 *Campsor priuatus cambiendo contra legis prohibitionem, si lex non sit purè pœnalis, sed mixta, licèt excusetur à restitutione; non tamen excusatur à culpa.*

9 *Campsor priuatus percipiens ex cambio lucrum contra legis prohibitionem, si lege fiat incapax talis lucri, non solum peccat; sed etiam post sententiam condemnatoriam efficitur restitutioni obnoxius.*

10 *Lex purè pœnalis obligat ad pœnam; non autem ad culpam; nisi pœna sit grauis: mixta vero obligat ad vtramque.*

11 *Actus contra legem prohibentem, an & quãdo sit irritus.*

AD tit. q. explicationem est adnot. quòd Valẽtiæ, & in alijs locis, vt testatur Salon. de camb. q. 3. ar. 1. concl. 5. lege prohibetur, ne pecunia quouis modo sumpta aliter commutari, seu vendi possit, quàm pretio ab ipsa præfinito; atque adeò nulla ratione, seu via, siue vt metallum materialiter sumatur: siue formaliter tanquam pretium, ac mensura rerum venalium. In non nullis alijs Ciuitatibus adsunt statuta, ne artes; & alia quædam exercitia fiant in Ciuitate, nisi ab ijs, quos superior, seu consulatus artis ad artem illam, seu exercitium admiserit: quo circa personæ priuatæ non possunt ex cambio ad minutum emolumẽtum aliquod percipere: siquidem inter artes, & exercitia ars campsoria connumeratur, vt rectè declarat Scac. de commerc. & camb. § 2. Glos. 3. sub num. 101. vers. Retenta: vbi testatur etiam, hanc similem legem extare Romæ, cuius vigore solùm Bãchetotti, qui sunt admissi possunt exercere artem cambiendi ad minutum: & non admissi talem artem exercentes incidunt in pœnas in ipsa lege contentas. His breuiter sic adnotatis, quæritur, an in locis, in quibus lege; seu statuto cambia ad minutum exerceri prohibentur per priuatas personas, & nisi admittantur vt supra, si priuata persona cambia ad minutum exerceat contra legis, seu statuti prohibitionem, quæsita ex eis restituere teneantur.

In hac difficultate pugnantes sunt opi-
1 niones. Nam prima sententia est Sot. lib. 6. de iust. & iur. q. 9. ar. 1. in fin. Azor. p. 3. Inst. moral. lib. 10. de cãb. cap. 4. q. 7. & aliorum dicentium, ita contrahentes peccare mortaliter, & ad lucri percepti ex huiusmodi cambio restitutionem teneri. Probant eorum sententiam quoad primam partem ex eo quòd legem iustam non seruantes peccant mortaliter: siquidem facientes contra legem humanam iustam, dicuntur etiam facere contra Diuinam; quæ iubet, Præpositis nostris obedire, atque ideò letalem culpam contrahunt, quæ nihil aliud est ex D.
2 August. nisi dictum, factum, vel concupitum contra legem Dei. Imò adeò verum est, vt lex humana iusta obliget sub mortali ad sui obseruantiam, vt obliget etiam si sit pœnalis, vt habetur ex Innoc. in c. super his, de
3 vot. Gemin. in c. vt animarum, de constit. in 6. Couar. in regul. peccatum, p. 2. §. 5. num. 2. Sot. lib. 1. de iust. & iur. q. 6. art. 4. & 5. Azor. p. 1. instit. moral. lib. 5. cap. 6. q. 4. & hanc sententiam dicit esse magis communem Ioan. de Salas, de legib. disp. 15. sec. 1. num.

num.9.& 10. vbi quamplurimos alios Doctores allegat, & nos etiam diximus in nostris Commentar.in Bull.Cœnæ lib.3.§.8. q.2. sub num. 32. Quoad alteram partem probant eandem sententiam ex tex.in l.non dubium, C.de legib. vbi nullum esse definitur omne id, quod contra legis prohibitionem agitur: ergo percipientes lucrum ex huiusmodi cambio contra legem prohibentem, illius dominij efficiuntur incapaces, cùm titulum non habeant, quo talis lucri dominium acquirunt.

His tamen non obstantibus, oppositam
4 sententiam puto veriorem, quam tenet Salon.de camb.q.3.ar.1. concl.5. Less. lib.2. de iust.& iur.cap.23.dub.2.num.17.Rebel. p.2.de oblig.iust. lib.11. q.4.num.7. Ioan. de Salas in suo tract.de camb. dub.5. sub num.2. vers. Rectè tamen: cum alijs, quos allegant, dicentes, quòd priuati percipientes lucrum ex cambio ad minutum lege prohibente, peccant; verum ad percepti lucri ex tali cambio restitutionem non tenentur. Prima pars patet ex ijs, quæ adnotauimus ad probandam primam partem prioris sententiæ. Probatur modò hæc eadem sententia quoad secundam partem. nam si talis cambiens ad lucri percepti restitutionem teneretur, vel cogeretur illud campsuario restituere, vel Reip. sed neutri; ergo, &c. Maior patet ex sufficienti partium enumeratione. Minor probatur, quoniam neutri dānum intulit, aut iniuriam, cùm non plus supponamus acceptum, quàm communi campsorum iudicio pecunia in tali commutatione solent æstimari. Confirmatur: quia si quis prohibeatur frumentum vendere, &
5 contra legis prohibitionem vendat iusto pretio, peccat quidem istæ legi non obtemperādo; verùm ad pretij restitutionem non tenetur: siquidem iustum tantùm pretium fuit consecutus, vt rectè probat Molin.de contr.disp.364. num.6. ergò priuata persona, quæ contra legem prohibentem lucrum ex cambio minuto percipit, licèt peccet faciendo contra legem; non tamen tenetur ad lucri percepti restitutionem.

Nec valet dicere, frumentum semper es-
6 se certæ æstimationis; pecuniæ verò æstimationem pendere ex Principis placito; atque ideo non potest æstimari pluris, quàm lege fuerit taxata. vndè cùm lege prohibeatur priuatis personis cambium ad minutum, perinde est, ac si lege fuerit constitutum, vt tanti pecuniæ æstimentur, & non pluris: & propterea videtur militare diuersa ratio; quoniam respondetur, quod hæc Azor. responsio locum sibi vendicaret quando in cambio ad minutum fieret pecuniarum cōmutatio, vt pecuniæ sūt, atque ideo vt pretium, ac mensura rerum venalium: at in huiusmodi cambio nos dicimus, pecunias cōmutari, vt res quædam sunt, & secundum secundarium earum vsum, & ideo se habent ad instar frumenti, & aliarum rerum venalium; & sic militat eadem ratio in vtroque casu.

Ampliatur hæc sententia, vt persona pri-
7 uata cambiēdo contra legis prohibitionem non solùm excusetur à lucri percepti restitutione; verum etiam si lex prohibens sit pura pœnalis, & lucrum ex cambio perceptum sit iustum, excusetur quoque à letali culpa. Etenim lex pura pœnalis non obligat ad culpam, si pœnam temporalem imponat, nisi in ipsa lege sit expressum: siquidem lex pœnalis est odiosa: & propterea Legislator per legem pœnalem simpliciter latam censetur obligare contrauenientes ad pœnam dumtaxat; non autem ad culpam: quia in pœnalibus benigna fieri debet interpretatio, c.in pœnis, de regul.iur. in 6. c.pœnæ, de pœn.d.1. & l.interpretatione, ff.de pœn. confirmatur; quia Princeps ferendo legem purè pœnalem, ex iuris præsumptione cēsetur excludere culpam. Etenim, qui ex duobus propositis alterum tantùm affirmat, alterum ex iuris præsumptione negare censetur, l.cùm Prætor, ff. de iudic.c.non ne.de præsumpt. & hanc sententiam tuetur Nauar.in c. fraternitatis, num. 23.12.q.2. & in Man. c.23.num.55. Dec. in cap.nam concupiscentiam, in 2. lect. de cōst.Ias.in l.2.num.143.C.de iur.emphyt. & alij. Quod tamen verum est, nisi pœna sit grauis, vt rectè probat Filliuc. tom.2. qq. moral.tract.21.q.7. num.419. Dicitur autem lex purè pœnalis, quando his verbis concipitur, *Priuatæ personæ, quæ ad minutum cambiunt, centum aureos in pœnam soluant.*

Dixi, *Si lex prohibens sit pura pœnalis*:
8 quoniam si lex non esset pura pœnalis, sed esset

esset etiam præceptiua; atque ideò mixta, priuata persona cambiendo contra legis prohibitionem, proculdubio culpam contraheret: quoniam lex, quæ in verbis suis, & modo, quo fertur præceptum continet; etiam si pœnam adijciat, obligat in conscientia, vt ex communi sententia tum Theologorum, tum Canonistarum docet Suar. lib. 5. de legib. cap. 3. num. 6. Filliuc. d. q. 7. num. 418. & alij quamplurimi, quos nos retulimus in Commentar. nostris in Bull. Cœnæ Domini, d. §. 8. q. 2. num. 33. Dicitur lex mixta, præceptiua scilicet, & pœnalis, si ita caueatur, *Præcipimus, vt nulla priuata persona cambiat ad minutum, & tali legi contrauenient soluat centum*. Est tamen verum, quòd nec quidem hoc casu, quidam volunt, contrauenientem peccare mortaliter; sed tantùm venialiter, vt habetur ex Ioanne de Salas, d. dub. 5. circa fin. quibus adde Nauar. in Man. cap. 23. num. 49. & Filliuc. cap. 11. quæst. 8. num. 421. in fin. Dixi etiam, *Et lucrum ex cambio perceptum sit iustum*. quia si ex tali cambio pro mercede vltra latitudinem iusti pretij fuerit aliquid perceptum, recipiens restituere obligaretur excessum illum sub mortali, vel veniali pro ratione notabilis, vel non notabilis excessus, vt ex Rebel. ait Ioan. de Salas d. dub. 5. propè finem.

Sic ampliata limitatur eadem conclu-
9 sio, vbi lex redderet incapacem recipientem incrementum talis cambij: quoniam tunc recipiens tenetur illud restituere saltem post sententiam cōdemnationis, etiam si incrementum iustum esset, vt post Molin. de contract. disp. 399. ait Filliuc. tom. 2. qq. moral. tract. 35. p. 2. de censib. & camb. c. 5. num. 363.

Restat, vt ad contraria respondeamus.

10 AD primum respondetur distinguendo antecedens, quòd aut lex iusta est pura pœnalis: aut non tantùm pœnalis, sed etiam præceptiua. Lex pura pœnalis obligat tantùm ad pœnam, non autem ad culpam; nisi pœna sit grauis, vt pœna capitis, amissionis bonorum, seruitutis perpetuæ, &c. nam tunc obligaret non solùm ad pœnam, sed etiam ad culpam. Et hunc esse vsum, & communem interpretationem maximè quoad leges sæculares, testatur Filliuc. loco citato, num 419. Lex verò præceptiua obligat transgressores non modò ad pœnam, sed etiam ad culpam, vt latè supra probauimus. Imò si lex lata sit per hæc verba, *Facite, dicite, ordinamus, statuimus, &c.* ex vi verborum obligat tantùm ad veniale, vt ex Azor. & Nauar. tenet Filliuc. d. num. 421. in fin. vndè inspicienda est lex prohibens cambia ad minutum personis priuatis, & iuxta prædictam distinctionem res ipsa definienda est.

11 Ad vltimum ex tex. in l. non dubium, C. de legib. respondent quidam, eam locum sibi vendicare, quando lex vltra progreditur, actum irritando. Sed hæc responsio est apertissimè falsa: nam in d. l. non dubium apertè habetur, quòd ea, quę lege fieri prohibentur, si fuerint facta habentur pro infectis, etiam si legislator fieri prohibuerit tātùm, nec specialiter dixerit, inutile esse debere, quod factum est. Vndè responsio Rebel. ad d. l. non dubium quoad casum nostrum non videtur bona, dum ait, eam legem procedere, quando aliunde constat, mentem legislatoris fuisse, contractum irritum reddere: qua propter Ioan. de Salas d. dub. 5. de camb. vers. Rectè tamen, aliter respōdet, iuxta ea, quæ tradidit in suo tract. de legib. disp. 88. quòd non semper lex prohibens irritat actum cōtra legem ipsam factum; sed tunc actus contra legem prohibentem est irritus, quandò lex nullam pœnam imponit: secus autem si est pœnalis, vt supponitur lex, de qua agitur.

Sed hæc responsio adhuc non est citra difficultatem aliquam: nam matrimonium post votum simplex castitatis contractum, est validum, vt in cap. 1. de vot. & vot. redempt. in 6. & nihilominus lex, quæ illud prohibet nullam pœnam imponit contrahenti: Plures alios casus enumerat Azor. p. 1. Inst. moral. lib. 5. cap. 16. & 17. §. sed contra hanc iuris regulam. Vndè melius videtur dicendum ex ijs, quæ habētur ex Azor. loco citato in fine, quòd tunc actus contra legem prohibentem est nullus, quando ex alia lege iure, ac ratione certa non constat

illud ratum esse, & firmum: modò licèt in casu nostro non sit lex, quæ ratam esse decernat emolumenti perceptionem factam ex cambio, de quo agitur, esse validam; nihilominus si emolumentum est iustum, recta ratio suadet esse talem, & restitutioni haud obnoxiam, vt supra ostendimus. Cæterum licèt hæc responsio videatur nobis probabilior, prior sententia non videtur improbabilis: nam Doctores & multitudine, ac auctoritate quamplurimi tenent, quòd lex prohibens annullet actum indistinctè, nisi aliter de iure reperiatur dispositum, ad differentiam legis præcipientis, quæ actum non irritat, nisi expressè caueatur, vt latè Syl. in sum. ver. lex, q. 28. Hæc satis de explicatione procemij nostræ Extrauag. & de cambio ad minutum: deueniendum est modo ad eiusdem §. 1. interpretationem, quo agemus de cambio per litteras, & illius speciebus.



COM:

COMMENTVM LEONARDI DVARDI IN §. PRIMVM EXTRAVAG. PII PAPAE QVINTI.

DE CAMBIIS.



§. 1. *PRimum igitur damnamus ea omnia cambia, quæ ſicca nominantur, & ita confinguntur, vt contrahentes ad certas nundinas, ſeu ad alia loca, cambia celebrare ſimulent, ad quæ loca, ij, qui pecuniam recipiunt, litteras quidem ſuas cambij tradunt, ſed non mittuntur, vel ita mittuntur, vt tranſacto tempore, vnde proceſſerant, inanes referantur, aut etiam nullis huiuſmodi litteris traditis, pecunia ibi denique cum intereſſe repoſcitur, vbi contractus fuerat celebratus: nam inter dantes, & recipientes vſque à principio ita conuenerat, vel certè talis intentio erat: neque quiſquam eſt, qui in nundinis, aut locis ſupradictis, huiuſmodi litteris receptis, ſolutionem faciat. Cui malo ſimile etiam illud eſt, cùm pecuniæ, ſiue depoſiti, ſiue alio nomine ficti cambij traduntur, vt poſtea eodem in loco, vel alibi cum lucro reſtituantur. Sed & in ipſis cambijs, quæ realia appellantur, interdum, vt ad nos perfertur, campſores præſtitutum ſolutionis terminum lucro ex tacita, vel expreſſa conuentione recepto, ſeu etiam tantummodo promiſſo, differunt. Quæ omnia nos vſuraria eſſe declaramus, & ne fiant diſtrictius prohibemus.*

TEx. diuiditur in duas partes. In prima parte Roman. Pontifex cambia per litteras, & ad nundinas ſicca damnat, & quot modis fieri contingant, declarat. In ſecunda verò ea omnia vſuraria decernit, & ne fiant, diſtrictius prohibet. Secunda ibi, *Quæ omnia*. Ad huius §. euidentiam eſt adnot. quòd vt diximus ſupra in proœm. q. 12. cambia ſicca nō ſunt vera cambia, ſed ficta. Siquidem finguntur cambia, cùm re vera tantùm nomine ſint talia, & in re mutuationes vſurariæ: eo quòd lucrum ex eis exigitur ratione ſolutionis ad tempus dilatæ, atque ideo ratione, & in pretiū mutui palliati. vndè meritò huiuſmodi cābia dicuntur ſicca; quia vitali carent humore, & ſterilia ſunt, cum careant iuſto titulo ad iuſtum, ac legitimum lucrum producendum. Ita Sor. lib. 6. de iuſt. & iur. q. 10. ar. 2. Salon. de cāb. q. 4. ar. 1. Nauar. in Man. c. 17. num. 283.

Tolet. lib. 5. suæ sum. cap. 52. Molin. de contract. disp. 398. num. 7. & 8. Azor. par. 3. Instit. moral. lib. 10. cap. 10. de camb. sicc. Less. lib. 2. de iustit. & iur. c. 23. dub. 1. num. 5. Reginald. in sua prax. lib. 25. num. 442. Ioan. de Salas de cãb. dub. 39. Tusch. ver. cambium, concl. 11. num. 11. & 14. Scac. de commerc. & camb. §. 1. q. 5. num. 110. & q. 7. p. 1. num. 20. & p. 3. limit. 1. cum plur. seq. Mols. rom. 2. suæ sum. tract. 12. cap. 7. num. 36. Bonac. de contract. q. 5. de camb. pun. vnico, proposit. 1. num. 2. Megal. 22. Instit. Peregr. lib. 2. cap. 16. num. 46. Iustin. de contin. cãmb. quæst. 3. sub num. 5. & alij.

Cõfinguntur autem prędicta cambia per litteras multis modis, vt ex nostro §. colligitur. Primò quando litteræ traduntur, sed non mittuntur. Secundò, quando ita mittũtur, vt transacto tempore, vndè processerãt, inanes referantur. Tertiò vbi nullis datis, nec missis litteris, pecunia ibi cum interesse reposcitur, vbi contractus fuerat celebratus. Quartò cùm pecuniæ nomine depositi, vel ficti cambij traduntur, vt postea eodem loco, vel alibi cum lucro restituantur. Quintò cùm ex cambij dilata solutione maius lucrum percipitur. Quæ quidem cambia sunt manifestè sicca. Sũt autem alia duo sicca præsumptiuè, de quibus infra §. seq. Deo duce, dicemus. Ex quibus patet, quod cambiũ siccum differt à reali, sicut falsum à vero, vt habetur ex Ioan. Bapt. Lup. in c. nauiganti, §. 2. sub num. 53. de vsur. Molin. d. disp. 398. & ex alijs, qui reprobant sententiam eorum, qui volunt, cambium siccum esse, quo campsor prius dat, vt cum lucro postea recipiat; estò receptio futura sit in loco distanti. Illud tamen hoc loco nolui silentio esse prætereundum, quòd licèt omne cambium siccum sit illicitum, & iniustum, cùm sit vsurarium; nihilominus non omne cambium iniustum, ac illicitum est siccum: quia potest dari cambium reale, quod non consistat in æqualitate, & iustitia commutationis, vel in obseruatione formæ traditæ à lege positiua, & constitutionibus Põtificijs, se fundantibus in præsumptione, vt declarat Scac. de commerc. & cambio, §. 1. q. 1. sub num. 148. & 524. & q. 5. sub num. 100. & 101.

Et quoniã cãbia sicca rectè cognosci nequeunt, nisi simul discutiantur realia de loco ad locum, & ad nundinas; idcirco de his omnibus agemus: & deinde singulas huius §. particulas per suas qq. discutientes, paucis Deo duce, §. ipsum absoluemus.

De iustitia cambij realis per litteras, seu de loco ad locum: & primò de eo, in quo campsor accipit pecuniam à campsuario in vno loco, restituturus in alio. Q. I.

SVMMARIVM.

1 *Cambij per litteras definitio traditur.*
2 *Cambij per litteras diuisio in cambium de loco ad locum: & in cambium per nũdinas.*
3 *Cambia omnia reducuntur ad tria genera.*
4 *Cambium est contractus respectiuus: & ideo exigit pluritatem personarum.*
5 *Litterarum forma cambij per litteras de loco ad locum, assignatur.*
6 *Littera cambij de loco ad locum, declarantur.*
7 *Littera cambij diuiduntur in dispositiuas, & mandatarias.*
8 *Cambij contractus cùm fiat ad vtilitatem vtriusque contrahentis, non potest rescindi, nisi vtriusque concurrat consensus.*
9 *Solutio diuiditur in realem, & propriam: & in impropriam, & fictam.*
10 *Solutio ficta pluribus modis fieri contingit.*
11 *Solutio ficta vim habet realis solutionis, cùm est possibilis: aliàs secus.*
12 *Litterarum cambij solutio non solùm fieri potest per procuratorem, ad quem diriguntur, sed etiam per Tertium, & per eum ad quem diriguntur, vt Tertium.*
13 *Littera cùm non acceptantur, qualiter per protestationem creditori consulatur.*
14 *Soluentis bona fides excusat debitorem certa rei: non autem certa quantitatis.*
15 *Cambia Romæ celebrantur ex Ducatis de Camera, qui sunt fictitij: Neapoli ex ducatis de carlenis: Florentiæ ex scutis Florentinis, &c.*
16 *Cambium per litteras, quo campsor primò accipit pecuniam in vno loco, restituturus in*

in alio, est iustum, & humana societati valdè vtile, ac necessarium.

17 *Cambium per litteras, quo campsor primò pecuniam accipit in vno loco restituturus in alio, est omnium ferè antiquissimum.*

18 *Quod ab omnibus nationibus recipitur, præsumitur rectæ rationi, & iuri naturali conforme.*

19 *Pecuniæ valor est varius in varijs locis.*

20 *Consuetudo celebrandi contractum per graues, & bonos viros excusat contrahentes non solùm à culpa; sed etiam à pœna.*

21 *Cambium per litteras, quo campsor primò pecuniam accipit in vno loco restituturus in alio, est iustum, siue fiat cum pecunia diuersa genere, siue diuersa specie, vel numero.*

22 *Cambium per litteras, quo primò campsor pecuniam accipit est licitum, siue campsor publicus sit, & ex officio: siue priuatus; nisi lege prohibeatur.*

23 *Campsor per litteras ex officio maius stipendium meretur, quàm campsor priuatus.*

24 *Cambium, quo primò campsor pecuniam accipit vt supra stipendium meretur, siue fiat ex vno Regno ad alterum, siue ex vna ad alteram Ciuitatem infra idem Regnum.*

25 *Cambium per litteras, quo primò campsor pecuniam accipit, minus stipendium meretur secundum aliquos, si fiat de vna Ciuitate ad aliam infra idem Regnum, quàm si fiat de vno Regno ad aliud.*

26 *Cambij lucrum cùm taxatur, non habetur regulariter ratio distantiæ, ac vicinitatis locorum; sed maioris, vel minoris æstimationis monetarum in diuersis locis.*

27 *Cambium de loco ad locum infra idem Regnum, in quibusdam Hispan. Regnis lege, ac consuetudine prohibetur.*

28 *Cambium in quo campsor primò dat pecuniam vt supra, quas conditiones exigat, vt stipendiũ ex eo iustè exigi possit, declaratur.*

1 AD euidentiam eorum, quæ in hac re dicenda erunt, est adnot. quòd cambium per litteras, vt diximus supra q. 12. nihil aliud est, nisi commutatio pecuniæ præsentis cum pecunia loco absenti. Et dicitur per litteras ex Lopez lib. 2. de cõtract. c. 3. circa principium; quoniam in eo vnus contrahentium pecuniam: alter verò litteras accipit, quarum vigore rehabetur ipsa pecunia ad cambium tributa. Dicitur etiam cambium per litteras, quia communiter per litteras celebratur, quæ mittuntur de loco ad locum; quãuis etiam per nũcium, vel per semetipsum eo proficiscentem fieri possit, vt habetur ex Nauar. in c. nauigãti, num. 21. de vsur. Est tamen verum, quòd hodie post publicationem nostræ Extrauag. litteræ de necessitate requiruntur, & quòd ita mittantur, vt suũ sortiantur effectũ: alias cambium siccũ diceretur, vt infra, Deo duce, suo loco dicemus. Diuiditur autem huiusmodi cam-
2 bium in cambium de loco ad locum, & in cambium per nundinas. Cambium de loco ad locũ est duplex: alterum, in quo campsor accipit pecuniã à cãpsuario in vno loco, restituturus in alio: alterum verò est, in quo campsor dat pecuniam in vno loco, recepturus in alio. Cambium autem per nundinas est triplex, vt d. q. 12. adnotauimus, nempe de loco ad nundinas: de nũdinis ad locum; & de nundinis ad diuerso loco nundinas: siquidem de nundinis ad eodem loco nundinas, non datur; aliàs non diceretur reale; sed siccum, vt rectè declarat Romoal. Coli de camb. cap. 27. Hæ omnes denique
3 cambiorum species reducuntur ad tria genera: nam quædam celebrãtur gratia vtriusque cambientis: quædam principaliter gratia dantis: & quædam principaliter cõstituũrur gratia accipiẽtis, vt habetur ex Lopez lib. 2. de contract. c. 3. Primum cãbij genus dirgitur ad consulendum necessitatibus vtriusque cãbientis. vt si Titius v. g. qui commoratur Neapoli ibi sua pecunia indigeat, quã habet Genuæ: & Sẽpronius Genuæ sua pecunia egeat, quã habet Neapoli, cõmutent eas, ita vt Sempronius det Titio pecunias suas, quas habet Neapoli: & Titius det litteras Sẽpronio, vt pecuniæ ipsi soluãtur, quas habet Genuæ, huiusmodi cãbium dicitur celebrari gratia vtriusque cãbientis, cũ in vtriusque vtilitatẽ cedat; quorũ alter Genuæ, alter vero Neapoli pecunia indiget. Secundũ cãbij genus principaliter respicit vtilitatẽ dantis pecuniã in vno loco, vt cãbita sibi reddatur in alio. vt si Titius egeat 100. aureis Genuæ, det eos Sempronio cãpsori Neapoli, vt sibi reddat Genuæ. Hoc cãbium cũ secundũ aliquos includat cõtra-

ctum locationis operum, cùm detur pecunia traijcienda a Neapoli Genuam; atque ideò Titius censeatur conducere operas Sempronij ad pecuniam ipsam transportãdam, proculdubio talis contractus dicitur celebrari in gratiam, & commoditatem dãtis principaliter: siquidem contractus locationis in vtilitatem conducentis operas, quas locat alter, principaliter redũdat cum ad eiusdem instantiam constituatur; licèt minus principaliter concurrat etiam vtilitas locantis operas, quatenus mercedem consequitur. Tertium denique cambij genus principaliter respicit vtilitatem seu indigentiam accipientis. Vt si Titius indigẽs 100. aureis Genuæ, accipiat eos à Sempronio Neapoli, & det ei litteras, vt ipsi cambiti reddantur ei Genuæ: cambium istud dicitur fieri principaliter in gratiam accipientis, ex cuius parte se tenet finis principalis, qui non est alius, quàm instanti suæ necessitati consulere: minus verò principaliter in gratiam cambio dantis, in quantum emolumentum aliquod ex eo intendit, vt declarat Lopez loco citato, & cap. 10. De his igitur omnibus, & singulis cambijs per proprias, ac speciales quæstiones agemus, & primò de cambio, quo campsor accipit pecuniam in vno loco reddendam in alio.

Secundò est adnot. quòd cambium cùm
4 sit contractus respectiuus, vt supra probauimus, q. 10. concl. vlt. ad eum celebrandum exigit pluralitatem personarum; atque ideò quandoque exigit ad minus duas personas, vt patet in cambio ad minutum: & in cambio per litteras, in quo Titius campsor v. g. dat Sempronio centum aureos Genuæ, sibi reddendos Placentiæ, & deinde solutionis tempore ambo Placentiam se conferunt, & Sempronius Titio pecuniam reddit. Aliquando verò in cambio per litteras celebrando concurrunt tres personæ, nempe campsor, campsuarius & procurator, seu socius campsoris; qui duplicem personam repræsentet, campsoris scilicet, & campsuarij: vt Titius campsor, v. g. dat Sempronio 100. aureos Genuæ sibi reddendos Placentiæ ad primas nundinas: Sempronius dat litteras Titio, directas Caio procuratori, seu socio eiusdem Titij, vt soluat Titio dictos 100. aureos; tunc Caius fungitur munere duplicis personæ iuxta mandatum sibi datum a Titio, & Sempronio: nam soluit nomine Sempronij campsuarij, & eandem pecuniam recipit nomine Titij campsoris. Id autem non est inconueniens, quando Caius habet pecunias Sempronij apud se, quibus suis creditoribus satisfaciat, vel de propria eiusdem pecunia debitum ipsius Sempronij soluat: aut ad cambium recipiat ab aliquo Tertio, vt satisfaciat, vt infra, Deo duce, suo loco dicemus. Aliquando tandem personæ, quæ interueniunt in cambio sunt quatuor, nempe campsor, campsuarius, & amborum procuratores, seu socij. Vt v. g. Titius campsor dat centum aureos Sempronio Genuæ, sibi soluendos Romæ: recipit ab eo litteras directas ad Meuium procuratorem Sempronii pro solutione dictorum aureorum 100. Caio procuratori ipsius Titii campsoris. Solutio autem ex conuentione quandoque fieri solet visis litteris: quandoque post octo, decem, quindecim, aut viginti dies, numerandos à die præsentationis litterarum.

His sic stantibus, vt facilius referamus,
5 & explicemus formam litterarum, quæ dari solent in cambio per litteras de loco ad locum, in quo campsor accipit pecuniam in vno loco, cambitam restituendam in alio, supponamus, quòd in huiusmodi cambio tres personæ cõcurrant, nempe Titius campsor, & Sempronius campsuarius existentes Genuæ: & Caius procurator Titii campsoris, qui Romæ commoretur. Sempronius indiget Romæ centum aureis, illos dat Titio campsori Genuæ, vt sibi soluantur Romæ, Titius igitur receptis prædictis centum aureis, dabit litteras Sempronio directas Caio suo procuratori, Romæ commoranti, tenoris sequentis.

Al nobile Caio, à Roma, 1628. à primo de Maggio in Genua ducati 98. d'oro.

A otto giorni, littera vista, pagarete per questa prima di cambio à Sempronio ducati 98. d'oro di Camera della vecchia valuta, per la valuta hauuta qua di contanti dal detto Sempronio, e mettete come s'auuisa. Vostro Titio.

Declarantur supradictæ litteræ hoc mo-
6 do. Dicitur primò *Al nobil Caio*, quoniam lit-

litteræ scribuntur ad Caium à Titio campsori, vt soluat Sempronio campsuario: qui quidem Caius non est vnus ex contrahentibus; sed est mandatarius ipsius Titij, qui ex eo quod scribit litteras, probatur debitor Sempronij, & non eximitur ab obligatione; nisi post acceptationem litterarum à Caio, & debiti solutionem: qua facta, ipse Titius remanet deinde obligatus Caio, vt supra mandatario, vt rectè explicat Scac. de commerc. & camb. §. 2. Glos. 9. & 10. Et sic cābij, de quo agitur, litteræ debent continere nomina tum cāpsoris pecuniam recipientis, tum campsuarij dantis, tum denique procuratoris, seu mandatarij ipsius campsoris.

Dicitur secundò, *A' Roma*, 1628. *à primo di Magio, in Genua*. atque ideò in litteris apponitur dies, & annus, & locus à quo, & ad quem mittuntur. Non tamen hæc omnia sunt de litterarum cambij forma, cum sint scriptæ manu contrahentis, quatenus debeant probare contra scribentem; quoniam scriptura priuata, quæ debet probare pro scribente, licèt opus sit, vt contineat tempus, & locum, ac si esset instrumentum publicum; non tamen hæc exiguntur, quando probare habet contra scribentem, vt habetur ex Mars. singul. 429. Rebuff. in suo tract. de Chirogr. & sched. recognit. in præfat. num. 88. & 95. tom. 1. & ex alijs, quos refert, & sequitur Scac. de iudic. caus. lib. 2. cap. 11. num. 281. & 282. & in tract. de commerc. & camb. §. 2. Glos. 1. num. 8. & 9. & Glos. 2. num. 5.

Dicitur tertiò, *A' otto giorni, lettera vista*. quoniam hæc verba denotant solutionem dictorum ducatorum esse faciendam Sempronio post octo dies, præsentatis supradictis litteris Caio procuratori ipsius Titij, ad quem litteræ diriguntur. Solent etiam apponi in litteris verba, *ad vs.* non expresso aliquo determinato tempore; & tunc solutio facienda est infra tot dies, secundum vsum, & placitum plateară, in quibus cambia fiunt, vt habetur ex Rota Genuen. decis. 32. num. 5. in fin. & Azor. p. 3. Inst. moral. lib. 10. de cam. cap. 5. q. 4. quamuis non desint, qui velint, verba illa, *ad vso*. denotare terminum octo dierum, computandorum à die, quo litteræ acceptantur; atque ideo iste casus videtur idem cum primo, vt habetur, ex Scac. post alios, de commerc. & camb. §. 2. Glos. 5. num. 8. Præterea in litteris ex partium conuentione quandoque non apponitur tēpus; sed dantur simpliciter sub hac forma, *Lettera vista*. & tunc statim illis præsentatis, facienda est solutio. Est tamen verum, quòd licèt litteræ dentur, vt ipsis visis solutio fiat; nihilominus in quibusdam locis consuetudo est, vt solutio differri possit citra pœnam aliquam, post quatuor, sex octo, vel etiam decem dies post acceptatas litteras, vt ait Romoal. Col. de camb. cap. 9. Salon. eod. tract. q. 4. ar. 2. contr. 18. num. 2. Azor. p. 3. Inst. moral. lib. 10. de camb. cap. 5. q. 4. & Scac. loco citato, num. 5. & 6. Idē significant verba illa, *Ad ogni suo piacere*. vt per eundem Scac. de commerc. & camb. §. 1. q. 5. sub num. 44. vers. Aduerte tertiò. Denique in litteris solent apponi verba illa, *A' pagamenti de fiera prossima*. quæ propriè apponuntur in litteris cambij ad nundinas, de quibus infra suo loco, Deo fauente, dicemus: nō autem in litteris cambij de loco ad locum.

7 Dicitur quartò, *Pagarete*. Hoc verbum est præceptiuum, & idem significat, quòd, *Pagate*. quod verbum est imperatiuum, & operatur duos effectus, quorum alter est, vt litteræ sint dispositiuæ, atque ideo reuocari non possint; sicut reuocari possent si tales non essent; sed diceretur, *Piaccia pagare*. atque adeò dicerentur mandatariæ; quæ reuocantur, sicut mandatum ad libitum mandantis, vt per Bald. in rub. C. de constit. pecun. num. 12. in fin. vers. secundò circa hoc, Curt. Iun. cons. 132. sub num. 2. & 6. Rota Genuen. decis. 10. Sed hæc distinctio merito reijcitur à Scac. de commerc. & camb. §. 2. Glos. 5. sub num. 450. Etenim contra-
8 ctus cambij fit ad vtriusque cōtrahentis vtilitatem: & propterea, nisi vtriusque concurrat voluntas non potest rescindi, vt per Baldum loco citato, vers. Quartò circa hoc: & cons. 348. aliàs cons. 349. num. 2. in fin. Soc. cons. 68. in princ. lib. 3. & ita ex communi Doctor. sententia fuit definitum per Rotam Genuen. decis. 32. sub num. 5. quam cum alijs refert idem Scac. loco citato, sub num. 447. vbi sub num. 450. vers. Hæc limitatio, probat, quòd etiam in litteris dispositiuis

tiuis, si datus sit ordo gratia scribentis tantùm, potest re integra, per scribentem reuocari. Alter effectus quem operantur verba illa, *Pagarete*, est, vt solutio fiat sine dilatione, iuxta tamen ea, quæ supra adnotauimus dicto præced.

Potest autē fieri solutio dupliciter: pro-
9 priè scilicet, & formaliter: & impropriè, ac fictè. Propria, & formalis solutio dicitur, quæ fit in formali specie obligationis. vt si obligatio sit de soluendo frumento, soluatur frumentum; si de pecunia; soluatur pecunia, &c. Etenim propria, & formalis solutio appellatur, qua debitor facit id, quod facere promisit, l. solutionis verbum, ff. de solut. & in Inst. quib. mod tollit. oblig. in prin. vndè si quis est obligatus soluere pecuniam auream, & eam soluat, dicitur propriè soluere: & si est obligatus tradere claues domus, & eas tradidit, dicitur propriè facta solutio, vt habetur ex Paul. Castr. in rub. de solut. & Scac. de commerc. & camb. §. 2. Glos. 5. sub num. 19 vbi ait, quòd licèt solutionis verbum significet omnem liberationem; nihilominus ex communi vsu loquendi verbum, soluere, denotat propriè pecuniæ solutionem. Impropria vero, seu
10 ficta solutio vocatur ea, quæ & si non fiat in præcisa specie, & forma obligationis; habet tamen per omnia vim, & effectum solutionis; atque adeò liberat debitorem, vt habetur ex Mant. de coniect. vlt. volunt. lib. 11. tit. 17. sub num. 34. vers. Illud quoque. Scac. loco citato, num. 4. P. Iust. de contin. camb. q. 5. num. 24. & Syl. ver. solutio, num. 1: vbi ponunt multa exempla fictæ solutionis, & signanter compensationem, & acceptilationem inter fictas solutiones connumerāt. vndè licèt acceptilatio non sit propriè solutio; attamen adeò obtinet vim proprię, ac verè solutionis, vt stante statuto, quòd contra instrumentum guarantigium non possit opponi, nisi exceptio solutionis, posset debitor opponere acceptilationem, vt per Guid. de Suz. tract. de Instrum. guarent. in fin. num. 54 & 55. tom. 6. p. 2.

Et quamuis liberatus per acceptilationem non dicatur liberatus per solutionem; est tamen verè liberatus à debito, & ab obligatione, vt habetur ex Paul. Castr. in l. solutam, num. 2. in fin. ff. de solut. & Scac. d. Glos. 5. num. 48. cum plur. seq. vbi etiam num. 54. & 55. fictas solutiones appellat cessionem, & delegationem, nec non accommodationem scripturarum in mercatorum libris: quia illa scriptura obtinet vim solutionis, Rota Genuen. decis. 2. num. 4. in fin. & 5. Et quòd per solam scripturam in libro rationum fiat solutio citra pecuniam numeratam, docet Salon. de camb. q. 4. ar. 3. contr. 12. sub num. 4. vers. colligunt, tom. 2. Imo apud famosos mercatores rarò numerari pecunias, sed adscribi in litteris crediti, vel debiti, testatur Nauar. lib. 5. suor. consil. tit. de vsur. cons. 31. vers. Ad primum iam: quem refert Scac. d. num. 55. vbi etiā probat, quod solutio dicitur fieri in loco, vbi accommodatur scriptura: & per acceptationem chirogrophorum per Depositarios, & litterarum acceptationem per eos ad quos diriguntur: quibus adde P. Iustin. de contin. camb. q. 5. num. 24. & 25. An autem acceptilationis, & compensationis exceptiones impediant executionem census in Regno nostro Neapolitano, vide ea, quæ adnotauimus in nostris Commentar. in Extrauag. Pij V. de cēsib. §. 3. q. 24. num. 89. cum plur. seq.

Est tamen verum, quòd adhoc, vt ficta
11 solutio habeat vim realis solutionis, exigitur, vt sit aliàs possibilis: quia fictio est legis aduersus veritatem in re possibili, & ex iusta causa dispositio, vt per Bart. & alios in l. Gallus, §. si eius, ff. de liber. & posth. & facit tex. in l. qui ad certum, ff. loc. Etenim acceptilatio licèt sit ficta quædam solutio; non tamen est solutio chimerica, sed est solutio quædam virtualis, & æquiualens facta pro solutione reali, & vice illius. Vndè per acceptilationem litterarum, accommodationes scripturarum in campsorū libris, nouationes, cessiones, & delegationes licèt fieri possint fictæ solutiones, quæ vim habeant veræ, ac realis solutionis, vt in l. si rem alienam, §. omnes, ff. de pignor. action. nihilominus quòd censeatur facta ficta solutio ab eo, qui nullo modo habet in bonis, nulla lege cauetur, cùm non fundetur fictio super impossibili, aut in materia cambiorū fuit decisum per Rotam Genuen. decis. 1. num. 22. & 23. his verbis, *Cessat enim solutio, & exactio à se ipso, quando exigere, & soluere*

uere debens caret pecunia, l. diuortio, de negot. gest. & ibi Paul. de Castr. &c. Quòd ergò dicta annotatio tempore feriæ elapso, inducat solutionem in eo, qui non habet pecuniam, est inducere fictionem super impossibile, l. Gallus, §. ille casus, de lib. & posth. l. qui ad certum, ff. loc. Hæc, & alia habētur ex Iustin. d. q. 5. à num. 22. ad 27.

Potest quoque fieri solutio litterarum, nō
12 solùm per solutionē eius, cui litteræ cambij sunt directæ simpliciter, & sine protestu, de qua supra egimus; verum etiam per tertium, & per ipsummet, cui litteræ diriguntur, non vt mandatarium; sed vt tertium. Exemplum prioris solutionis patet in eo, cui litteræ sunt directæ, & qui recusat soluere, ac complere litteras ipsas: nam tunc si tertius soluat nomine illius, qui eas scripsit in honorem litterarū, tenet solutio, & actio acquiritur ipsi soluenti contra debitorem scribentem: siquidē vtiliter egit negotium scribētis, dum soluendo liberauit eum à suo creditore, vt habetur per Rotam Genuen. decis. 6. Menoch. cons. 296. num. 24. & ita communiter seruari in Curia Mercat. testatur eadem Rota decis. 32. in fin. prin. Exemplum verò posterioris solutionis est, cùm is, cui litteræ cambij sunt directæ, non recusat eas, sed illas acceptat protestans se non acceptare litteras vigore mādati, sed illas acceptat tanquam tertius, & easdem vult soluere tanquam tertius pro ipsarum honore, & habere obligatum scribentem, & non eū, quem scribens vult delegare, vt fuit resolutum per d. Rotam Genuen. d. decis. 6. sub num. 2. 7. & 8. & d. decis. 32. in fin. prin. & num. 1. & latè habetur per Scac. de commerc. & camb. §. 2. glos. 5. num. 357. cum plur. seq.

Quòd si is, cui litteræ cambij diriguntur,
13 illas non acceptet, nec alius appareat, qui eas velit soluere, tunc creditori sufficienter consulitur per protestationē, cuius formam ponit Scac. de commerc. & camb. §. 7. glos. 2. sub num. 16. siquidem, ea facta, creditor cambij potest agere contra debitorem, vt per Rotam Genuen. decis. 8. num. 19. & contra eum via executiua vti, iuxta stylum Curię Genuēsis, de quo per eundem Scac. loco citato, num. 4. & 5. & §. 2. glos. 5. sub num. 316. cum plur. seq. vbi num. 318. & 319. testatur etiam, quòd Genuenses, vel inter Genuenses, & extraneos creditores cambij, eo casu non solùm posse; sed teneri protestationem adhibere intra 30. dies à die solutionis faciendæ; aliàs perdet lucrum cambij.

Dicitur quinto, *Per questa prima de cam-*
14 *bio.* quoniam aliquando plures dantur litteræ, ad finem, vt si vna perdatur, altera præsentari possit, vt solutio fiat. Quòd adeò verum est, vt si littera deperdita citra culpam creditoris cambij ab aliquo inueniatur, qui sub falso nomine eius, cui soluenda est, aut falsificata manu scribentis exegit ab eo, ad quem dirigebatur, à debiti solutione non ob id liberaretur cambij debitor, & is, ad quem litteræ diriguntur à solutione alterius: nam licèt bona fides soluentis excuset debitorem, si est debitor certæ rei, seu speciei; nō tamen excusat debitorem in genere, seu quanritate, vt habetur ex Paulo Castrensi in l. si Procuratori, not. 3. num. 8. & Alex. num. 16 ff. de condit. ob caus. Rota Diuers. decis. 76. num. in fin. & num. 3. & Scac. d. §. 2. glos. 5. num. 340. cum plur. seq.

Dicitur sextò, *Ducati 98. d'oro de Camera*
15 *della vecchia valuta.* Pro horum verborum explicatione sunt quinque notanda. Primò quia Titio campsori fuerūt Genuæ à campsuario data scuta aurea iusti ponderis, impressionis eiusdem Ciuitatis, quodlibet 68. solidorum aureorum: & per supradictas litteras, vt ipsi Sempronio soluantur ducati. Secundò campsor recipit centum aureos Ianuenses, & mandat solui Sempronio Romæ 98. ducatos. Tertiò campsori dantur scuta realia, & existentia in rerum natura: & in litteris mandatur solutionem fieri in ducatis aureis Camaræ della vecchia valuta, quæ sunt fictitia, & non reperiuntur in rerum natura. Imò in Vrbe cùm fit mentio de cambijs, ea statim intelliguntur celebrari ex ducatis de Camera; quorum centum valent centum, & duos cum dimidio de auro in aurum monetæ florentinæ; sicut Neapoli cambia intelliguntur celebrari ex ducatis de Carlenis, quorum centum viginti valent centum scutos florentinos: in Hispania cōtrahuntur ex marauedinis æreis, quorum 500. valent vnum scutum: in Flandria

Flandria contrahuntur groſſis, quorum 80. valent vnum ſcutum: in Britrania celebrantur ſtallinis, quorum 70. valent vnum ſcutum: in Gallia contrahuntur marchis, quarum vna valet 65. ſcutos illius monetæ, vt rectè declarat Lup. in c. nauigāri, §. 2. num. 17. verſ. aliquo modo, de vſur & Scac. de cómerc. & camb. §. 2. Gloſ. 3. ſub num. 79. Quartò eſt adnot. quòd licèt ducati illi Cameræ non repetiantur; nihilominus ſolutio fit in ſcutis aureis Romanis, & pro 98. ducatis aureis Cameræ dantur ſcuta aurea Romana centum, quæ valent ſcuros aureos Ianuēſes 99. ſicut pro ſingulis ſcutis de marcha, qui non extant, dantur in nundinis Placentiæ ſingula ſcuta Ianuenſia, quorum quodlibet conſtat ex 68. ſolidis Ianuenſibus, & in Gallia valet 44. ſolidis turonēſibus, vt bene declarar Romoal. Col. de camb. cap. 11. vndè in hoc cambio Titius campſor lucratur ſcutum vnum: & Sempronius campſuarius minus recipit, quàm dedit.

Dicitur ſeptimò, *Per la valuta quà de contanti dal detto Sempronio.* ideſt pro valore pecuniæ hic receptæ à Sempronio: quādo autem contingeret, eundem mercatorem accipere ad cābium nomine alterius, & dare ſibimet ſuo nomine, vel alterius, ita vt gereret perſonam duorum, tunc vteretur in litteris, clauſula, *valuta contami.* ideſt pro valore pecuniæ, quam mihi ipſi ſolui.

Dicitur denique, *& mettete come s'auiſo.* quoniam mercatores habēt librum, in quo debēt adnotare debita, & credita: & ad hoc vt ſciat Caius, ad cuius rationem ſoluram pecuniam debeat adnotare; idcirco ſcribūtur aliæ litteræ, quæ nuncupantur, *d'auiſo.* de quibus infra, Deo duce, dicemus, in declaratione cambiorum per nundinas, ne bis idem repetamus. Beneuerum eſt, quòd quando in ipſiſmet litteris, vt ſupra declaratis, quæ dicuntur, *de cambio.* narratur cauſa propter quam pecunia eſt Romæ ſoluendà, tunc non e[illegible] opus alijs litteris, quæ appellantur, *de auiſo.*

His igitur ſic adnotatis, breuiter reſpon-
16 detur, cambium per litteras, quo campſor
accipit pecuniam in vno loco, reſtituturus
in alio, & de quo agitur, & noſtra eſt con-
trouerſia, eſſe iuſtum, ac humanæ ſocieti
valdè vtile, ac neceſſarium, iuſtèque ex eo
percipi poſſe ſtipendium. Hæc concluſio
eſt communis, quam tenent Caiet. in ſuis
opuſc. tom. 2. tract. 7. cap. 6 & 7. Sot. lib. 6.
de iuſt. & iur. q. 10. ar. 1. & q. 11. ar. 1. Con-
rad. de contr. q. 99. Nauar. in c. nauiganti,
num. 21. & ſeq. de vſur. & in Man. cap. 17.
ſub num. 284 Lopez lib. 2. de contr. cap. 4.
Molin. eod. tract. diſp. 403. Salon. de camb.
q. 4. ar. 2. contr. 1. Leſſ. lib. 2. de iuſt. & iur.
cap. 23. dub. 3. Azor. p. 3. Inſt. moral. lib. 10.
de camb. cap. 5. Reginal. lib. 25. ſuæ prax.
num. 454. cū plur. ſeq. Valent. tom. 3. diſp.
5. q. 3. pun. 4. Salas de camb. dub. 8. Tuſch.
tom. 1. ver. cambium, concl. 11. Bonac. de
contr. diſp. 3. q. 5. prop. 4. Scac. de com-
merc. & camb. §. 1. q. 7. p. 2. ampl. 7. cum
alijs quamplurimis, quos allegant. Hinc
Bald. in c. 1. num. 9. de plus petit. huiuſmo-
di cambium valdè laudat. Etenim hæc eſt
primeua cambiendi forma, qua antiquitus
campſor nihil aliud præſtabat, quàm vt pe-
cunia, quam ipſe recipiebat in vno loco,
reſtitueretur in alio à ſuo procuratore, da-
tis ad illum litteris.

Probatur hæc ſententia primò; quoniam
17 hanc cambiendi formam ab initio gentes
ſibi introduxerunt, & ea paſſim vtuntur: nec
aliquis fuit auſus illam damnare: ergò di-
cendum eſt tale cambium eſſe iuſtum, & iu-
ri naturali, ac rationis dictamini valdè con-
ſentaneum: ſiquidē quod ab omnibus Na-
tionibus eſt receptum non poteſt eſſe, niſi
ſecundum ius naturale; atque ideò iuſtum,
18 ac licitum: & eo maximè, quia iure ciuili
permittitur, vt in l. traiectitia, & toto tit. ff.
de naut. fœn. & vi noſtræ Extrauag. non
ſolùm non damnatur; ſed certa forma pro
eo celebrando conſtituitur.

Secundò, hoc cambium eſt valdè vtile;
19 imò & neceſſarium humano generi, cùm
numiſmatum valor ſit varius in varijs, ac
diuerſis locis, & variæ ſint hominum indi-
gentiæ tàm in eodem, quàm in diuerſis lo-
cis: & per huiuſmodi cambium commodè,
& citra omne periculum pecuniæ traijciun-
tur de loco ad locum, tum ad emēdas mer-
ces in remotiſſimis locis; tum etiam ad con-
ſulendū hominū indigentijs: ergò tale cam-
bium eſt iuſtum, ac licitum: aliàs humanis
indigentijs non eſſet ſufficienter prouiſum.

Ter-

Tertiò lucrum ex hoc cābio passim per-
20 cipitur, & publicè celebratur inter bonos, ac legales viros citra omnem conscientiæ formidinem: ergò signum euidens est hoc cambium esse licitum, & lucrum ex eo licitè percipi. Etenim consuetudo celebrandi contractum per graues, & bonos viros, excusat contrahentes non solùm à culpa; sed etiam à pœna, vt latè supra probauimus, q. 8.

Denique probatur ex ijs, quæ dicemus in sequenti quæstione, vbi non nullos iustos titulos afferemus, quibus lucrum ex tali cābio licitè percipi posse apertissimè demonstrabitur: ergò cambium, de quo agitur non solùm est vtile, & necessarium; sed iustum, ac licitum, naturali, ac Diuina lege permissum.

Ampliatur primò hæc conclusio, vt hu-
21 iusmodi cambium verum, ac reale sit, & ex eo iustè stipendium percipiatur, siue commutatio pecuniæ fiat cum pecunia diuersa genere, seu diuersa specie; siue diuersa numero tantùm: siquidem saluatur essentia, & natura permutationis in commutationibus non modò rerum, quæ genere, vel specie differunt; sed etiam rerum tantùm numero discrepantium: vt patet in commutatione bouis cum boue; agni cum agno, &c. vt habetur ex Sot. lib. 6. de iust. & iur. q. 8. ar. 1. & ex alijs. Vndè malè Medina de reb. per vsur. acquisitis, q. 5. definiens cambium per litteras, inquit, quòd sit commutatio pecuniæ vnius Regioni cum pecunia alterius; atque adeo, q. 9. quòd si in cambio ex conuentione partium pecunia soluenda esset similis, quòd tunc non esset cambium, sed mutuum: quia cùm non adsit diuersitas monetarum concurrerent omnia substantialia mutui; cùm daretur pecunia cum trāslatione dominij in accipientem, & periculum sit accipientis, ac debeat non eadem numero pecunia restitui. Etenim licèt in his conueniant cambium, & mutuum; tamen in quamplurimis alijs differunt, vt supra probauimus, q. 8. in respons. ad 3. argum.

Secundò ampliatur eadem conclusio, vt
22 cambium, de quo agitur, non solùm sit iustum, & iustè ex eo lucrum percipiatur, si fiat cum campsore publico, seu ex officio; verum etiam si fiat cum persona priuata, quæ campsoris munere non fungitur: siquidem huic quoque licitum est, ex huiusmodi cambio emolumentum aliquod consequi; nisi aliqua positiua lege personis priuatis fuerit interdictum lucrum ex cambio per litteras percipere; sicut diximus supra de cambio ad minutum agentes. Etenim qui in vno loco pecuniam percipit, in alio eam soluturus eo ipso alteri obsequium præstat, ex quo citra pericula, & labores, ac expensas aliò non transferret, vt q. seq. latius patebit: ergò licitè incrementum aliquod ex tali cambio consequi potest. Ita Sot. lib. 6. de iust. & iur. q. 10. ar. 1. Reginal. lib. 25. suæ prax. num. 451. in fin. & alij. Est tamen ve-
23 rum, quòd priuatis hominibus non est licitum tantum lucri ex dicto cambio percipere, quantum campsori ex officio fas esset; sicut supra diximus de cambio ad minutum agentes: quia campsor publicus plures habet causas assequendi lucrum: persona verò priuata pauciores, vt supra q. 14. ostendimus. in resp. ad 1. argum. Sot. loco citato, Azor. p. 3. Inst. moral. lib. 10. c. 5. de camb. q. 7. versic. Sed certè priuatis hominibus: & Filliuc. tom. 2. qq. moral. tract. 35. cap. 6. q. 8. num. 397. vbi etiam addit, quòd Mercatores cùm ad alia soleant respicere in imponendo cambiorum pretio, si aliæ rationes æquè militent in priuatis personis, ac in publicis campsoribus, non videt, cur non possint æquale lucrum referre: & propterea in praxi ita seruari testatur: quia in cambijs habetur tantùm ratio ad pretium cambiorum, quod currit in foro illa hebdomada.

Tertiò ampliatur dicta conclusio, vt iu-
24 stum sit dictum cambium, & iustè consequi possit ex eo lucrum; siue fiat de vno in aliud Regnum: siue de vna in aliam Ciuitatem infra vnum, & idem Regnum. Ita Sot. lib. 7. de iust. & iur. q. 6. ar. 1. retractans, re melius considerata, id, quod in contrarium docuit in eodem lib. q. 3. ar. 2. Nauar. in c. nauiganti, num. 28. de vsur. Garc. de contract. p. 2. cap. 12. Lopez eod. tract. lib. 2. cap. 11. vers. Tertiò dicimus, Azor. loco citato, q. 6. Filliuc. tom. 2. qq. moral. tract. 35. cap. 6. q. 6. Reginal. lib. 25. suæ prax. num. 455. in fin. & alij, moti ex eo, quòd campsor licèt ad cambium det infra vnum, & idem Regnum; semper tamen campsuario obsequium præstat: nam

nam illius pecuniam virtualiter dicitur asportare, & aliquando realiter, vt dicemus, q. proxima. Item officium vtile in Repub. exercet in conquirendis, parandis, & asseruandis pecunijs, ad cambia celebranda seruientibus: & non minus periculi quandoque instat in transferendo pecuniam de loco ad locum infra idem Regnum, quàm de vno Regno ad aliud, vt Lopez ait, exemplificari posse in Regno Cataluniæ, vbi viæ scatent perditis hominibus, vbique grassantibus.

Est tamen verum quòd non licet ex tali
25 cambio infra Regnum celebrato, percipere tantùm lucri, quantum percipitur ex cambio facto in locis extra Regnum: siquidem regulariter minores expensæ eo casu fiunt, & minora pericula imminent in pecunijs transferendis, inquit Lopez ibidem, vers. Porrò, il 2. dicto primo. Et ita debere intelligi Sot. & alios contrarium sentientes, putat Azor. d.q.6. Imò hoc idem verùm esse videtur iudicare Salon. de camb. cap. 4. ar. 2. sub num. 1. vers. Secundò câbium: & vers. Quartò in cambio, quoad illud cambium, in quo campsor prius dat pecuniam in vno loco, recepturus eam cambitam in alio: siquidem pecunia tanto minus valet, quanto magis distat, cùm plus valeat pecunia præsens, quàm absens: & ita intelligendam esse, ait, nostram Extrauag. statuentem, in terminis rationem esse habendam longinquitatis, & vicinitatis locorum, in quibus solutio destinatur: quod quidem licèt verum nobis videatur; id tamen ex nostra Extrauag. non videtur colligi posse: quoniam per dicta verba constitutio ipsa non statuit, vt cambium, quod fit ad loca magis distantia fiat cum maiori lucro; sed ne dum longiores termini præfigantur, quàm loca destinatæ solutionis expostulant, fœnerandi detur occasio.

Imò ipse audiui à campsoribus Genuen-
26 sibus magni ponderis, quòd in cambijs per litteras non habetur ratio distantiæ, aut vicinitatis locorum pro interesse cambij taxando; sed haberi rationem maioris, vel minoris æstimationis, quam pecuniæ habent in diuersis locis, in quibus cambia celebrantur, propter maiorem copiam, vel inopiam earum in illis. Vndè Merc. de contr. tract. 2. cap. 5. & multi ex Recentior. dicunt, figmentum esse construere iustitiam lucri cambij localis in eo quòd talis contractus sit translatio, seu translatio quædam pecuniæ cum expensis, periculis, & laboribus campsoris: sed quia cùm talis contractus sit commutatio pecuniarum, & vt plurimum celebretur in vno loco, in quo illarum est magna copia, in alium, in quo earundem est inopia, & è contra: atque adeò minus valet pecunia, vbi maior est eius copia, sicut & aliæ merces, quàm vbi adest copia minor; idcirco, vt hæc inæqualitas diuersæ æstimationis reducatur ad æqualitatem exhibetur aliquando à campsuario ipsi campsori lucrum illud, & excessum: & aliquando è conuerso recipit illud campsuarius à campsore. Idem habetur etiam ex Less. lib. 2. de iust. & iur. cap. 23. dub. 3. num. 26.

Hæc vera sunt de iure communi, & lo-
27 cum sibi vendicant vbi non adest consuetudo in contrarium. Etenim testatur Salon. de camb. q. 4. ar. 2. contr. 5. num. 4. quòd in Hispania ex communi mercatorum consuetudine non fiunt cambia de loco ad locum infra idem Regnum: imò lege humana id est expressè prohibitum in Regno Castellæ, & in Lusitania. Non esset tamen obligatio restituendi, quando id lucri, quod perciperetur, ex natura rei iustum esset, vt habetur ex Filliuc. tract. 35. cap. 6. q. 6. concl. 2. num. 395. & in dubio lex prohibens cambium infra idem Regnum, debet intelligi de cambio ad nundinas, in quo solet committi vsura: non autem de cambio, de quo agitur, in quo cessat omnis suspicio, vt post alios docet Scac. de commerc. & camb. §. 1. q. 7. pun. 3. lim. 11. num. 10. quibus adde ea, quæ supra adnotauimus in proœm. q. 15. & infra latius suo loco dicemus.

Sic ampliata limitatur supradicta con-
28 clusio, vt ita demum cambium, de quo agitur, sit iustum, & ex eo iustè lucrum percipi possit, si tria in eo celebrando copulatiuè concurrant, vt colligitur ex Nauar. in Man. c. 17. num. 228. littera N. Molin. de contr. disp. 403. Reginald. lib. 25. suæ prax. num. 452. & Romoal. Col. de camb. cap. 5. Primò enim exigitur, vt seruetur æqualitas æstimationis, ac valoris inter pecuniam, quæ datur, & pecuniam, quæ recipitur. Secundò, vt

vt campsor pro tali cambio non plus recipiat incrementi, quàm à lege est taxatū: vel si taxatum non existat, vt plurimum accidit, illud incrementum erit iustū, quod prudentū arbitrio, aut communi cōsuetudine præfinitur, pensatis circumstantijs, de quibus, q. seq. dicemus. Non tamen committet vsuram cāpsor, si in tali cambio excedat in incremēto percipiendo: quoniā ipse nec formaliter, nec virtualiter mutuat; at vbi mutuum non est, vsura committi non potest, quāuis iniustitia interueniat cū obligatione restituendi, vt habetur ex eodē Molina, loco citato. Tertiò requiritur, vt is qui à campsore recepturus est pecuniā in loco solutionis faciendæ, non minuat ei iustam suam mercedē ratione dilatæ solutionis; alias vēderet tēpus, & vsuram cōmitteret, vt rectè declarat Romoal. Col. loco citato. Idem dicendum est, si cernens campsorem indigere hic pecunia tribuat eam illi cum onere, vt tantundem restituat in loco distanti: tunc enim cùm petat vltra sortem onus trāsportandi pecuniam in locum distantem, quod onus est pecunia æstimabile, vsuram committit. Ita ex Nauar. & alijs, Molina d. disp. 403. sub num. 8. quod tamen an sit simpliciter verum, infra patebit, q. 3. in fin. in qua agitur de cambio locali inito gratia vtriusque: quibus adde, quæ habentur ex Ioan. de Salas de camb. dub. 8. sub num. 2.

De iusto titulo, & causis iustis percipiendi lucrum ex cambio, quo cāpsor accipit pecuniam in vno loco, restituturus in alio. Q. II.

SVMMARIVM.

1 *Lucrum ex cambio, in quo campsor primò pecuniam accipit in vno loco, restituturus deinde in alio, quibus ex titulis iustè percipi possit, varia Doctor. recensentur opiniones.*

2 *Campsor accipiens pecuniam in vno loco in alium traijciendam, suo periculo suscipit, ita vt si pereat, sibi pereat.*

3 *Campsor pecuniam in vno loco recipiens, in alium traijciendam, meretur mercedem ratione obsequij, periculorum, laborum, & expensarum.*

4 *Campsor pecuniam accipiens in vno loco in alium traijciendam meretur stipendium, etiam si ratione correspondalis, amici, aut propriæ industriæ pericula, labores, & expensas non sustineat.*

5 *Campsor accipiens pecuniam in vno loco in alium traijciendam ratione interesse, ac publici officij stipendium meretur.*

6 *Campsuarij accipientes pecunias in vno loco in alium traijciendas parum hodie existimant traiectionem de loco ad locum, sed ex communi praxi habent rationem maioris, aut minoris existimationis, quam habent pecuniæ in diuersis locis.*

7 *Campsori dans pecuniam in vno loco in alium traijciendam sæpe ab ipso campsore lucrum ex tali cambio consequitur: & non campsor à dante.*

1 IN hac re quot homines tot sunt sententiæ. Nam Caiet. in suis opusc. de camb. cap. 7. & Fabian. Genuen. eo. tract. p. 2. c. 5. & alij, qui volunt, huiusmodi cambium esse contractum emptionis, ac venditionis, dicunt, incrementum ex tali cambio percipi; quia campsor pecuniam suam pluris vēdit, tanquam mercem aliquam. In hanc sententiam licèt videatur inclinare Filliuc. tom. 2. qq. moral. tract. 35. cap. 6. q. 2. concl. 3. nihilominus inquit, difficilè explicari posse, quare campsores semper lucrum percipiāt, cùm tamen aliquando pecunia ab eo recepta plus valeat, quàm illa, quam reddunt alibi: at in emptione, ac venditione debet esse æqualitas rei, & pretij. Alij qui volunt, cambium, de quo agitur esse simplicem commutationem, dicunt, lucrum ex eo percipi à campsore ratione assecurationis: siquidem tenetur campsor curare pecuniam in destinato loco esse soluendam liberam, & exemptam ab omni periculo: nam campsor accipiens hic pecuniam aliò traijciendam, non solùm suscipit onus transferendi; sed etiam periculum, ita vt si pereat, non danti; sed ipsi recipienti pereat. Alij putāt, dictū cambium esse contractum locationis operū; & propterea cāpsorem mercedē mereri; quia pecunia per eū traijcitur, seu trāsfertur suis sumptibus, industria, periculis, ac laboribus. Qui verò arbitrātur tale cābium esse contractum mixtum ex commutatione, & locatione operum, consequenter dicunt,

ex duplici titulo campsori deberi mercedem; nempe ex titulo assecurationis; & quia pecuniam transfert sua industria, laboribus, periculis, & expensis. Alij censent, quòd cambia cùm de loco ad locum celebrantur, hodie nulla alia ratione, titulo, seu nomine campsores lucrum ex eis percipere, nisi ratione maioris, vel minoris æstimationis, quam pecuniæ habent in diuersis locis, in quibus cambia celebrantur propter maiosem copiam, vel inopiam earum in illis. Alij denique dicunt esse mutuum; atque ideo lucrum ex eo non posse percipi nisi ratione alicuius interesse.

Nos autem vt consequenter loquamur;
3 quoniam supra q. 10. probauimus, cãbium non esse formaliter emptionem, seu venditionem; nec formaliter permutationem, nec locationem seu conductionem simpliciter, nec contractum mixtum ex commutatione, & locatione, nec contractum mutui; sed cõtractum innominatum, do vt des: & quòd de natura contractus innominati sit, vt possit reduci ad plures nominatos, quibus sit magis similis, & secundum eos regulari; idcircò cùm contractus talis cambij sit valdè similis contractui locationis operum, meritò ad illum reducendum esse existimamus; atque ideo, cãpsorem mereri mercedem ratione obsequij; quia pecuniam hinc aliò transfert, vbi tunc campsarius indiget; vt rectè declarat Sot. lib. 6. de iust. & iur. lib. 10. artic. 1. Conrad. de contr. q. 99. concl. 2. & alij. Secundò ratione periculorum, quibus campsor exponitur mercedem meretur: nam si pecuniæ, quas accipit, pereant, sibi pereunt; non autem campsuario eas danti: siquidem tenetur curare pecunias in destinato loco esse soluendas liberas ab omni periculo, cùm campsor accipiens hìc pecunias aliò traijciendas, non solùm suscipit onus transferendi, sed etiam periculum, vt si pereat non danti, sed ipsi pereat, vt habetur ex Lopez lib. 2. de contract. sub tit. de camb. cap. 4. qui ait, hanc sententiam esse omnium receptissimam. Hanc eandem opinionem tenet Less. lib. 2. de iust. & iur. cap. 23. dub. 3. Romoal. Col. de camb. cap. 3. & alij Recentiores: imò & antiquiores Theologos eam agnouisse testatur Salon. de camb. q. 4. ar. 2. num. 3. Vndè meritò hoc cambium in Hispania lingua vocatur ex Lopez loco citato, *Traspasso di diniero, e passage*. Tertiò campsor ex hoc cambio meretur stipendium ratione laborum, & expensarum in soluendis pecunijs in loco, vbi campsuarius indiget: oportet enim eum stipendiatos habere agentes, & procuratores in loco destinatæ solutionis.

Ne ob vt si dicatur, quòd aliquando ac-
4 cidit, vt campsor in loco solutionis faciendæ consanguineum, vel amicum habeat, qui pro ipso soluat, & ad quem litteræ mittantur citra omne periculum, labores, & expensas; quoniam respondetur, id non considerari, cùm sit per accidens; sed satis est, quòd per se res ipsa prædictis incommodis subijciatur: quòd autem campsor prædicta pericula, labores, & expensas deuitet, id suæ industriæ tribuendum est, quam non tenetur alteri donare, vt rectè docet Sot. loco citato, Azor. p. 3. Instit. moral. lib. 10. de camb. cap. 4. q. 3. Reginal. lib. 25. suæ prax. num. 453. & Less. dicto dub. 3. num. 20. qui num. 21. licèt velit, campsores pro hac virtuali translatione non posse recipere tantum, quantum si pecuniam re ipsa traijcerent, & asportarent ad locum destinatæ solutionis; nihilominus Romoal. Col. d. cap. 5. contrarium videtur tenere: siquidem is, cui committitur solutio facienda, licèt non sit campsoris procurator, sed amicus, aut consanguineus, seu correspondens; ipse tamen campsor remanet eidem obligatus tantundem soluere: quæ quidem obligatio est pretio æstimabilis.

Vltra supra numeratos titulos, si cõcur-
5 rat aliqua ratio interesse quod ipse campsor pati potest vel ratione pecunia, vt quia dat meliorem, & viliorem recipit, & minus expendibilem, vel ratione loci, vt quia pluris æstimatur pecunia in loco, vbi eam dat, quàm in loco vbi recipit; ratione talis interesse stipendium quoque campsori debetur, eò maius, quo plures habet iustè percipiẽdi titulos. Imò si campsor est campsor ex officio, ratione quoque publici officij mercedem insuper consequi potest, vt per Doctores supracitatos, quibus adde ea, quæ latè habentur ex Ioan. de Salas de camb. dub. 8. num. 2. cũ plur. seq. qui rẽ hanc diffusè pertractat, & quamplurimos Doctores allegat.

Cæ-

Cæterum licèt hæc vera sint, & in ta-
6 xando pretio cambij, de quo agitur, de prę-
dictis ritulis, & causis esset habenda ratio;
campsores tamen aliter in praxi seruant: si-
quidem parum ęstimant traiectionem illam
virtualem, & de loco non curant, an valdè
distet, vel sit propinquus: sint ne pericula
itinerum vel non; sed habetur ratio maio-
ris, vel minoris æstimationis, quam pecu-
niæ habent in diuersis locis, multitudinis, &
paucitatis cambientium, commoditatis lo-
corum ad transferendam pecuniam: & pro-
pterea sæpe accidit, vt is, qui dat pecuniam
7 campsori aliò traijciendam lucretur à cam-
psoribus, ac si ipsemet campsoris munus
exerceret. Vndè ait Less. lib. 2. de iust. & iur.
cap. 23. dub. 3. num. 26. Filliuc. tom. 2. qq.
moral. tract. 35. cap. 6. q. 2. & 7. campsores
huiusmodi patenter ostendere, se non intel-
ligere iustos titulos, ob quos in reali cam-
bio incrementum aliquod possent percipe-
re, & sæpe alia quædam considerare, quæ
magnam vsuræ continent suspicionem: &
cùm rationem habeant maioris, aut mino-
ris æstimationis, quam pecuniæ habent in
diuersis locis, in quibus cambia celebran-
tur, propter maiorem copiam, vel inopiam
earum in illis, hac ratione testatur Mercat.
de contr. tract. 2. cap. 5. campsores, & Mer-
catores ditiores, huiusmodi negotiationi
vacantes solere congregare magnam pecu-
niarum copiam in locis, in quibus norunt
pecunias defecturas: & ideo quando cam-
psor pecuniam dat in loco, in quo est illius
inopia, restituendam illam in loco vbi eius-
dem est copia, lucratur campsor: si verò re-
cipiat illam campsor vbi est pecuniæ ino-
pia, restituendam campsuario vbi adest ip-
sius copia, lucratur campsuarius, & non cā-
psor. Non tamen huiusmodi campsores re-
gulariter sunt tanquam vsurarij condem-
nandi, quando pretia communi iudi-
cio sunt constituta, vt commu-
niter fieri solet: siquidem
in hac re sincerè se
habere satis o-
stend nt,
vt
inquit Less. loco
citato.

An campsor idem lucrum ex prædicto cambio percipiat, siue pecuniam, quam accipit, sit eiusdem valoris, siue plus, vel minus valeat in loco solutionis faciendæ. Q. III.

SVMMARIVM.

1 *Campsorem accipientem pecuniam in vno loco restituturum in alio destinata solutionis, idem lucrum ex tali cābio consequi nō posse, siue pecunia sit eiusdem valoris, siue plus, minusue valeat, qui doceant, recensentur.*

2 *Cambium, quo campsor pecuniam accipit aliò traijciendam, aliquando fit gratia dantis, & accipientis simul: quandoque gratia dantis tantùm, & denique gratia accipientis dumtaxat.*

3 *Cambium, quo campsor pecuniam accipit, aliò traijciendam, aliquando fit gratia dantis, & accipientis simul: quandoque gratia dantis tantum: & denique gratia accipientis dumtaxat.*

4 *Cambium, quo campsor pecuniam accipit aliò traijciendam, vbi idem pretium habet, si celebratur gratia vtriusque cambientis ad mutuam petitionem, à neutro lucrum accipi potest. Idem dicendum est si nec mutua, vel alterius petitio interueniat.*

5 *Cambium, quo campsor pecuniam primò accipit, soluendam in alio loco, vbi est eadem in valore, licèt fiat gratia vtriusque; nihilominus si alter ab altero rogetur, primò rogatus potest petere mercedem aliquam.*

6 *Merces vltroneæ vilescunt.*

7 *Campsor cur duplex lucrū ex vno, & eodem cambio consequi possit, ratio assignatur.*

8 *Equum petens ab aliquo pro eundo Romam, quamuis nisi rogatus, fuisset illum suis expensis aliàs transmissurus, non ipse petens, sed rogatus mercedem meretur.*

9 *Equum petentem ab aliquo, qui aliàs suis expensis erat illum transmissurus, non teneri ad mercedem aliquam, qui doceant, recensentur.*

10 *Virtuale, ac reale se habent sicut tacitum, & expressum.*

11 *Cambium si contingat fieri gratia dantis tantum pecuniam in vno loco, vt sibi soluatur in alio, si pecunia est eiusdem valoris, tunc campsor nihil aliud petere potest præter puram mercedem.*

12 *Campsor accipiens pecuniam aliò traijciendam, vbi est eiusdem pretij, potest mercedem consequi, etiam si campsor ipse in loco pecunia indigeat, vbi recipit.*

13 *Cambium si fiat gratia dantis tantum pecuniam in vno loco, soluendam in alio, vbi pluris æstimatur, tunc pecuniæ reduci debent ad æqualitatem, & campsori excessus pecuniæ cum iusta ipsius mercede tribui.*

14 *Campsor cur dans pecuniam Toleti per Romam, minorem quantitatem accipit: & dãs Romæ per Toletum, maiorem.*

15 *Cambium omne ad iustitiam cõmutatiuam pertinet, & ideo in eo seruari debet æqualitas.*

16 *De minimis non curat Prætor.*

17 *Contrahentes si conueniant, pecuniam eandem numero esse transferendam ad locum, vbi plus valet per veram, ac realem transportationem, ambo lucrabuntur.*

18 *Campsores hodie lucrũ per litteras recipiunt ratione maioris, vel minoris æstimationis pecuniarum in diuersis locis.*

19 *Cambium per litteras quando fit gratia vtriusque, & pecuniæ vnius loci sint inferiores in valore, reducendæ sunt ad æqualitatem, & neutri debetur stipendium, si ad mutuam petitionem celebretur.*

1 IN hac re partem negatiuam docent Sot. Rebel. & alij, quos refert, & sequitur Ioan. de Salas in suo tract. de camb. dub. 8. circa fin. quando pecunia in loco, vbi datur campsori plus valet; aliàs secus. Mouentur ex eo quòd aliàs campsor duplex lucrum reportaret pro eodem obsequio; nempe integram mercedẽ, & pecuniæ excessum. Vndè volunt, quòd aliquãdo contingit, vt cãpsuarius non solùm nõ teneatur mercedem camb. j soluere; quin potius possit aliquid pretij exigere vltra quantitatem pecuniæ alibi à campsore sibi soluendam, si excessus valoris vbi à campsuario pecunia traditur maior sit toto pretio iusto transportationis.

2 Hæc sententia licèt sit vera; non tamen est vera simpliciter; sed multas habet limitationes: quã propter ad eius explicationẽ est adnotandum primò, quòd cambium, de quo agitur, per quod campsor accipit pecuniam in vno loco, soluendam in alio, contingit triplicitèr celebrari: primò cãbiendo de vno loco in alium, vbi pecunia idẽ pretium habet, vel quia est eiusdem speciei, vt quando fit cambium de loco ad locũ infra idem Regnum, vel eandem Prouinciam: aut quia etsi specie differat, est tamen eiusdem valoris, vt sunt testones Florentini, & Romani. Secũdò celebratur cambium de vno loco, vbi pecunia minus æstimatur, ad locum, vbi plus valet, vt si campsor accipiat Toleti centũ aureos, soluturus eos Romæ: etenim Toleti ob pecuniarum copiam aureus minus valet, quàm Romæ, vbi non adest tanta pecuniarum abundantia. Tertiò fieri solet cambiũ de loco vbi pecunia plus valet ad locum, vbi minus valet, vt si campsor accipiat centum scuta aurea Romæ, soluturus ea Toleti.

3 Secundò est adnot. quòd vt diximus supra in explicatione procem. q. 2. circa fin. & hoc eodem §. q. 1. circa prin. cambium, de quo controuertitur, aliquando contingit fieri gratia vtriusque cambientis, vt si Titius Romanus indigeat centum aureis Genuæ, quos habet Romæ: & Sempronius Genuensis indigeat centum aureis Romæ, quos habet Genuæ: & ex communi consensu Titius det Sempronio Romę centum aureos, vt sibi restituantur à Sempronio Genuæ; quoniã Titius indiget pecunia illa Genuæ, & Sempronius Romæ. Secundò contingit cambium gratia dantis pecuniam dũtaxat in vno loco, recepturus in alio, vt si Sempronius habeat cẽtum aureos Genuæ, quibus indigeat Romæ & dat illos campsori Genuæ, vt sibi restituat Romæ. Tertiò cõtingit cambium celebrari gratia accipientis, vt si Titius indigeat centum aureis Genuæ, & eos accipiat à Sempronio Romæ per Genuam, vt d. q. 1. latè declarauimus. His adnotatis, sit

Prima Conclusio.

4 SI cãbiũ, de quo agitur fieri cõtingat gratia vtriusque cãbientis ad mutuã petitio.

tionē,de loco ad locū, vbi pecunia idē pretium habet, tunc à neutro lucrū ex eo percipi potest. Hæc conclusio est Mercati, & Garc. quos refert, & sequitur Lopez lib. 2. de contract. cap. 3. concl. 2. Romoal. Col. de camb. cap. 32. Salon. eod. tract. q. 4. ar. 2. contr. 2. in respons. ad argum. primæ opin. Reginal. lib. 25. suæ prax. num. 460. & eam probabilem esse tenet Molf. p. 2. suæ sum. tract. 12. cap. 7. num. 54. Probatur, quoniam huiusmodi cambium est vtrique fauorabile, cùm ob vtilitatem vtriusque fuerit celebratum: ergo non magis vnus ab altero stipendium petere potest. Confirmatur, quia neuter potest stipendium, seu interesse petere ratione æstimationis, ac valoris pecuniæ, cùm nos supponamus in vtroque loco pecuniam esse eiusdem æstimationis. Nec etiam ratione virtualis transportationis pecuniæ ex vno loco ad alium: siquidem vnus virtualiter transfert pecuniam alterius à loco, vbi non indigent ad locum, vbi ea indigent: & propterea cùm æqualis sit famulatus vnius erga alterum, neuter eorum hac ratione potest stipendium prætendere ab altero. Idem dicendum videtur, quando neuter contrahentium ab altero rogatur, aut præuenitur, vt habetur ex Rebell. de oblig. iust. p. 2. lib. 11. q. 7. quem refert, & sequitur Ioan. de Sal. de camb. dub. 11. sub num. 3. §. ipse verò ait: & §. idem quod dicit: vbi hanc conclusionem extendunt in transportationem equi vtrique contrahentium necessariam; quoniam eadem est ratio de vtroque, & sic daretur quasi bellum iustum ex vtraque parte.

Dixi, *gratia vtriusque cambientis*. idest
5 propter necessitatem, seu vtilitatem vtriusque, & ad mutuam petitionem, vel neutrā: quia si alter eorum fuit rogatus cambire ab altero, quamuis cambium fieret propter necessitatem vtriusque, tunc is, qui fuit rogatus cambire, potest petere ex tali cambio lucrum, ac stipendium, vt docet Sot. lib. 6. de iust. & iur. q. 10. ar. 1. Reginal. lib. 25. sua prax. num. 460. in fin. Salon. loco citato, Medin. Molin. & Less. quos refert, & sequitur Salas d. dub. 11. sub num. 2. Molf. d. cap. 7. num. 55. & Filliuc. tom. 2. qq. moral. tract. 35. cap. 6. q. 9. concl. 2. num. 390.
6 Rationem autem hanc esse volunt; quia ministerium, quod campsor præstat, est pretio æstimabile, etiam si ex eo commodum referat: & quia sicut merx vltronea vilescit, ita etiam campsore, qui prior rogat alterū, & se offert ad soluendam pecuniam pro accepta viliorem reddit partem suam, vt habetur ex Medin. de camb. q. 5. Molin. de contr. disp. 305. num. 2. Tolet. lib. 5. suæ sum. cap. 52. num. 6. Rebel. d. q. 7. Salas d. dub. 11. sub num. 3. §. ipse verò, & ex alijs, quos refert, & sequitur Bonac. de contr. disp. 3. de camb. q. 5. pun. vnico, sub num. 23. Quod quidem verum esse inquit Scac. de commerc. & camb. §. 1. q. 7. p. 2. ampl. 6. num. 9. nisi is, qui præuenit quærēdo cambium, illud quærat vt campsor: & is, qui requiritur, requiratur vt campsarius: secus autem è conuerso, quando quærens quæreret, vt cāpsuarius: & ita inquit, procedere doctrinam Soti, & aliorum; cum qua limitatione concordat. Azor. p. 3. Inst. moral. lib. 10. de camb. cap. 5. q. 7. in fin. dum ait, quòd si mihi opus esset pecuniā meam ex Hispania Romam transportare, & Titius in Hispania peteret à me pecuniam illam, restituturus eandem Romæ: Titius, qui ea pecunia indigebat in Hispania, potest nihilominus à me lucrum exigere: quia, inquit, facit officium nummularij.

Est tamen verum, quòd si tam campsor,
7 quàm campsuarius eorum necessitatem inuicem compertam haberent, possunt inuicem aliquid ex charitate remittere: sed qui nollet, non peccaret mortaliter: sicut nec qui indigens mille aureis in Hispania, tradat eos mercatori, & hic alium quærat, qui accipiat ad cābium pro Hispania: siquidem licèt mercator dupliciter lucretur, pro solutione in Hispania recipiendo Romæ, & pro solutione facta Romæ, vt recipiat in Hispania; tamen quia vtrunque obsequium est pretio æstimabile, & sua industria vtrique cambium in suum commodum cedit; ideo iustum est vtriusque lucrum. Ita Salas, quem refert, & sequitur Filliuc. loco citato.

8 Idem dicendum est de transportatione equi vtrique cōtrahentium necessaria: nam si ego existens Neapoli remissurus essem equum Romam meis expensis, si quis peteret à me dictum equum titulo locationis,

quo Romam peteret, possem proculdubiò pro locatione dicti equi mercedem petere: sed si ego essem primus, qui rogassem Romam iturum, vt equum illuc reportaret, quãuis equo ipso indigeret, posset vtique à me mercedem aliquam consequi, vt habetur ex Sot. loco citato, Lopez lib. 2. de contract. cap. 4. q. 2. in 2. argum. & ex alijs, quos refert, & sequitur Ioan. de Salas, d. dub. 11. §. Idem quod dicit.

Illud autem hoc loco nolui esse silentio
9 prætereundum, quod tradunt Molfes. loco citato, & Romoal. Col. de camb. cap. 32. dum ea, quæ supra diximus ex Soto, & alijs, probabiliter tantùm dicunt sustineri posse. Imò Mercat. de camb. cap. 2. Garc. de contract. cap. 33. num. 3. & Lopez eod. tract. lib. 2. cap. 3. concl. 2. licèt ea, quæ supra adnotauimus vera esse putent quoad equi transportationem; nihilominus contrariam sententiam docent quoad cambium, de quo agitur, existimantes diuersam rationem esse de equo, & cambio; quia equus nõ permutatur sicut permutatur pecunia in cãbio. vndè cũ cãbium prędictũ sit cõtractus verè, ac realis cõmutationis pecuniæ pręsẽtis cũ pecunia loco absenti, in quo cambitur moneta eiusdem valoris, contra iustitiam esse dicunt aliquid percipi ex tali cambio; sicut si commutaretur liber existens in vno loco pro alio existenti in loco altero eiusdem valoris, & qualitatis, nisi aliqua ratio interesse concurrat.

Sed re vera, oppositis non obstantibus,
10 arbitror non esse recedendum ab ijs, quæ supra conclusimus ex Sot. & alijs: siquidem in vtroque casu militat eadem ratio: quoniam similitudo fit quoad trãsportationem: etenim sicut transportatur equus; ita etiam transportatur pecunia, cum hac tantùm differentia, quòd equus transportatur realiter, & cum effectu; pecunia verò virtualiter modo supra explicato: quæ quidem differentia non est essentialis, cùm transportatio pecuniæ virtualis, sit æquiualens reali transportationi: siquidem virtuale, & reale se habent sicut tacitum, & expressum, at taciti, & expressi eadẽ est virtus, l. cùm quid, & ibi Doctor. ff. si cert. petat. Potest etiam respõderi ex Salon. de cãb. q. 4. ar. 2. cõtr. 2. sub num. 2. quòd quamuis equus, qui reducitur, idem numero restituatur, & in cambio pecunia alia, ac diuersa; nihilominus exemplum est satis accommodatum instituto, ad quod adducitur: quoniam in hunc finem affertur, vt ex eo intelligatur, quòd quando obsequium, quod quis alteri confert, secundum se, & absolutè est pretio æstimabile, itaut possit pro illo tale pretium tuta conscientia exigi, non aufertur facultas illud percipiendi ex eo quòd idem obsequium vtile quoque sit, & expediens præstanti illud, ad quod demonstrandum exẽplum de transportatione equi videtur quidem rei nostræ satis accommodatum, cum in vtroque casu militet eadem ratio.

Secunda Conclusio.

Si cambium contingat fieri gratia dan-
11 tis pecuniam tantùm campsori in vno loco, vt sibi soluatur in alio, vbi pecunia ipsa idem pretium habet, tunc campsor nihil aliud potest ex dicto cambio consequi, nisi puram mercedem, ratione realis, vel virtualis transportationis pecuniæ de loco, vbi ea dans non indigeat, ad locum vbi eadem ipsi sit opus. Probatur, quia non potest prætendere interesse ratione æstimationis pecuniæ: quia pecunia eodem modo æstimatur in eodem loco: ergo mercedem intendere potest campsor solùm ratione obsequij, periculi, laborum, & expensarum ob dictam pecuniæ transportationem. Et si est campsor publicus augetur sibi merces ratione officij, iuxta ea, quæ supra diximus q. præced.

Ampliatur hæc conclusio, vt vera sit,
12 etiam si campsor ea pecunia indigeret in loco vbi eam recepit: nam adhuc mercedem consequi potest ratione traiectionis, seu virtualis transportationis pecuniæ. Vndè si campsor, cui Titius centum aureos dederit Romæ, vt ipsi solueret Toleti, adeò eis indigeret Romæ, vt nisi præuentus fuisset à Titio, & primò rogatus recipere Romæ, vt solueret eam Toleti, ipse campsor rogasset prius ipsum Titium, vt pecuniã prædictam sibi daret Romæ soluendam Toleti cum interesse, adhuc campsor vt supra rogatus potest à Titio mercedem percipere pro transportatione reali, vel virtuali dictorum aureorum

reorum centum. Etenim campsor hoc casu manet ad pecuniam securè transferendam conductus; etiam si prior rogauerit; non autem ipse Titius, qui pecuniam dedit: qua propter id, quod per se in hoc cambio dicitur, & attenditur, est necessitas dantis: vtilitas verò campsoris tantùm per accidens consideratur: sicut accidit contractui, quo agaso conducitur ad transferendam pecuniam, qua ipse opus habeat in loco, vbi eam recepit, vt rectè declarat Lopez lib.2. de contract. cap.4. q.2. in resp. ad prim. argum. & latè Salon. de camb. q.4. ar.2. contr.2.

Tertia Conclusio.

13 SI cambium fiat gratia dantis tantùm pecuniam campsori in vno loco vbi plus valet, siue eius valor sit legalis, siue consuetudine sit taxatus maior ratione materiæ, vel ex alia causa; tunc pecuniæ debẽt reddi ad æqualitatem, ita vt tanti æstimationis sit pecunia, quæ datur, quàm pecunia, quæ recipitur. Et campsori dabitur primò excessus pecuniæ, quæ pluris æstimatur in loco solutionis faciendæ: & deinde iusta merces pro virtuali transportatione pecuniæ de loco ad locum per litteras. Et sic campsor in hoc cambio lucrabitur duobus modis: primò propter labores, & expensas, quæ sustinet in transferẽdo pecuniam aliò; secundò propter augmentum debitæ pecuniæ, ferendo illam ad locum, vbi plus valet. Siquidem quemadmodum in alijs commutationibus, ita in cambio requiritur, vt æqualitas quoad valorem seruetur inter ea, quæ commutantur: alioquin erit iniustitia; nisi aliundè, facta compensatione, iustificetur contractus. Ita Sot. lib.6. de iust. & iur. q.12. ar.1. concl.3. & Reginal. lib.25. suæ prax. sub num.461. Neque tenetur campsor aliquid de pretio suarum operarum diminuere: nam illud sibi debetur sub titulo onerum, & laborum: posterius autẽ lucrum oritur ex conditione exercendi huiusmodi negotia: nec propterea alter sua re fraudabitur, cùm omninò intentum habeat, nulla affectus iniuria.

14 Ex hoc infertur, quòd Titius dans campsori centum aureos Toleti, vbi pecuniam propter abundantiam minus valet, vt sibi soluantur Romæ, vbi propter inopiam pecunia plus valet; Romæ recipiet 90. tantùm aureos. Et si idem Titius dabit centum aureos Romæ, vt sibi soluantur Toleti, tunc Titius recipiet Toleti 110. aureos: & ita qui dat centum Toleti, recipiet minorem quantitatem Romæ: & qui dat centum Romæ, recipiet maiorem quantitatem Toleti: siquidem Toleti tantum valent 100. aurei, quantum Romæ 90. & Romæ tantum valẽt 100. aurei, quantum Toleti 110. Debetur tamen campsori iusta merces pro transportatione pecuniæ, assecuratione, &c. quæ æqualiter debetur ei è Toleto Romam: & è Roma Toletum. Vndè in huiusmodi cambijs omninò ratio habenda est, non modo longinquitatis, ac propinquitatis; verum etiam & valoris monetarum, ita vt seruetur æqualitas inter æstimationẽ pecuniæ, quam habet in loco vbi datur, & in loco vbi recipitur; cùm cambium huiusmodi reducatur ad contractum permutationis, in qua seruari debet æqualitas, ita vt res, quæ permutantur, sint pretio, ac æstimatione pares: aliàs opus erit, vt vnus permutantium suppleat, quod deest in altera re commutata pro compensatione alterius damni. Sicut si Genuæ tantum æstimatur modium vnum frumenti, quantum duo in Apulea, vbi adest maior frumenti copia, quàm Genuæ; qui daret vnum modium frumenti Genuæ, posset iustè recipere duo modia frumenti in Apulea. Ita Nauar. in suo Man. cap.17. sub num.283. littera M. Sot. lib.6. de iust. & iur. q.12. ar.2. in prin. Romoal. Col. de cãb. cap.17. in fin. Salon. eod. tract. q.4. art.2. contr.1. & latius contr.3. concl.2. vbi contraria soluit, Filliuc. tom.2. qq. moral. tract. 35. de camb. cap.11. q.4. num.485. & Reginal. lib.25. suæ prax. sub num.461. §. quando autem campsor.

15 Quæ diximus de commutatione pecuniæ in loco vbi minus valet, soluendæ in loco, vbi plus valet, extendimus ad commutationem pecuniæ metalli minus pretiosi, eiusdem tamen ponderis: siquidem compensatio facienda est inter illas, ita vt conferens minus pretiosam addat, quod in sua pecunia deficit: siue commutatio huiusmodi fiat in diuersis locis, & per litteras, siue in eodem loco per cambium minutum. Ete-

Etenim omne cambium cùm ad contractum permutationis reducatur, cui magis assimilatur; atque ideo ad iustitiam commutatiuam pertineat, necesse est, vt in eo seruetur æqualitas, vt rectè declarat Salon. loco citato, contr. 3. concl. 1. vbi hanc conclusionem limitat, quando excessus valoris
16 esset alicuius momenti: secus autem si sit exiguus; quia de minimis non curat Prætor, l. quòd si Ephesi, ff. de eo, quod cert. loc. qua propter aureos vngaros potest commutari cum aureo Hispano; quia in eis exiguus cõsideratur excessus. Idem dicendum esse, inquit, quando pecunia est diminuta in pondere, confracta, aut obliterata, estò sit ex metallo eiusdem valoris: siquidem non potest commutari cum alia integra citra compensationem aliquam.

Hæc, quæ hucusque adnotauimus, vera
17 sunt, vbi agitur de virtuali transportatione pecuniæ gratia dantis à loco vbi minus valet, ad locum vbi plus valet. Verùm si inter contrahentes fiat conuentio, vt soluatur eadem numero pecunia in loco vbi plus valet, tunc non tantùm campsor; sed etiam campsuarius, & sic vterque lucrabitur: Campsor scilicet suum stipendium ob realem pecuniæ transportationem: & campsuarius augmentum, quod ex pecunia alibi expensa prouenit: quo casu ex partium conuentione, & ex re ipsa huiusmodi contractus directè reducitur ad contractum locationis: nam campsor recipit purum, & simplex stipendium pro transportatione pecuniæ de loco ad locum. Cæterum quoad
18 cambium, in quo fit pecuniæ transportatio virtualis, & per litteras, ait Salon. d. contr. 3. concl. 2. vers. Ex dictis docet Mercatus, quòd hodie si rectè, ac diligenter attendamus, à Mercatoribus omnibus in omnibus Prouincijs, & Regnis, nullo alio titulo percipiunt ex eo lucrum; nisi ratione maioris, vel minoris æstimationis monetæ in diuersis locis, vt latius etiam supra declarauimus q. 1. vers. Ipse audiui. & q. 2. circa fin. vers. cæterum licèt hæc vera sint.

Quarta Conclusio.

19 Quando supradictum cambium fit gratia, & propter necessitatẽ vtriusque, tunc si pecuniæ vnius loci inferiores sint in valore, quàm pecuniæ alterius, reducendæ sunt ad æqualitatem, ita vt recompensetur id, quod minus valent pecuniæ, quæ sunt valoris inferiores danti pecunias maioris valoris in alio loco. Neutri tamen debetur stipendium ratione virtualis trãsportationis pecuniarum de loco ad locum. Prima pars conclusionis est Lopez lib. 2. de contr. cap. 3. concl. 1. & patet ex dictis: siquidem commutatio pecuniæ est actus iustitiæ commutatiuæ: ergò vbi est inæqualitas facienda est recompẽsatio vsque ad æqualitatem iustitiæ. Nec obstat si dicatur, quòd pecunia præsens, cæteris paribus, magis æstimatur, quàm absens; quia in casu nostro pecunia, quæ est in loco præsens, vbi talis cambij contractus celebratur, non reputatur præsens respectu Domini, ibi eam cambientis; quoniam ibi ea pecunia non indiget, sed in alio loco, quo suis expensis esset illam translaturus. Secunda pars conclusionis probatur ex ijs, quæ adnotauimus in prima conclusione: etenim huiusmodi cambium cùm sit vtrique fauorabile, non magis vnus ab altero stipendium petere potest: quod verum est, si cambium celebretur ad mutuam petitionem: secus si ad petitionem alterius tantùm, vt ibi diximus.

Ex quibus patet valdè dubiam esse sententiam Molinæ post alios, de contr. disp. 403. num. 8. dicentis, quòd videns campsorem hic pecunia indigentem, si tribuat eam illi cum onere, vt tantundem restituat in loco distanti, vsuram committit, cùm petat vltra sortem onus transportandi pecuniam in locum distantem: quod onus est pecunia æstimabile: siquidem in hoc euentu vterque recipit ab altero beneficium: nã campsor indiget hic pecunia: alter vero alibi, & horum beneficiorum vnum altero compẽsatur. vndè si pecunia in vtroque loco esset æqualis valoris, posset fieri cambium ad æqualitatem iuxta ea, quæ adnotauimus supra concl. 1. & habetur ex Ioan. de Salas de

de camb.dub. 8. sub num.2.circa med. vbi ponit exemplum de dante triticum Salmaticæ eo indigenti: nam potest petere,vt tãtundẽ det illi Burgis, vbi ipse dans eo opus habet,& tantundem valet. Quòd si pecunia plus valet in vno loco, quàm in alio, tunc eo casu pecunia tantùm reducitur ad æqualitatem, & cùm cambium sit gratia vtriusque, nemini stipendium debetur, per ea,quæ supra adnotauimus.

An solutio pecuniæ receptæ in supradicto cambio promissa, visis litteris,aut post aliquot tempus augeat, vel minuat stipendium campsori. Q. IV.

SVMMARIVM.

1 *Cambij per litteras solutio quatuor modis fieri præcipitur,nempe,visis litteris, post certum tempus,ad vsum,& ad nundinas.*

2 *In contradictorijs quãdo vna ex duabus propositionibus est vera,altera est falsa.*

3 *Campsor non potest plus lucri ex cambio percipere; eo quòd solutionem cambij fieri præcipiat,visis litteris; vel post certum, ac determinatum tempus.*

4 *Campsori nõ minuitur stipendium ex eo quòd dat litteras,in quibus cambij solutio fieri iubeat post aliquot tempus.*

5 *Dare, & accipere non sunt contradictoria;sed correlatiua.*

6 *Garc. sententia reijcitur.*

7 *Scienti,ac patienti an,& quando fiat iniuria, & dolus,declaratur.*

8 *Donatio facta in rei emptione non præsumitur libera,nisi postea ratificetur.*

1 AD tituli explicationem sunt recolenda ea, quæ supra adnotauimus, q. 1. vers. Dicitur tertiò: vbi probauimus solutionem cambiorũ fieri multis modis. Nam primò fit, visis litteris, & tunc solutio facienda est statim regulariter, præsentatis litteris. Secundò post aliquot determinatum tempus,præsentatis litteris; nempe post octo,decem,viginti dies,post duos,vel tres menses: & tunc solutio fieri debet statim post illud præfinitum tempus. Tertiò modo promittitur solutio ad vsum, & tunc facienda est iuxta vsum, & consuetudinem Mercatorum. Quartò promittitur solutio ad primas nundinas, quæ fiunt quater in anno,de trimestre ad trimestre,de quibus, Deo duce, infra latius suo loco dicemus. His adnotatis, supponamus, quòd Titius campsor recipiat à Sempronio centum aureos Genuæ,soluturus illos Romæ:& quòd Titius det litteras Sempronio pro solutione dictę pecunię, facienda statim, visis litteris: an ex dicto cambio maiorem mercedem petere possit, quàm si litteras dederit pro solutione eiusdem pecuniæ facienda post aliquot dies,vel menses, visis seu præsentatis litteris.

2 In hac re videtur affirmatiuè respõdendum esse, nempe quòd campsor eo casu maius lucrum ex cambio consequi possit, quando dat litteras pro solutione facienda statim,visis litteris,quàm si litteras dederit pro solutione faciẽda post aliquot tempus vt supra. Probatur, quia campsor non potest maius lucrum percipere ex eo quòd dederit litteras pro solutione cambij post aliquot tempus facienda in loco destinatę solutionis: ergò è contra campsor, qui accipit pecuniam in vno loco soluturus in alio statim, visis litteris, poterit plus lucri ex cambio consequi:siquidem in contradictorijs,sicut vbi vna contradictoria propositio est vera;altera erit falsa:vt Petrus currit,Petrus non currit: ita etiam in contradictorijs si vna propositio est bona,altera erit mala; atque ideo si non dare eleemosynam indigenti malum est;dare eleemosynam indigenti bonum est. Ergò in casu, de quo agitur,si illicitum est campsori, qui dat pecuniam ad cambium in vno loco illam recepturus in alio loco post aliquot tempus, lucrum aliquot maius percipere ex cambio, quàm si solutio statim sit ei facienda, licitum erit è contra ei, qui accipit pecuniam in vno loco soluturus in alio statim, visis litteris, plus lucri ex cambio percipere,quàm si det litteras pro solutione facienda post aliquot dies,vel menses.

3 His tamen non obstantibus, contrariam sentẽtiam puto veriorem esse, nempe quòd campsor hoc casu non possit plus lucri percipere,

cipere, dando litteras, quibus præcipitur solutio, visis litteris, quàm post aliquot notabile tempus. Probatur, quoniam huiusmodi lucrum campsor percipit pro trāsportatione pecuniæ de loco ad locum; atque ideo pro labore, expensis, ac periculis pro transferenda pecunia: ergò ex eo quod cāpsor statim illam soluat, non debet habere maius stipendium: siquidem stipendium debetur campsori pro eo, ad quod nō obligatur; at trāslata pecunia ad locum, statim debetur à campsore ei, qui dedit illam. Cōfirmatur, quia campsor ex eo quòd dat litteras pro solutione cambij post aliquot tē-
4 pus facienda, non propterea debet ei minui stipendium ab eo, qui dedit illi pecuniam, vt probat Romoal. Col. de camb. c. 5. ergò non ideo debet ei augeri stipendium ex eo quòd dat litteras, in quibus præcipitur fieri solutio statim, visis litteris: quia in vtroque casu militat eadem ratio, cùm tàm in minuendo, quàm in augendo cambij pretio ex vi nostræ Extrauag. habeatur ratio loci, & non temporis.

Ad contrarium patet respōsio: siquidem
5 dare, & accipere non sunt contradictoria; sed correlatiua: at in correlatiuis quod disponitur in vno, disponitur etiam in alio, quando militat eadem ratio. vt latè habetur ex Euerar. de loc. com. iur. loco à correlatiuis.

Ex dictis constat, falsam esse sententiam
6 Garc. de contr. p. 2. cap. 9. pag. 283. quem refert, & reijcit Lopez eod. tract. lib. 2. c. 4. q. vlt. dum ait, licitum esse danti campsori Metinæ mille aureos transferendos Valētiam post tres menses ad petitionem ipsius campsoris non aliàs transmissuri, nisi data dilatione prædicta, & non solùm minuere illi mercedem; sed etiam in totum tollere. Confirmatur; quia tunc talis contractus reduceretur ad mutuum: ex quo dans dictos mille aureos, lucrum reportaret ex dilatione solutionis, atque ideo vsuram committeret.

Nec obstat si dicatur, quòd scienti, & pa-
7 tienti nulla fit iniuria, neque dolus, iuxta iuris regulam: & propterea cùm campsor id sciat, & contractui cōsentiat ob vtilitatem, quam sperat se consecuturum ex dictis mille aureis infra supradictum terminum trium mensium; atque ideo cùm nulla iniuria afficiatur, iustè ei denegatur stipendium ratione dilatæ solutionis: quoniam regula illa si rectè perpendatur, non facit pro sententia Garciæ, vt ait Lopez loco citato. Etenim tunc scienti & consentienti nulla fit iniuria, quando consensus omnino est liber, non habens annexam nolleitatem conditionalem, quæ est nolitio secundum quid: secus autem si consensus detur ob aliquam necessitatem ab eo, qui, cessante necessitate, aliàs consentire nollet: nam tunc fieret ei iniuria: & ita videtur consentire campsor in remissionem salarij: sicut accidit mutuatario recipienti mutuo sub vsuris. Confirmatur, quia donatio facta in emptione non
8 præsumitur libera voluntate facta, nisi postea necessitate cessante extra emptionem facta fuerit: ergò idem dicendum est de donatione, seu remissione mercedis facta à cāpsore in ipso actu contrahendi, in quo concedūtur ei prędicti tres mēses supra terminum requisitum. Ita Lopez loco citato, vers. Igitur tutius: vbi etiam, vers. Igitur si sententia, inquit, sententiam Garciæ aliquo casu sustineri posse, nempe si aliunde manifestè constaret de libera voluntate campsoris, intendentis liberè mercedem remittere, propter amicitiam scilicet, aut in recompēsationem aliorum beneficiorum, quæ à cāpsuario recepit, & in alijs casibus ab eo relatis; quibus adde ea, quæ supra adnotauimus q. 1. circa fin. vers. Tertiò requiritur.

An dans pecuniam campsori in vno loco recepturus eam in alio, possit conuenire, vt si per legem, vel Principem augeatur pecunię valor, eius sibi reddatur augmētum. Q. V.

SVMMARIVM.

1 *Pretium pecuniæ mutuatæ si augeatur, cedit in vtilitatem mutuantis.*
2 *Mutuans triticum potest illud repetere in eadem mensura, & qualitate.*
3 *Campsor non potest conuenire, vt si pretium pecuniæ cambitæ per legem, aut Principem au-*

augeatur, illius sibi reddatur incrementum.

4 *Campsuarius non tenetur augmentum pecu-
nia cambita reddere campsori, siue præuide-
rit pecuniam lege, vel alio modo augendum,
siue non.*

5 *Campsor non potest conuenire de augmento
pecunia per legem, aut Principem vt supra,
etiam si primò det pecuniam in vno loco re-
cepturus in alio.*

6 *Campsor non potest conuenire de augmento
monetæ, vt supra, siue agatur de cambio per
litteras, siue de cambio ad minutum.*

7 *Campsor potest conuenire de augmento pecu-
nia cambita, si erat illam seruaturus vsque
ad tempus, in quo creuit pecuniæ valor.*

8 *Campsor potest recipere pecunia cambita in-
crementum, si fuerit conuentum, vt si red-
datur in valore, quo valuerit tempore solu-
tionis facienda.*

9 *Campsor potest recipere pecunia cambita in-
crementum, si post cambium statim creue-
rit.*

10 *Mutuans an, & quando pecunia mutata,
incrementum percipere possit, declaratur.*

11 *Mutuans triticum, an & quando eiusdem
incrementum suum sibi faciat, explicatur.*

12 *De ratione mutui est, vt reddatur res eadem,
vel similis eiusdem bonitatis, & mensura.*

IN hac re prima facie videtur affirmatiuè
1 respondendum esse: nam qui decem au-
reos mutuat, si eorum pretium augeatur,
potest illos cum illo pretij incremento re-
petere, vt habetur ex Bald. in l. cùm quid,
num. 7. ff. si cert. petat. vbi etiam Ias. & alij,
quos refert Nauar. in c. nauiganti, num. 48.
de vsur. ergo idem dicendum est de cam-
biente pecuniam; cùm eadem ratio militet
in vtroque casu. Confirmatur, quia si quis
2 mutuauerit triticum, licitè potest illud re-
petere in eadem mensura, & bonitate, etiam
si tempore restitutionis plus valeret: ergo
dans pecuniam campsori in vno loco rece-
pturus in alio, potest illam consequi in ea-
dem bonitate, & qualitate, etiam si per le-
gem, aut Principem creuerit valor illius.

Oppositis non obstantibus, contrarium
3 puto verius: quam sententiam tenent Na-
uar. & Sot. quos refert, & sequitur Salon.
de camb. q. 4. ar. 2. contr. 4. dicentes, iniquũ
esse commutare pecuniam sub ea cõditio-
ne, vt si per legem, vel Principem augeatur
pretium illius reddatur eadem, & in pretio
illo iam aucto. Probatur; quoniam aliàs nõ
seruaretur æqualitas, sed dans plus recipe-
ret, quàm dederit. Vndè si Titius dat cam-
psori scutum aureum, valens tũc 12. argen-
teis, si Rex deinde augeat pretium illius ad
13. non tenetur campsor ipsi Titio pro di-
cto scuto reddere 13. argenteos; sed tan-
tum 12. quos valebat, quãdo recepit illud
à Titio.

Ampliatur hæc conclusio, vt vera esse
4 censeatur, siue augmentum illud pretij, &
valoris pecuniæ præuisum fuerit à recipien-
te pecuniam illam; siue non, vt ex Salon.
habetur loco citato, num. 1.

Secundò ampliatur eadem conclusio, vt
5 procedat etiam versa vice, vbi campsor pri-
mò dat pecuniam in vno loco, recepturus
eam cambitam in alio: nam non potest pe-
cuniam commutare sub prædicta conditio
ne, atque ideo si campsor conferat Titio
scutum aureum, quod valet 12. argenteis, si
lege, aut Principis placito augeatur illius
pretium ad 13. non esse restituendos cam-
psori pro dicto scuto 13. argenteos; sed tan-
tùm 12. aliàs non seruaretur æqualitas.

Tertiò ampliatur dicta conclusio, vt lo-
6 cum sibi vendicet nõ solùm in cambio per
litteras de loco ad locum; sed etiam in cam-
bio ad minutum, & in quocunque alio cam-
bio: & propterea simpliciter non licet com
mutare pecunias sub hac conditione vt si
per legem, vel Principem fuerit auctum il-
larum pretium, reddatur deinde incremen-
tum illud: siquidem omne cambium est
actus iustitiæ commutatiuæ, & ideo in omni
cambio seruanda est æqualitas: quæ quidem
non seruaretur, si sub tali conditione cele-
brari cambium possit.

Sic ampliata limitatur primò ipsa con-
7 clusio, vt vera sit, vbi is, qui pecuniam tra-
didit, non erat illam seruaturus vsque ad il-
lud tempus, in quo creuit pecuniæ valor: se-
cus autem si pecuniam traditam seruaturus
erat vsque ad illud tempus, & rogatus de-
derit eam: nam tunc poterit conuenire, vt
sibi restituatur in valore illo, in quo fuerit
aucta, vt apertè colligitur ex tex. in c. naui-
ganti, de vsur.

Secundò limitatur conclusio, vt non
pro-

8 procedat vbi fuerit inter cambientes conuentum, vt recipiens pecuniam teneatur restituere in eo valore, & pretio quod habuerit tempore solutionis faciendæ, siue diminutum illud fuerit, siue auctum: quoniam hoc casu par est vtriusque conditio, & vterque periculo se exponit. Quod quidem tūc verum esse dicimus, quando res est æqualiter dubia, aliàs secus: siquidem tunc vterque periculo æqualiter non se exponeret, vt rectè declarat Calder. in d. c. nauiganti, vbi etiam Nauar. num. 49. Salon. loco citato, sub num. 1 vers. Secūda limitatio, & Syl. in sum. ver. vsura, 1. q. 13.

Tertiò limitatur, vt dicta conclusio locum sibi vendicet si post pecuniæ numera-
9 tionem tam subitò augeatur ipsius valor, vt qui eam receperit expenderit in pretio iam aucto: quoniam tunc debet illam restituere iu valore, quo creuit, cùm perindè se habeat, ac si in eo pretio ita aucto pecuniam recepisset. Et licèt Salon. loco citato, vers. Tertia limitatio, fateatur, hāc limitationem ex æquitate potius esse, quàm ex rigore iustitiæ; nos tamen putamus, eam veram etiam esse ex rigore iustitiæ; cùm de iure, quæ incontinenti fiunt, censeantur inesse.

Restat modo, vt contraria diluantur.

AD primum argumentum dicimus, an-
10 tecedens esse verum vbi mutuans pecuniam mutuatam erat reseruaturus vsque ad tempus, in quo eius pretium fuit auctum: aliàs secus iuxta ea, quæ diximus in prima limit. per tex. in c. nauiganti, de vsur. & habetur ex Syl. loco citato; licèt contrarium sentiat Laurent. de Rodul. relatus à Syl. ibidem, dum ait, quod mutuās ducatum, quod valet lir. quatuor, si tempore solutionis valeat liras quinque, potest illas repetere, siue fuisset ducatum in tempus illud seruaturus apud se, siue non; cuius sententia reijcitur à Syl. ibi, & Salon. d. contr. 4. sub num. 1. vers. Prima est, cùm expresè videatur contra tex. in d. c. nauiganti. Vel secundò respondetur, quòd antecedens locum sibi vendicat, quando non præcessit pactum de lucrādo pecuniæ incremento, vel si præcesserit fuerit quoque initum pactum de patiendo damnum pecuniæ decrementi, maximè si pecunia mutuata fuerit mutata quoad valorem extrinsecum, per ea, quæ adnotauimus in Commentar. ad Extrauag. Pij V. de censib. §. 3. q. 6. sub num. 11. vers. Vnde pecunia: & vers. Cæterum. Secus autem si fieret pactum de lucrando incremento, & de non patiendo damnum decrementi, vt in casu, de quo agitur.

Ad confirmationem respondetur ex Sa-
11 lon. loco citato, in resp. ad primum, quòd non est eadem ratio de mutuante triticum, & de cambiente pecunias: siquidem quando datur mutuo triticum, non dantur mutuo tot solidi, vel argentei tritici; sed tot mensuræ: quo circa vt seruetur æqualitas, restituendæ sunt totidem ipsius mensuræ eiusdem bonitatis, & qualitatis: at commutans pecuniam, commutat tot solidos, seu argenteos, vel scuta valentia tot solidos, seu argenteos: quo fit, vt restituēdo eosdem solidos, vel argenteos, quos valebant receptionis tempore seruet æqualitatem. Vel secundò respondetur iuxta ea quæ supra diximus in resp. ad 1. quòd pactum de quo agitur esset validum, si fiat quoque pactum de patiendo damnum pecuniæ decrementi: quoniam tunc par esset vtriusque contrahentis conditio: aliàs secus.

Est tamen verum, quòd circa mutuum
12 tritici ita demum verum est, quod diximus, vbi mutuatio fiat, constituto quidem certo termino; sed ita vt liberum sit mutuatario antea rem illam restituere; quoniam tunc mutuans triticum, licitè poterit illud in eadem mensura, & bonitate repetere, etiam si repetitionis tēpore plus valeat, quàm tempore mutui valebat: siue mutuans intentionem habeat reseruādi illud in aliud tempus, siue non, & cētò credatur plus valiturum. Nam cùm de ratione mutui sit, vt reddatur res eadem, vel similis, & eiusdem bonitatis, & mensuræ, mutuans obligat mutuatarium hoc casu ad ea, quæ sunt de intrinseca ratione mutui; atque ideo nullam iniustitiam committit: quoniam in omni contractu potest alter contrahentium obligare alterum ad ea, quæ intrinseca sunt illi contractui: & cùm sit liberum mutuatario restituere mutuum quando voluerit, & so-

lus

lus mutuans obligatus remaneat, ne posſit mutuum repetere ante præfinitum terminum, ſi ex negligentia mutuatarij non reddentis mutuum, niſi eo tempore, quo res mutuata plus valet, lucrum mutuans conſequitur, cùm id accidentarium ſit, non ob id dicitur vitiare iuſtitiam contractus.

Idem dicendum eſt, ſi mutuans triticum
13 erat illud reſeruaturus vſque ad tẽpus reſtitutionis, & æqualiter dubium ſit, an plus, minuſuè ſit eo tẽpore valiturum, cùm hoc caſu æqua ſit vtriuſque conditio. Id ipſum quoque locum ſibi vendicat, vbi mutuans poſtulat triticum in eadẽ bonitate, ac menſura ſibi reſtitui, præfinito tempore, ita vt ante illum mutuatarius nõ remaneat liber ad mutuum reſtituẽdum; ſed inſtituerat vſque ad dictum tempus triticum ipſum ſeruare: nam tunc huiuſmodi pactum eſt licitum; eſtò quòd ipſe mutuans certò ſciuerit, aut ſaltem probabiliter triticum tunc magis valituũ, vt rectè probat Salon. 2.2. q 78. art. 2. contr. 25. concl. 1. 3. & 4. Secus autem dicendũ eſt ſi mutuatio fiat præfinito quodam termino; ſed ita vt liber non remaneat mutuatarius ad reſtituendũ mutuum ante cõſtitutum terminum: nam tunc mutuans triticum non poterit illud repetere in eadem menſura, & bonitate, ſi reſtitutionis tempore plus valeat: quia ſic mutuans eùm obliget mutuatarium ad reſtituendum in eo ſolùm tempore, in quo frumẽtum illud plus crediur valiturum, & nõ antea, manifeſtè mutuat, vt lucrũ illud conſequatur ex mutuo: quod quidem eſt vſurarium: Ita Sot. lib. 6. de iuſt. & iur. q. 1. art. 2. & Salon. d. contr. 25. vbi latè hanc materiam pertractat.

An campſor in maiori valore poſſit computare pecuniam, in loco cõdicto reſtituendam, quàm fuerit auctoritate publica taxata, in cãbio, de quo agitur. Q. VI.

SVMMARIVM.

1 *Pecunia valor duplex, variabilis ſcilicet, & inuariabilis.*

2 *Pecuniæ valor cùm eſt variabilis, campſor poteſt pecuniam cambitam reſtituere ſupra illius valorem.*

3 *Campſor poteſt pecuniam acceptam in vno loco reſtituere cambitam in alio ſupra illius valorem legalem, quàm ſi ratione materiæ, tunc valeat, ſiue valor variabilis ſit, ſiue inuariabilis.*

4 *Princeps cùm determinat valorem nummorũ, non intendit eorum taxationem facere ſecundum omnem eorundem rationem.*

5 *Campſor non poteſt pecuniam acceptam in vno loco reſtituere in alio, augendo pretium legale ipſius, quando valor pecuniæ legalis eſt firmus: & materia illius non plus valet, quàm in loco deſtinata ſolutionis.*

PRo determinatione huius difficultatis
1 eſt adnot. quòd aliquando contingit pecuniæ valorem, ordinatione publica taxatum, eſſe firmum, & inuariabilem: aliquãdo verò contingit eſſe variabilem ex conſuetudine, aut ex alia legitima cauſa, nempe pro quærentiũ ipſas multitudine, aut penuria: vel ratione materiæ cũ detur aurũ auro purius, & argẽtũ argẽto, vt latè ſupra adnotauimus, in proœm. q. 10. His adnotatis ſit

Prima Concluſio.

QVando pecuniæ valor eſt variabilis,
2 cãpſor poteſt pecuniæ incremẽtum cõputare; atque ideò in maiori valore pecuniã acceptã reſtituere in loco deſtinatæ ſolutionis, quàm auctoritate publica fuerit taxata. Hęc concluſio patet; quia huiuſmodi pecunia non habet legalem ipſum valorem firmum, ſed variabilem pro varia ratione circumſtãtiarum, iuxta ea, quæ ſuprà diximus in proœ. n. d. q. 10. & habetur ex Reginal. lib. 25. ſuæ prax. num. 447.

Secunda Concluſio.

CAmpſor poteſt pecuniam acceptam in
3 vno loco, cambitam reſtituere in alio ſupra valorẽ ipſius legalẽ, quàm ſi ratione materię tũc tẽporis plus valeat: ſiue legalis pecuniæ valor formaliter ſũptæ ſit variabilis; ſiue firmus. Hęc cõcl. eſt Syl. in ſum. ver. vſura, 4. q. 5. Sot. lib. 6. de iuſt. & iur. q. 9. art. vnico, concl. 5. Couar. in tract. de collat. veter. numiſ. cap. 7. num. 3. Reginal. lib. 25. ſuæ prax. ſub num. 448. §. Sotus verò. Probatur, quia cæteris paribus, metallũ præſtãtius, & ad plures vſus applicabile, ex ſe pluris æſtima-

matur; neque suã illã qualitatẽ amitrit ex eo quòd sit signatũ. & rationẽ monetę habeat. Nec Princeps cũ determinat valorẽ nũmo-
4 rũ, intendit taxationẽ illorũ facere secundũ omnẽ eorum rationẽ, & quoad omnẽ vsum, quẽ habere possunt, vt malè arbitrari videtur Medina C. de acquis. per vsur. q. 7. qui contrariã tenet sententiã: sed solùm secundũ rationem formalẽ, quæ est, mensurã esse rerũ venalium, & solutionis debitorũ, vt nos supra declarauimus in proœm. q. 14. arg. 4. vers. Nec obstat, allato ad probandã cõclusionẽ, vt rectè declarat etiã Reginald. loco citato: vbi S. quamquam, id limitat, quando in pecunijs eiusdem metalli, & signi modica tantùm diuersitas sit in natura: aut si materia melioris monetæ non excedat pretium, eidem monetæ à lege taxatum.

Tertia Conclusio.

QVando valor pecuniæ legalis est fir-
5 mus, ac inuariabilis, & materia illius non plus valeat in loco destinatæ eiusdẽ restitutionis, tũc cãpsor pecuniã in vno loco acceptã nõ potest in alio restituere augẽdo pretiũ legale ipsius. Probatur; quia quãdiù publica taxatio monetæ vim habet, nefas est plus accipere, vt supra declarauimus, q. 10. ex D. Tho. lib. 2. de Regim. Princ. c. 13. Innoc. in c. quãto, de iureiur. Tolet. lib. 5. suę sum. c. 51. & Reginal. lib. 25. suæ prax. num. 447. vers. Dicendũ secũdò: vbi hãc conclusionẽ limitat, quãdo cãpsor velit augere valorẽ legalẽ pecuniæ ratione lucri cessantis: tũc enim cãpsor ratione lucri cessãtis posset illud incrementũ in cãbio cõputare. Et licèt Doctores supracitati loquantur de cãpsore dãte prius pecuniã in vno loco, cãbitã sibi restituendã in alio; eadẽ tamen ratio militat in cãpsore, qui accipit pecuniam in vno loco, restituturus eam in alio. His enim casibus, pręmonito cãpsuario, potest cãpsor pro cõmutatione talis monetæ tantum accipere, quãti æstimari debet interesse, quod inde patitur.

An quò maior est pecunię quãtitas, quę cãbio, de quo agitur, cãbitur; eò, cęteris paribus, maiorẽ mercedẽ cãpsor cõsequi possit. Q. VII.

SVMMARIVM.

1 *Campsorem maiorem quantitatem incrementi, quò maior est quãtitas pecuniæ cambiendæ, non posse percipere ex cambio per litteras, vel ad minutum, qui doceat, refertur.*

2 *Campsor eò maiorem quantitatem incrementi ex cambio consequi potest, quò maior est quantitas pecuniæ cambitæ.*

3 *Mercium valor crescit, quò magis impenditur, & elaboratur ad illas transferendas de vno loco ad alium.*

IN hac re pugnãtes extãt opiniones. Nã
1 prima sententia fuit Medinæ de cãb. q. 4. S. de alia causa lucri augẽdi dicẽtis ex maiori quãtitate pecuniæ cãbiendæ non posse per cãpsorem maiorẽ mercedẽ cõsequi, nõ solũ ex cãbio per litteras, de quo agitur, sed nec quidẽ ex cãbio ad minutũ: quoniam in vtroq; cãbio cãpsor non meretur stipendiũ præcisè ratione maioris pecunię cãbiendę; sed propter onera, expensas, & labores, quæ cãpsor sustinet in eã portandis, & asseruãdis pecunijs, cambio destinatis.

His tamẽ nõ obstãtibus, in contrariũ est
2 communis opinio, de qua Rebell. de oblig. iust. p. 2. lib. 11. q. 8. num. 7. Ioan. de Salas in suo tract. de cãb. dub. 34. sub num. 1. Filliuc. tom. 2. qq. moral. tract. 35. p. 2. c. 11. q. 7. num. 491. & alij, dicẽtes, quòd tã ex cãbio per litteras, quàm ex cãbio ad minutũ, quò maior est quãtitas pecuniæ cambiendæ; eo maius stipendiũ campsori debetur: & ita in praxi seruari testatur Filliuc. loco citato: siquidẽ in cambio locali, seu per litteras, de quo agitur, pretiũ eius determinatur iuxta singula nũmorum cẽtenaria: & in cãbio ad minutum, ait Rebell. loco citato ex cõmuni vsu si pro vna moneta cãpsa vnus quadrãs recipitur, pro pluribus, plures etiã percipiũtur. Ratio autẽ in vtroque cãbio ea est; quia in tanta pecuniarũ, & correspondentiũ, ministrorũque varietate in cõquirendis, & cõseruãdis pecunijs cãbiendis, quò maior est pecuniarũ quantitas; eò cãpsoris industria, solicitudo, labor, & expensæ maiores adhibentur: ergò & de iustitia maiorem mercedem merentur; atque ideò ratio expostulat, vt tantò maior merces exhibeatur, quantò maior pecuniarum copia ad campsariorum vtilitatem cambitur.

Confir-

Confirmatur, quia quò maiores expēsæ,
3 & labores adhibētur in trāsportandis mercibus de vno loco ad aliū; eò maiori pretio vēduntur: ergò ex eo quòd in cōquirendis, & asseruādis pecunijs cābijs destinatis, maiores labores, & expensas campsor sustinet, quò maior est quātitas pecuniæ cābiendæ, eò maiorē mercedē cōsequi potest. Accedit etiā; quia in cābio ad minutū concurrit pecuniarū numeratio; quæ exigit maiorē, vel minorē laborē iuxta magnā, aut paruā quātitatē pecuniarū: ergò cū talis numerationis labor sit pretio æstimabilis, vt probat Rebel. loco citato, q.4. cōcl.2. quanto maior quantitas pecuniæ cambitur; tanto maior debetur campsori merces.

Ad contrariū patet responsio ex dictis: cāpsor enim maiora sustinet onera in transportanda maiori quantitate pecuniæ, ac in illa conquirenda, asseruanda, ac numeranda ad vtilitatem campsariorum; nimirū igitur, si maiorem mercedem consequi potest ex cambio tàm locali, quàm ad minutum.

An ex cambio de loco ad locū intra idem Regnum, vel intra eandem Prouinciam licitè campsor stipendium percipiat, non solùm ratione traiectionis pecuniæ, sed etiam ratione eiusdem penuriæ, vel abundantiæ. Q. VIII.

SVMMARIVM.

1 *Cambia, quæ celebrātur de loco ad locū infra eandem Prouinciā, & intra idem Regnum, sicca esse, ac inualida, qui doceāt recēsentur.*

2 *Lucrū ex cābio celebrato de loco ad locū infra idē Regnū, nō posse percipi, nisi in stipēdium transportationis, qui velint, referuntur.*

3 *Cambium, in quo campsor primò pecuniam accipit adeò stipendium meretur secundum aliquos, vt si lege prohibeatur cambium celebrari infra idē Regnū, sub tali prohibitione illud cambij genus non comprehendatur.*

4 *Cambium omne de loco ad locum stipendium mereri, etiā si lege prohibeatur, qui doceat.*

5 *Cambium intra idem Regnum si lege prohibeatur, eius lucrum non esse restitutioni obnoxium, qui velint.*

6 *Cambium de loco ad locū intra idem Regnū, siue intra eandē Prouinciam, est iustum, & stipendium ex eo debetur non solùm ratione transportationis pecuniæ; sed etiam ratione eiusdem copiæ, vel penuriæ.*

7 *Cambium quando est reale, in eo per accidēs se habet distantia locorum, si seruetur æqualitas iusti pretij.*

8 *Cambium per litteras de loco ad locum infra idem Regnum, est licitum siue campsor primò accipiat, siue primò det pecuniā in vno loco, in alio restituendam.*

9 *Cambiū celebratum intra idem Regnum, vel intra eandē Prouinciā, cæteris paribus, minus stipendiū meretur, quàm cambium celebratum de Regno ad Regnum, de Prouincia ad Prouinciam.*

10 *Cambium ne fiat cum lucro infra idem Regnum, potest lege prohiberi.*

11 *Lex ad eius validitatem exigit, vt sit rationabilis, & pro bono publico edita.*

12 *Lex simpliciter prohibens lucrum ex cambio celebrato intra idem Regnum, censetur prohibere tàm lucrum ex cambio, in quo campsor primò dat, quàm in quo primò accipit pecuniam in alio loco restituendam.*

13 *Regula, lex generaliter loquens, generaliter debet intelligi, quomodo sit intelligenda, explicatur.*

14 *Lucrum ex cambio per litteras infra idem Regnum, perceptum contra legis prohibitionem, est restitutioni obnoxium.*

15 *Actus contra legem prohibentem licèt regulariter sit irritus; id tamen limitatur, nisi aliter constet de mente Legislatoris.*

16 *Lucrum perceptum ex cambio contra legem prohibentem non est restitutioni obnoxium ante sententiam; etiam si lex redderet recipientem incapacem.*

17 *Lucrum perceptum ex cambio intra idem Regnum contra legem prohibentem, non est restitutioni obnoxium ante sententiam, quoad forum interius, si aliàs sit iustum.*

18 *Lex fundata in præsumptione, non ligat quoad forum conscientiæ, si à parte rei præsumptio non respondeat veritati.*

19 *Cambium per litteras intra idem Regnum, in quo campsor prius accipit, si lege non prohibeatur, stipendium meretur tàm ratione transportationis pecuniæ, quàm ratione eiusdem copiæ.*

20 *Pecuniarum variatio contingere potest etiam in diuersis Ciuitatibus eiusdem Regni.*

1 IN hac re quot homines, tot sunt sententię. Nam prima sententia est eorum, qui volunt, cambia, quæ celebrantur de loco ad locum intra eandem Prouinciam, vel intra idem Regnum, esse omnino ficca, & vsuraria: qua propter cõsequenter dãnant omne lucrũ, quod ex huiusmodi cãbijs percipitur, siue recipiatur ratione transportationis de loco ad locũ, siue ratione penurię, vel abũdantiæ pecuniarũ in locis, in quibus cãbia celebrantur. Pro hac sententia citantur Sot. lib. 6. de iust. & iur. q. 10. ar. 1. ad fin. & clarius q. 13. ar. 1. concl. 2. Gasp. Roder. in suo tract. de ann. reddit. q. 5. num. 17. & alij apud Scac. de commerc. & camb. §. 1. q. 7. p. 3. lim. 11. num. 6 volunt enim opus esse, vt locus, in quo soluenda sit pecunia, longè distet à loco, in quo dantur litteræ; alioquin esset cambium de tempore ad tempus, atque ideo ficcum.

2 Secunda sententia est Bann. 2. 2. tom. 2. tract. de camb. dub. 8. Ledes. par. 2. suæ sum. tract. 8. concl. 2. de camb. & aliorum, existimantium fieri posse cambium de loco ad locum infra eandem Prouinciam, & infra idem Regnũ; non tamen posse ex eo lucrum consequi ratione penuriæ, vel abundantiæ pecuniarum; sed tantùm stipendium pro earum traiectione ad locum destinatę solutionis. Mouentur pręfati Doctores ex eo quòd infra idem Regnum facilis est asportatio pecuniæ, & perinde est, ac si vbique esset pecunia pro huiusmodi cambijs celebrandis, atque ideo iniustè aliquid percipitur ex eis ratione copiæ, vel inopiæ pecuniarum. Confirmatur quoniam æstimatio pecuniæ ratione illius abundantiæ, vel penuriæ non habet locum nisi in diuersis Prouincijs, & Regnis: ergo non habetur de ea ratio in locis eiusdẽ Prouinciæ, vel Regni: aliàs etiam in diuersis domibus eiusdem Ciuitatis posset æstimatio pecuniæ in ordine ad cambia variari: quod à nemine conceditur.

3 Tertia sententia est Nauar. in Man. c. 17. num. 290. Ioan. Bapt. Lupi in c. nauiganti, §. 2. num. 30. vers. Infertur tertiò, in nn. & vers. Et licèt, de vsur. Filliuc. tom. 2. qq. moral. tract. 35. p. 2. cap. 6. q. 6. sub num 395. in fin. & aliorum, existimantium, cambium de quo agitur, adeò licitum esse de loco ad locum intra eandem Prouinciam, & intra idem Regnum, vt si simpliciter lege prohibeatur cambium de loco ad locum intra eandem Prouinciam, & Regnum, tale cambium non intelligatur prohibitum: quia in eo fraus de facili committi non potest, & cessat omnis vsuræ suspicio; sed tantùm censeatur prohibitum cambium, in quo campsor prius dat pecuniam in vno loco recepturus cambitam in alio: siquidem huiusmodi cambium subijcitur non nullis campsorum fraudibus, & in eo frequenter vsura palliatur. Vndè consequenter volunt, stipendium ex dicto cambio indistinctè percipi posse, etiam si lege prohibeatur celebrari de loco ad locũ intra idem Regnum; & intra eandem Prouinciam.

4 Quarta sententia est Sà, ver. Cambium; num. 6. dicentis, cambium omne de loco ad locum, ac etiam ad nundinas celebrati posse nisi lege prohibeatur. verùm si seriò celebretur citra omnem dolum & fraudem, non obstante lege prohibẽte, erit validum, & lucrum ex eo iustè percipietur: nec distinguit, an percipiatur ratione transportationis pecuniæ dumtaxat, vel ratione eiusdem penuriæ, vel abundantiæ. Mouetur ex eo quòd lex prohibens cambium fundatur super pręsumptione fraudis: ergo ea cessante, cessat legis prohibitio.

5 Quinta sententia est Molinæ de contr. disp. 405. quem refert, & sequitur Ioan. de Salas in suo tract. de camb. dub. 10. num. 4. dicentis, validum esse cambium de loco ad locum intra idem Regnum, & intra eandem Prouinciam: verùm si lege prohibeatur, vim habet legis prohibitio: non tamen lucrum acceptum ex tali cambio, est restitutioni obnoxium ante sententiam; etiam si lex restitutionem præciperet; si aliàs ex rei natura iustum esset: quoniam lex esset pœnalis in ea parte, quæ in foro conscientiæ non obligat ante sententiam; estò quòd dictum cambium tanquam contra legem initum, sit nullum.

Sexta sententia, quę nobis magis probatur, est eorum, qui volunt, camb. um de loco ad locum intra idem Regnum, & intra eandem Prouinciam, esse licitũ, & ex eo percipi posse lucrũ nõ solũ ratione trãsportationis pecuniæ; sed etiã ratione eiusdẽ copiæ, vel penuriæ. Pro cuius rei explicatione sit

Pri-

Prima Conclusio.

6 CAmbium per litteras de loco ad locũ intra eandem Prouinciam, aut intra idem Regnum, in quo campsor prius pecuniam accipit, restituturus deinde in alio loco, est licitum, & ex eo iustè lucrum percipi potest. Hæc conclusio est Nauar. in c. nauiganti, num. 28. de vsur. Garc. de contr. p. 2. cap. 12. Lopez eod. tract. lib. 2. cap. 1 r. vers. Tertiò dicimus: Azor. p. 3. Inst moral. lib. 10. de camb. c. 5. q 6. Reginald. lib. 25. suæ prax. num. 455. in fin. Ioan. de Salas cum alijs, quos allegat in suo tract. de cãb. dub. 10. num. 2. Scac. de cõmerc. & camb. §. 1. q. 7. p. 3. limit. 11. Molfes. p. 2. suæ sum. tract. 12. sub num. 94. Filliuc. tom. 2. qq. moral. tract. 35. de camb. cap. 6. q. 6. Imò & idem Sot. sibi contrarius lib. 7. de iustit. & iure, q. 6. ar. 1. qui retractat se, re melius cõsiderata. Probatur hæc conclusio ex his, quæ supra diximus, q. 1. ampl. 3. Licèt enim cambium fiat de loco ad locum infra idem Regnum, & eandem Prouinciam; semper tamen campsor campsuario obsequium præstat, labores, & expensas sustinet, & periculis exponitur: nam aliquando non minus periculi instat in transferendo pecuniam de loco ad locum infra idem Regnum, vel eãdem Prouinciam, quàm de vno Regno ad aliud, vt Lopez ait de Regno Cataluniç, vbi viæ scatent latronibus, & perditis hominibus.
7 Confirmatur, quia dum cambium est reale, per accidens se habet distantia locorum, si seruetur æqualitas iusti pretij, vt patet in cambio ad minutum, quod fit in eodem loco inter præsentes; & tamen ratione obsequij, laborum, & expensarum in conquirendis, & asseruandis pecunijs ad commodum cambire volentium, stipendium iustè lucratur, vt supra probauimus, q. 13. in in proœm. de cambio ad minutum tractantes. Est igitur cambium reale licitum, & ex eo iustè lucrum percipitur non solùm quando celebratur ex vno Regno ad aliud, aut ex vna in aliam Prouinciam; verum etiam quando celebratur ab vno loco eiusdem Prouinciæ ad aliud. Nec ex hoc sequitur, huiusmodi cambium fieri de tempore ad tempus, vt contraria opinio opinatur, atque ideo esse siccum; quoniam cùm realiter fiat de loco ad locum, tempus non minus se habet per accidens in cambio de vno Regno ad aliud, quàm de loco ad locum infra eandem Prouinciam, & idem Regnum.

Ampliatur hæc conclusio, vt non solùm
8 locum habeat in cambio per litteras, in quo campsor prius accipit pecuniam in vno loco, soluturus eam cambitam in alio: sed etiam in cambio, in quo campsor prius pecuniam dat in vno loco, recepturus eam cambitam in alio: atque ideo in cambio ad nũdinas. vt habetur ex Scac. de commerc. & camb §. 1. q. 7. p. 2. limit. 11. num. 11. & Molf. d. cap. 7. num. 97. Etenim satis est, quòd re vera compleatur cambium in loco destinatæ solutionis, cùm in vtroque cambio militet eadem ratio, argum. tex. in l. illud, ff. ad leg. Aquil. Confirmatur ex communi praxi Genuensium, qui dant cambio sub lucro de loco ad locum, etiam intra eandem Prouinciam Liguriæ: & aliorum mercatorum ex alijs locis, de quibus Scac. loco citato.

Sic ampliata limitatur eadem conclu-
9 sio, vt licèt fieri possit cambium per litteras de loco ad locum, & ad nundinas infra idem Regnum, & eandem Prouinciam; nihilominus ex huiusmodi cambijs non est licitum tantum lucri consequi, cæteris paribus, quantum perciperetur ex cambio celebrato ex vno ad alterum Regnum, vt supra probauimus d. q. 1. ampl. 3. vers. Est tamen verum, cui nos remittimus, ne bis idem repetamus.

Secunda Conclusio.

10 CAmbium per litteras, de quo agitur, potest lege prohiberi ne fiat de loco ad locum intra Regnum, & intra eandem Prouinciam. Probatur, quia lex ista potest esse Reip. & bono communi ad euitandas vsurarum palliationes, quæ in huiusmodi cãbijs fieri possunt, expediẽs, & vtilis: ergò & edi potest lex, quæ talia cãbia prohibeat; quoniã esset rationabilis, iusta, & pro bono publico emanata, quæ sunt requisita ad legem condendam, de quibus in c. erit autem lex, & ibi glos. & Doctor. 4. d. l. 1. & 2. ff. de le-

legib.D.Thom.2.2.q.90.ar.4.Filliuc. tom. 2.qq.moral.tract.21.cap.11.q.2. concl.1. & 2. & alij Doctor. communiter. Confirmatur, quia in Regno Castellæ extat lex prohibens percipi lucrum ex cambio per litteras de loco ad locum intra idem Regnum, quo cambio campsor dat prius pecuniam in vno loco recepturus eam cambitam in alio; quæ lex iusta reputatur, cùm sit edita ob bonum commune ad obuiandum campsorum fraudibus, vt habetur ex Ioanne de Salas de camb.dub.10.sub num. 3.post Nauar. & alios: ergò & emanari potest lex, & iusta erit, prohibens percipi lucrum ex cambio per litteras, in quo campsor prius accipit pecuniam in vno loco, restituturus eam in alio intra idem Regnū; siquidem huiusmodi lex diceretur etiam promulgata ob bonum publicum, & ad obuiandum cambientium fraudibus, quæ in hoc etiam cambio committi possent, vt sequenti concl.ostendemus.

Tertia Conclusio.

SI simpliciter edatur lex prohibens per-
12 cipi lucrum ex cambio de loco ad locum intra idem Regnum, & intra eandem Prouinciam, vi huiusmodi legis prohibitum censetur lucrum consequi ex quocunque cambio per litteras de loco ad locum intra idem Regnum, & eandem Prouinciā: siue sit cambium, in quo cāpsor pecuniam prius accipiat: siue quo pecuniam prius det. Hæc conclusio est contra Doctores, quos supra retulimus pro tertia sententia. Probatur, quia lex generaliter loquitur, & non distinguit de cambio; ergo generaliter debet intelligi de lucro ex quocūque cambio per litteras de loco ad locum intra idē Regnum, & eandem Prouinciam: quia lex generaliter loquens, generaliter debet intelligi: & quando non distinguit, nec nos distinguere debemus, l.1. §.generaliter, ff. de legat.præst.& l.non distinguimus, ff.de arbitr.

Nec obstat si dicatur, quòd regula su-
13 pradicta tunc procedit, quando per aliam legem, aut rationem lex ipsa generalis non contrahitur, at in casu de quo agitur licèt supponamus legem generaliter loqui; nihilominus videtur contrahi per potiorem rationem militantem in campsore prius dantē, quàm in campsore prius accipiente, siquidem cambium, in quo campsor pecuniam accipit in vno loco, restituturus in alio, non inuoluit periculum palliandi, & committendi vsuram, sicut inuoluit cambium, in quo campsor prius dat pecuniam in vno loco recepturus in alio: quoniam respondetur, quòd quicquid sit de huiusmodi argumento, si res ipsa rectè perpendatur, non minus palliari potest vsura in cābio, quo campsor prius dat, quàm in cambio, quo prius accipit: nam sicut mutuum potest consistere ex parte campsoris dantis, & sic committi vsura sub pallio cambij; ita etiam potest consistere mutuum ex parte dantis pecuniam prius campsori, atque ideo committi vsura palliata pallio cambij: & non minus vsura contingere potest, ac solet in hoc cambio, vt suo loco dicemus de deponentibus pecunias apud campsorem, agentes, quàm in priori. Cùm igitur editur lex prohibens percipi lucrum ex cābio de loco ad locum intra idem Regnum, & intra eandem Prouinciam, vi huius legis prohibitum censetur lucrum consequi ex quocunque cambio per litteras de loco ad locum intra idem Regnum, & eandem Probinciam: siue sit cambium, quo cāpsor prius dat pecuniam: siue sit cambium quo campsor pecuniam prius accipit, cùm in vtroque casu militet eadem ratio, arg. tex. in l. illud, ff. ad leg. Aquil.

Quarta Conclusio.

VErum ex cābijs prædictis perceptum
14 contra legem prohibentem est restitutioni obnoxium quoad forum exterius; etiam si nulla intercesserit fraus, & ex natura rei esset iustum. Probatur, quia cùm, lege prohibente, percipiatur, illud percipiens sine titulo percipit, nulliter percipiat: siquidem actus contra legem est ipso iure nullus, vt in l.non dubium, C. de legib.

Limitatur hæc conclusio, vt locum non
15 habeat, vbi lex pœnam imponeret, aut aliundè per aliquam saltem rationem constaret, mentem legislatoris non esse irritare actum factum contra legem prohibentem,

iuxta

iuxta ea, quæ supra adnotauimus, q. 15. in resp. ad vlt. argum. vel saltem tale lucrum non esset restitutioni obnoxium in foro cõscientiæ ante sententiam; etiam si lex pro-
16 grederetur vltra, recipientem incremẽtum illud reddendo incapacem, per ea, quæ ex Filliuc. & Molina diximus, d. q. 15. limit. vnica: quibus adde Ioan. de Salas de camb. dub. 19. num. 4.

Quinta Conclusio.

LVcrum perceptum ex cambio, de quo
17 agitur, quoad forum interius non est restitutioni obnoxium, non obstante legis prohibitione, si ex natura rei esset aliàs iniustum. Probatur, quia huiusmodi lex fundaretur in præsumptione fraudis, & palliatione vsuræ: & propterea non ligat in foro conscientiæ, si cambium fiat citra omnem fraudem, & omnem iniustitiã, ac vsurariam
18 prauitatem. Etenim lex fundata in præsumptione non obligat in conscientia, si à parte rei præsumptio non respondet veritati, vt habetur ex Innoc. in c. quia plerique, & ibi Panor. num. 18. de immunitate Eccles. quod tamen quomodo procedat, rectè declarat Filliuc. tom. 2. qq. moral. tract. 33. cap. 5. à num. 93. vsque ad num. 99. quibus adde, quæ habentur ex Ioan. de Salas de camb. dub. 10. circa fin. qui reprobans sententiam Sà, quam supra retulimus, ait, quòd sæpe leges prohibent conditiones iure naturæ non prohibitas, quia possunt esse occasiones peccandi, & tales seruari debent in conscientia; etiam si illæ conditiones alioquin essent licitæ: nec tales leges dicuntur fundari in falsa præsumptione, sed in veris periculis, quę illis conditionibus coniuncta esse solent. vndè si præsumptio non sit causa immediata, & finalis talis legis; sed motiua, ac finalis esset securitas, & vitatio periculi palliandi vsuram in tali contractu, proculdubio obligaret in conscientia, vt rectè declarat Filliuc. loco citato, sub num. 96. vbi exemplum affert de matrimonio clandestino prohibito, cuius causa finalis fuit securitas contractus, quamuis motiuum fuerit obuiare fraudibus: & bene quoque explicat coniecturas, ex quibus dignoscitur, quando lex fundetur in præsumptione, aut in veritate.

Sexta Conclusio.

CAmbium, de quo agitur, de loco ad
19 locum, quo campsor pecuniam prius accipit, si lege non prohibeatur celebrari infra idem Regnum, & eãdem Prouinciam, non solùm est validum; sed ex eo percipi potest lucrum tàm ratione transportationis pecuniæ, quàm ratione eiusdem copiæ vel penuriæ. Hæc cõclusio quoad vltimam partem est contra Bann. & Ledes. relatos pro secunda opinione. Prima & secunda pars conclusionis patent ex dictis. vltima pars probatur: quia variatio pecuniarum
20 contingere solet etiam in diuersis Ciuitatibus eiusdem Regni & eiusdem Prouincię, sicut & in diuersis Regnis, & in diuersis Prouincijs; nec potest assignari diuersitatis ratio, cur habenda sit ratio copiæ, vel inopiæ pecunię in cambijs celebratis extra Regnum, & non in cambijs, quæ celebrantur intra Regnum. Nec ex eo quòd facilis est trãsportatio pecuniæ de vno loco ad alium intra idem Regnum, & intra eandem Prouinciam, deneganda est ratio copię, vel inopiæ pecuniæ, vt malè arbitratur Bann. sed facilis transportatio minuit stipendium ratione transportationis; non autem ratione copiæ, vel inopiæ pecuniæ. Nec etiam ratio allata à Ledes. videtur concludens: quia nunquam in diuersis domibus eiusdem Oppidi potest esse talis variatio: nam licèt inter priuatas domus sit maior copia, & inopia pecuniarum; respectu tamen Ciuitatis pro cambijs ineundis, Ciuitas ipsa dicitur habere copiam, vel inopiam pecuniarum, secundum copiam, & inopiam, quam habẽt Ciues collectiuè sumpti. vndè cùm non possit assignari diuersitatis ratio, sed eadem prorsus sit in vtroque casu, eadem etiam est iuris dispositio, l. illud, ff. ad leg. Aquil. Ex quibus iam dictis patet quid dicẽdum sit ad contraria.

An

An si pretium in cambio, de quo agitur, excedat limites iusti pretij, talis excessus reddat contractum nullum. Q. IX.

SVMMARIVM.

1 *Excessum pretij in cambio illud reddere vsurarium, qui doceat, refertur.*

2 *Excessus pretij in cambio non reddit illud inualidum.*

3 *Contrahentibus licitum est se ipsos inuicem decipere.*

4 *Census si vendatur minus iusto pretio, non ob id annullatur; sed resecto excessu, reducitur ad rationem iusti pretij, & num. 5.*

6 *Si pretij excessus sit legale pretium cambij, adhuc cambij contractus diceretur validus.*

7 *Excessus pretij in cambio non vitiat contractum, etiam si sit vltra dimidium iusti.*

8 *Excessus pretij in cambio si non constat de animo contrahentium celebrādi cambium, contractus præsumitur simulatus.*

9 *Excessus pretij in cambio non vitiat contractum, nec de iure Ciuili, nec de iure Canonico.*

10 *Excessus pretij in contractu assecurationis, & in nonnullis alijs contractibus, eos non vitiat.*

11 *Excessus pretij in cambio si sit vltra dimidium iusti pretij, potest rescindi contractus, vel est reducendus ad limites iusti ad electionem lædentis.*

12 *Statutum corrigens ius commune in re principali, censetur etiam illud corrigere in accessorijs.*

13 *Excessus pretij in cambio, quamuis non vitiet contractum; tamen si dolus dederit causam contractui, an illud vitiet, declaratur.*

14 *Contractus bonæ fidei, & stricti iuris, quomodo differant inter se, ostenditur.*

15 *Contractus omnes hodie esse bonæ fidei, non nulli volunt.*

16 *Læsio vltra dimidiam partem iusti pretij, circa rescissionem contractus, habet locum quoad forum exterius: nam quoad forum interius læsus restituitur vsque ad minimū quadrantem.*

17 *Excessus pretij in cambio tunc reddit contractum vsurarium, cum sit propter mutuum: secus autem si fiat propter aliam causam.*

1 IN hac re Med. tom. 2. de reb. restit. q. 1. num. 1. videtur docere, quòd excessus pretij in cambio reddat contractum vsurarium: ergò illud reddit nullū, & inualidum. Consequentia patet; quia omnis cōtractus vsurarius est nullus: siquidem non datur contractus, qui inter reales contractus non numeretur, & sit contractus: sed vsurarius contractus dicitur contractus secūdum nomen tantùm, non autem secundum rem, & in rei veritate; ergò, &c. Antecedens probatur; quoniam in cambio, in quo interuenit diuersitas loci, aut temporis, semper inest tacitum mutuum, vt habetur ex Med. loco citato: ergo excessus pretij in huiusmodi cambio semper est vsurarius ratione mutui taciti; atque ideo licèt in aliarum rerum cōtractu; nempe in contractu emptionis, locationis domorum, & prædiorum, in commutatione, &c. læsio, & excessus simplex, non inducant vsuram; sed contractus remaneat in puris terminis læsionis: secus tamen est in contractu cambij, census, societatis officij, & similium, in quibus pecuniam pecunia negotiamur, salua remanente sorte. Etenim in eiusmodi contractibus reperitur materia apta ad vsuram, nempe pecunia pro pecunia, in qua mutuum præcipuam sedem sibi vendicat.

2 His tamen non obstantibus, oppositum puto verius. Probatur, quia cambium est contractus innominatus, vt sæpe diximus: & quia contractus innominatus ex sui natura reducitur ad eos contractus, quibus magis assimilatur, & supra in procem. q. 10. cōcl. 5. vers. Denique; satis probauimus, illud assimilari contractui emptionis, ac venditionis, ac commutationi: at in contractu præcipuè emptionis deceptio in pretio non annullat ipsum contractum: imò de iure lici-
3 tum est contrahentibus se inuicem decipere in pretio talis contractus, vt in l. in causæ, §. idem Pomponius, ff de minor. l. item si pretio, §. fin. ff. locat. & cond. Bald. & alij in l. 1. num. 1. C. de rescind. vēdit. Ioan. Andr. in c. in Ciuitate, sub num. 2. de vsur. ergò deceptio in cambij pretio ipsum cambium non

non annullat. Et quòd idem dicendum sit de pretio cambij, specialiter consuluit Calder. cons. 11. incipit, Mercator Ianuensis, ibi & postea quòd, sub tit. de vsur. Ioan. de Anan. in c. nauiganti, num. 47. vers. constat ergò, de vsur. & alij, quos refert, & sequitur Scac. de commerc. & camb. §. 1. q. 7. par. 2. ampl. 10. sub num. 1. circa fin. vbi testatur, hanc esse communem opinionem, & ita practicari. Confirmatur hęc sententia, quo-
4 niam si census vendatur minus iusto pretio, non ob id annullatur contractus censualis; sed reijcitur excessus, & reducitur ad rationem iusti pretij, vt latè probauimus in nostris Comment. in Extrauag. Pij V. de censib. §. 2. q. 26. num. 22. ergò idem dicendum est de pretio cambij, cùm militet eadem ratio, arg. tex. in l. illud, ff. ad leg. Aquil. Non igitur excessus pretij in cambio reddit contractum nullum.

Ampliatur hæc conclusio, vt vera sit,
5 etiam si pretij excessus sit vltra latitudinem iusti pretij; quoniam idem seruatur in venditione aliarum rerum, vt in l. 2. & ibi Doctor. C. de rescind. vend.

Secundò ampliatur, vt conclusio locum
6 vendicet, etiam si pretij excessus sit legale pretium cambij; quoniam adhuc cambij cōtractus diceretur validus: siquidem hoc ipsum diximus d. q. 26. num. 22. locum sibi vendicare in legali census pretio, & non potest assignari diuersitatis ratio.

Tertiò ampliatur, vt cōclusio procedat,
7 etiam si pretij excessus sit vltra dimidiam iusti pretij; nam supposito casu, in quo contrahentes constet habuisse animum celebrandi cambium, talis contractus potest dici tantùm iniustus, & ex hoc capite poterit agi ad rescissionem, vel ad supplementum iusti pretij alternatiuè; sed contractus non potest dici vsurarius, atque ideo nullus, etiā si campsor solitus sit fœnerari: siquidem vsurarij quoque possunt veros contractus celebrare, & quandoque verè, & non simulatè celebrant, & in claris cessant coniecturæ, vt patet ex ijs, quæ habentur ex Scac. d. ampl. 10. sub num. 6 vers. Extende quinto. Dixi, *Si constet, contrahentes habuisse animum celebrandi cambium*. quia si id non constet,
8 & appareat de læsione vltra dimidiam iusti pretij, tunc contractus præsumitur simulatus, vt colligitur ex ijs, quę habentur ex eodem Scac. loco citato, vers. Extende tertiò.

Quartò ampliatur eadem conclusio, vt
9 solus pretij excessus non inualidet contractum cambij non solùm de iure ciuili; sed nec etiam de iure canonico; vt colligitur ex ijs, quæ habētur ex eodem Scac. d. ampl. 10. num. 6. vers. Extende tertiò.

Quintò ampliatur vt locum habeat in
10 contractu assecurationis, & in non nullis alijs, de quibus Scac. loco citato, sub num. 4.

Sic ampliata prædicta conclusio limita-
11 tur, vt contractus cambij propter pretij excessum licèt non sit nullus; nihilominus si læsio excedat dimidiam partem iusti pretij, tunc contractus ipse venit rescindendus remedio l. 2. C. de resc. ind. vend. vel pretium reducendum ad limites iusti ad electionem lædentis, vt habetur in d. l. 2. C. de rescind. vend. cap. cùm dilecti, de empt. & vendit. Gabr. in suis concl. lib. 3. tit. de empt. & vēdit. concl. 1. num. 1. & seq. & alij apud eundem Scac. ampl. 10. sub num. 3. vers. Verùm aduerte. vbi etiā vers. Aduerte priusquam, hanc limitationem, & cætera omnia, quæ de læsione infra, & vltra dimidium iusti pretij dicuntur in terminis iuris communis, habere etiam locum infra, & vltra minorem læsionem statutariam, seu municipalem cuiuscunque loci; atque ideo quicquid disponit ius commune in vtroque foro in læsione infra, vel vltra dimidiam, & statuta Vrbis Romæ lib. 1. cap. 154. censentur disponere in læsione infra, & vltra tertiam partem iusti pretij: siquidem huiusmodi læsio tanquam subrogata in locum iuris communis, recipit, & admittit omnes interpretationes, & dispositiones, quas admittit læsio in terminis iuris communis: eo quòd statu-
12 tum corrigens ius commune in re principali censetur etiam illud corrigere in accessorijs, vt habetur ex eodem Scac. in suo tract. de iudic. caus. lib. 2. cap. 2. num. 336. & 540.

Secundò limitatur ipsa conclusio, vt
13 quamuis excessus in pretio non inualidet contractum cambij; nihilominus si dolus dederit causam contractui, annullat contractum: quia stante dolo, deficit consensus: quod quidem verum est secundum opinionem

nem eorum, qui volunt, contractum cambij esse contractum bonæ fidei: etenim dolus dans causam contractui bonæ fidei inualidat illum, vt in l. & eleganter, in prin. ff. de dol. mal. Ias. in §. actionum, sub num. 30. de action. Azor. par. 3. Inst. moral. lib. 6. tit. de contract. cap. 10. q. 2. & Guttier. tract. de contr. iurat. cap. 37. num. 12. tom. 6 par. 1. vbi id ampliat, etiam si contractus bonæ fidei est iuratus. Sed quoniam nos supra, q. 10. in procem. do. u mus, cambium non esse contractum bonæ fidei; sed contractum stricti iuris, idcircò dicend m est, quod si in læsione pretij sit admixtus dolus ex proposito, tunc licèt contractus non sit inualidus ipso iure; potest tamen dolo malo deceptus illum rescindere pro quauis minima læsione, vt patet ex ijs, quæ habentur ex Calder. in c. nauiganti, num. 17. de vsur. Panor. in c. in Ciuitate, sub num. 6. eod. tit. Franc. de Aret. in c. cũ causa, num. 24. vbi etiam idem Panor. num. 4. de testib. & ex alijs quos refert, & sequitur Scac. de commerc. & camb. §. 1. q. 7. p. 2. ampl. 10. num. 7. Inter contractus enim bonæ fidei, & contractus stricti
14 iuris eam differentiam esse probauimus supra in procem. q. 10. concl. 6. vers. Ex hoc infertur primò, quòd in contractibus bonæ fidei dolus dans causam contractui, illum irritat ipso iure, vt in d. l. & eleganter, in prin. ff. de dol. l. 3. §. vlt. ff pro soc. l. si dolo, C. de rescind. vendit. & l. si fraude, C. de præscript. At in contractibus stricti iuris si dolus dederit causam contractui, contractus non est nullus ipso iure; sed venit rescindendus actione, seu exceptione doli, vt in l. si quis cùm aliter, ff. de verb. obligat. l. dolo, C. de inut. stipul. cum alijs, quos supra in d. q. 10 concl. 6. retulimus. Et hanc distinctionem inter contractus bonæ fidei, & stricti iuris communiter teneri, tenet Anton. Burg. in c. cùm dilecti, sub num. 45. 46. & 47. de empt. & vendit. quibus adde ea, quæ habetur per Ioan. de Salas in suo tract. de empt. & vendit. dub. 27. vbi latè hanc materiam explicat.

Est tamen verum, quòd si vera est opi-
15 nio eorum, qui volũt, quòd hodie de æquitate canonica omnes contractus mũdi sunt bonæ fidei, vt habetur ex Ias. in § quadrupli autem, sub num. 9. in Inst. de action. seu quòd de iure Canonico sint bonæ fidei quantum ad effectum, atque ideo q ilibet contractus, cui dolus causam dederit, sit nullus, iuxta ea, quæ habentur ex Anton. Burg. loco citato, num. 53. & 54. inutilis est distinctio prædicta inter contractus bonæ fidei, & stricti iuris, vt habetur per Scac. d. ampl. 10. sub num. 9. vbi etiam vers. Superest alia difficultas, tractat, an dolus, qui dat causam contractui bonæ fidei, inficiat contractum magis quàm dolus incidens, & tandem concludit num. 10. & 11. quòd de iure ratione doli contractus rescinditur, aut est nullus ipso iure, id est verum, volente decepto, aliàs secus, quia si voluerit stare contractui, tunc ille, qui commisit dolum non posset proprium dolum allegare, vt per Ias. in d. §. actionum, num 41. in Inst. de action. & Anton. Burg. in d. c. cùm dilecti, sub num. 21 & 58. & latè Scac loco citato, per plures paginas materiam doli dantis causam contractui, vel incidentis, completè pertractans.

Cæterum, quæ hucusque adnotauimus
16 de læsione infra, vel vltra dimidium iusti pretij in contractu cambij, & in alijs contractibus locum habent quoad forum exterius; atque ideò licèt de iure Ciuili, & Canonico liceat contrahentibus se inuicem decipere in pretio vsque ad dimidium, ita vt non competat actio decepto, nisi læsus appareat vltra dimidiam partem iusti pretij, vt supra diximus; nihilominus aliter dicẽdum est quoad forum interius, & coram Deo; siquidem in foro conscientiæ attenditur ius naturale, ac Diuinum, quo bus mandatur, ne quis supergrediatur neque circũueniat in negotio fratrem suum: quonia n ait Apostol. ad Thessalon. 4. vindex est Dominus de his omnibus; atque ideò præcipitur, vt in contractibus seruetur iustitia commutatiua, à qua prouenit maxima illa, *Quod tibi non vis, alteri ne feceris*. Vndè in foro conscientiæ non permittitur læsio nec in minimo quidem quadrante: quia nemo vellet ab alio decipi nec in parua, nec in minima quantitate, vt latè Salon. in D. Thom. 2. 2. q. 77. art. 1. contr. 17. sub num 1. Ioan. de Salas in suo tract. de empt. & vendit. dub. 27. num. 11. & Scac. d. ampl. 10. sub num. 41. vbi etiam num. 42. & 43. refert Do-

Doctores contrarium sentiẽtes;atque adeò dicentes non peccare,nec teneri ad restitutionem eos, qui lædunt in contractibus citra dimidiam partem iusti pretij, cùm non peccet,qui facit,lege permittente, vt habetur ex Anch. in c.peccatum, num.21. vers. Et primò vtrum peccet, vbi etiam Ioan. Andr. num.25. & 29. de regul. iur. in 6. & ex alijs. Non tamen est recedendum ab ijs, quæ supra diximus: nam ad fundamentum huius contrariæ sententiæ rectè respondet Scac.post alios loco citato,num.44.dicens, quòd leges Ciuiles,& Canonicæ tolerant, non autem permittunt læsionem in pretio citra dimidium:& propterea non potest dici deceptionem fieri, lege permittente, sed lege tolerante,ad euitandas lites, ac dissentiones.

Restat modò, vt contrarium diluamus.

17 AD argumentum igitur respondemus, signanter ad probationem antecedentis,quòd licèt Med.consideret mutuum admixtum in cambio, nam propterea hoc cambium appellat impurum; nihilominus idem Medina docet, quòd non omnis excessus in tali cambio est vsurarius; sed ille tãtùm, qui fit propter mutuum admixtum: secus autem si fiat propter aliam causam; quoniam & si talis excessus possit esse iniustus; nunquam tamen diceretur vsurarius: siquidem illud tantùm lucrum est vsurarium, quod percipitur ex mutuo ex vi mutui,& in pretium illius, vt sæpe diximus. Ita Scac. d.ampl.10. sub num.74. vers. Ad secundam responsionem.

De cambio per litteras,in quo campsor prius dat pecunias in vno loco, recepturus deinde in alio: ad quem contractum reducatur, & de eiusdem definitione.Q.X.

SVMMARIVM.

1 *Cambij per litteras contractus, in quo campsor primò dat pecuniam in vno loco, sibi restituendam in alio,qualis sit,variæ Doctor.sententiæ referuntur.*

2 *Cambij contractus,in quo campsor prius dat pecuniam in vno loco restituendam in alio, est contractus innominatus,do vt des.*

3 *Cambium,in quo cãpsor prius dat pecuniam vt supra, quare non sit contractus mutui, ostenditur.*

4 *Cambium,in quo campsor prius dat pecuniã, &c. cur non dicatur contractus locationis operum, ratio assignatur.*

5 *Cambium,in quo campsor prius dat pecuniã, &c. non est formaliter contractus emptionis,seu venditionis.*

6 *Cambium,in quo cãpsor prius dat pecuniam vt supra, est contractus emptionis, ac venditionis valdè similis.*

7 *Cambium,in quo campsor prius dat pecuniã, subalternatur contractui emptionis,seu venditionis.*

8 *Pecuniarum valor quando à Principe definitur,ad quid censeatur facta definitio,declaratur.*

9 *Cambij,in quo campsor prius dat pecuniam, &c.definitio traditur.*

10 *Cambium,in quo cãpsor prius dat pecuniam vt supra,quot personas exigat, explicatur.*

11 *Cambij,in quo campsor prius dat pecuniam, &c. litterarum forma traditur.*

12 *Cambij,in quo campsor prius dat pecuniam in loco,&c.litteræ declarantur.*

13 *Ducati de Camera sunt fictitij, atque adeò in rerum natura non reperiuntur.*

14 *Solutio,visis litteris,an semper statim fiat.*

1 IN hac re Goffred.Hostien.& alij in cap. nauiganti, & in c.in Ciuitate, de vsur. arbitrantur, huiusmodi contractum esse essentialiter mutuum:quia camptor non recipit pecuniam à campsuario, vt in cambio præcedenti;atque ideò nõ transfert saltem virtualiter pecuniam illius;sed dat ei primò in vno loco transferendo illius pecuniæ dominium in accipientem, & obligando eum ad restituendam æquiualẽtem in alio loco: hoc autem est mutuum: siquidem hæc omnia mutuo conueniunt. Alij verò nempe Syl.in sum. ver vsura, 4.q.8. & Fabian.Genuen.in suo tract.de camb.cap.5. huiusmodi cambium esse dicunt contractum emptio-

ptionis,seu vendirionis. Vendit enim campsor pecuniam præsentem pro pecunia loco absenti. Alij voluit, cambium, de quo agitur, esse mixtum ex cambio, & mutuo. Siquidem campsor anticipatè dicitur dare pecuniam mutuo, vt postea in alio loco pecunia mutuata cambiatur pro alia; cuius opinionis videtur quoque esse Garc. de contr.p.2.cap.9. Alij putant, dictum cambium esse contractum permutationis, cùm verè fiat commutatio pecuniæ præsentis cum pecunia loco absenti, vt ait Azor. p.3. Inst.moral.lib.10.cap.6.de camb. Et denique non desunt, qui velint, cambium istud esse contractum locationis operum: quia campsor transfert pecuniam ad locum, in quo eam dat campsuario, vt sibi deinde restituatur in alio loco: quæ quidem sententia videtur Sot. lib. 6. de iust. & iur. q. 10. art. 1.

Nos autem, vt consequenter loquamur
2 ad ea, quæ supra adnotauimus in proœm. q.10.concl.6.dicimus, cambium huiusmodi, sicut & alia cambia esse contractum innominatum,do,vt des. Datur enim à campsore pecunia in vno loco, vt sibi detur alia pecunia in alio loco. Hæc conclusio patet ex supradictis in d.q. 10. concl.6. Nam cambium istud est verè,ac reale cambium, vt q. seq. latius dicemus: ergò est contractus innominatus:siquidem dicta conclusione sexta satis supra ostendimus, cambium in genere esse contractum innominatum. Non tamen est formaliter, ac propriè permutatio: quia permutatio licèt inter contractus innominatos connumeretur à glos. in rub. C.de rer.permut.& ab alijs,quos refert, & sequitur Molina de contr. disp.253. num.10.nihilominus permutatio strictè sumpta est commutatio rei ad rem, vt in l. 1. & ibi Doctor.ff.de contrah.empt.at cambium est commutatio pecuniæ cum pecunia.

Vndè rectè quoque reijcitur sententia
3 eorum,qui dicunt,cambium huiusmodi esse mutuum; quoniam mutuum est contractus nominatus, de cuius essentia est tempus, & venit restituendum idem specie.Cambium verò,de quo agitur, sicut reliqua omnia, est contractus innominatus, de cuius essentia est locus, & in eo redditur pecunia non solùm eadem,sed vt plurimum diuersa specie: & multis alijs modis differt, de quibus latè egimus d.q.10.concl.1. Nec talis contractus dici potest compositus ex mutuo, & cambio; quia in moralibus vbi vnū est propter aliud,non duo censentur esse,sed vnum tantùm. vt patet in emptione facta anticipata solutione, in qua interuenit virtuale mutuum pecuniæ anticipatò solutæ,vt sæpe diximus ex D. Thoma 2.2 q.78. art.2. Panor.in cap.nauiganti, de vsur. Sot. lib.6. de iust.& iur.q 4. Gar. Nauat.Valen. Io.Med. & alij,quos refert, & sequitur Ioan. de Salas in suo tract.de empt. & vendit. dub.43. num.1. & 2. & tamen non plures, aut compositus ex pluribus contractibus, sed vnus tantùm moraliter censetur contractus: siquidem illa pecunia anticipata datur in ordine ad consumandam emptionem: ergo idem dicendum est in casu nostro, vt dato secundum aliquos,quòd in hoc cambio pecunia data recipienti mutuetur, cùm tale mutuum sit propter cambium alibi celebrandum,non duo, sed vnus tantùm dicitur contractus,nempe cambij,vt rectè explicat Lopez lib.2.de contract.c.6.

Eadem ratione confutari potest opinio
4 eorum,qui dicunt cambium esse cōtractum locationis operum: quia licèt campsoris opera concurrat in coacervandis, & asseruandis pecunijs, quæ dantur ad cambium, opera tamen illa est propter cambium, & cōtractus iste simpliciter dicitur cambium: quibus adde quoque quæ adnotauimus d. q.10. concl.2.

Nec denique cambium istud dici potest
5 formaliter emptio, seu venditio, tum quia cambium in genere nos supra d.q.10.concl. 3 probauimus non esse cōtractum emptionis secundum sententiam magis receptam: tum etiam quia in contractu emptionis, ac venditionis veræ,ac propriæ,quod ex parte vendentis traditur est merx: quod verò ex parte ementis,est pretium:at in cābijs cùm ex vtraque parte interueniat pecunia, non potest assignari ratio,cur potius vna,& non alia sit pretium alterius. Nec obstat si dicatur, quòd pecunia, quæ vltimo loco soluitur habet vim pretij, quia hæc conditio,seu contingentia, quòd vltimò soluta sit non dat ei naturam pretij: sicut videmus in cōtractu emptionis initæ, anticipata solutione.

ne. Confirmatur etiam ex ijs, quæ supra adnotauimus d. quæst. 10. concl. 3. vers. Dixi quòd.

Non tamen negamus, quin cambium
6 huiusmodi sit contractui emptionis, ac venditionis valdè similis, cùm ex venditionis regula, ac natura regulanda veniat eius iustitia: eo quòd contractus emptionis factæ, anticipata solutione, proprietates habeat. Etenim sicut emptio illa fit pecunijs ante solutis; ita in hoc contractu interuenit cambitio facta, pecunijs ante datis: tum quia sicut in illo emptionis contractu præaccipiuntur pecuniæ in vno loco, & tempore, vt per viam emptionis postea restituantur in mercibus; ita in hoc cambij contractu præaccipiuntur pecuniæ in vno loco, vt per viam cambij restituantur in alio per illarum cambitionem: tum etiam quoniam quemadmodum in emptione anticipata solutione interuenit mutuum virtuale illius pecuniæ præsusceptæ, vt supra ostendimus; ita in hoc cambio intercedit secundum aliquos virtuale mutuum illius pecuniæ, quæ præcipitur. Quocircà cùm cãbium istud, sicut reliqua omnia dicantur contractus innominati, & de natura contractus innominati sit, vt reduci possit ad plures contractus nominatos, quibus magis assimilatur, vt supra diximus d. q. 10. concl. 5. vers. Denique, meritò dicendũ putamus, huiusmodi cambium reducendum esse ad contractum emptionis, seu venditionis, cui magis assimilatur.

Imò dicto contractui subalternari satis
7 probat Lopez loco supra citato: siquidem ob id pecunia vnius loci commutanda pro pecunia in alio, habet se ad instar mercis, lege non taxatę, cuius valor modò crescit modò decrescit iuxta maiorem, aut minorem eius indigentiam in vno loco, quàm in alio. vndè quemadmodum copia, vel inopia alicuius mercis, maior, aut minor illius necessitas mercatorum eandẽ quęrentium maior, vel minor multitudo, accrescere, vel decrescere ipsam facit in pretio in aliquo loco; ita minor, vel maior pecuniæ abundantia in vno loco potius quàm in alio, maior, aut minor eiusdem necessitas, maior, vel minor campsorum, aut campsuariorum copia in causa sunt, vt pecunia plus vno tempore valeat in vnò, quàm in alio: aut in diuersis temporibus, etiam in eisdem nundinis, plus aut minus valeat in eodem loco.

Hinc sequitur, quòd quando Principis
8 placito pecuniarum valor definitur, id fieri dumtaxat censetur quoad commutationem pecuniarum pro pecunijs in eodem loco, & ad res in ipso loco comparandas, ac ad soluenda rerum pretia: nunquam tamen Princeps, aut Resp. intendit pecunias ipsas taxare quoad valorem in commutatione pro pecunijs in aliis locis, vt sępe diximus: siquidem valor huiusmodi variabilis est. Vndè communis vsus introduxit, vt non obstante pretio à lege definito, nummi alium valorem variabilem habeant ad cõmutandum pro aliis in alio loco: quiquidem valor iustus est, & Reipubl. valdè vtilis ad cambia exercenda, & ad merces deferẽdas. Ita Molin. de contr. disp. 406. num. 3.

Ex his igitur patet etiam quid dicẽdum
9 sit de definitione huius cambii. Est enim commutatio pecuniæ præsentis cum pecunia loco absenti, recipientis gratia principaliter celebratum. Quam quidem definitionem declarat, prout cambii in communi definitionẽ declarauimus supra in proœm. q. 11. excepta particula illa, *Recipientis gratia, &c.* ad differentiam cambii, quod fit gratia vtriusque, & cambii, quod fit gratia dantis principaliter, de quibus supra egimus q. 15. in ipso proœm.

In hoc cambio aliquando interueniunt
10 duę tantùm personę, nempe campsor, & campsuarius. Vt si Titius campsor det 100. aureos Sẽpronio Genuę, vt sibi postea soluantur Romę, & tempore solutionis faciendę tàm campsor, quàm campsuarius Romam se conferant, vbi campsuarius restituit pecuniam ęquiualentem campsori. Possunt etiam interuenire in tali cambio tres personę, nempe campsor, campsuarius, & procurator campsuarii. Vt Titius campsor dat 100. scuta Sempronio campsuario Genuę, sibi restituenda Romę: Campsarius dat litteras campsori directas Meuio ipsius campsuarii procuratori, Romę commoranti, vt pro eo soluat, & campsor se Romam conferat, & cambitam pecuniam à Meuio campsuarii procuratore recipiat.

Possunt denique interuenire in huiusmodi cambio quatuor personæ, nempe campsor, campsuarius, & tàm campsoris, quàm campsuarij procuratores. Vt si Titius campsor, v.g. dat 100. scuta Sempronio campsuario Genuæ soluenda deinde Romę, & campsuarius det litteras campsori directas Meuio eius procuratori, vt cambium soluat Pamphilo procuratori dicti Titij cāpsoris. For-
11 ma vero dictarum litterarum solet esse, quę sequitur.

Al nob. Meuio di Rossi Roma 1621. à di 3. di Maggio in Genua doc. 99. d'oro.

A otto giorni, vista lettera, pagate per questa prima di cambio à Titio buono buomo, ò vero à Pamfilo di Stefano suo procuratore doc. 99. d'oro di Camera della vecchia valuta, hauuti qui de contanti dal detto Titio, e notarete a conto mio.

Vostro Sempronio Ricchetti.

PRo supradictarum litterarum declara-
12 tione est adnot. quòd in hoc cambio nos supponimus, Sempronium accepisse ad cambium à Titio scuta 100. auri Genuæ, restituenda ipsi Titio, vel Pāphilo eius procuratori cambita Romæ: quocircà dat litteras Sempronius eidem Titio directas Meuio procuratori, seu correspondenti ipsius Sempronij, vt pecuniam cambitam vt supra, Romæ restituat: & ideo in principio harum litterarum ponitur nomen Meuij, ad quem litteræ diriguntur: deinde nomen campsoris, & Pamphili quorum alteri facienda est solutio: præterea nomen campsuarij litteras scribentis: rursus ponuntur nomina Ciuitatum à qua, & ad quam litteræ mittuntur: & demum apponuntur annus, dies, & mensis, quæ omnia declara, iuxta ea, quæ supra adnotauimus, q. 1. vers. Declarantur: & vers. Dicitur secundò. Apponuntur quoque in dictis litteris verba illa, *A otto giorni lettera vista.* quoniam solutio faciēda est post octo dies, præsentatis litteris Meuio procuratori Sempronii, ad differentiam earum litterarum, in quibus dies non adiicitur; sed inscribuntur, *Lettera vista.* quorum verborum vigore statim illis præsentatis facienda est solutio; nisi ex communi loci consuetudine aliqua modica temporis dilatio adhuc concessa intelligitur, vt latè supra declarauimus d. quæst. 1. vers. Dicitur quartò. Continent etiam prædictæ litteræ verba illa, *Per questa prima de cambio.* quia vt supra declarauimus d. q. 1. vers. Dicitur quintò, solent concedi plures litteræ, adhuc vt si vna deperdatur, possit alia præsentari. Adiiciuntur etiam ipsis litteris verba, *A Titio, ò vero à Pamfilo.* quia solutio facienda est Titio Romę, si eò se transtulerit: vel Pamphilo eius procuratori, seu correspondenti Romæ existenti. Continent rursus verba illa, *Duc. 99. d'oro di Camera della vecchia valuta.* quoniam, vt diximus d. q. 1. vers. Dicitur sextò, cambia Romæ celebrantur ex ducatis de Camera; sicut Neapoli ex ducatis de carlenis, &c.

Circa quod est obseruandum, quòd Ti-
13 tius campsor dat Genuæ scuta aurea realia, existentia in rerum natura, quodlibet solidorum aureorum 68. & per supradictas litteras scribitur, vt solutio fiat in ducatis de Camera; quæ sunt fictitia, & non reperiuntur: solutio tamen in re fit in scutis aureis Romanis, quorum centum constituunt 98. ducatos de Camera. Vndè campsor pro centum scutis auri in auro Ianuensibus datis Genuę, recipit Romę ducatos 99. de Camera, qui valent scuta 101. cum dimidio: & propterea lucratur scutum vnū cum dimidio; atque ideo campsor siue det primò pecuniam ad cambium, siue primò recipiat pecuniam in vno loco restituturus in alio, semper aliquid lucratur.

Et quamuis per huiusmodi litteras solu-
14 tio pręcipiatur statim, visis litteris: & aliquando post octo, decem, aut viginti dies, præsentatis litteris; frequenter tamen designantur in ipsis litteris in tempus solutionis nundinę aliquę, de quibus suo loco infra latius, Deo duce, dicemus. In quibus nundinis conueniunt Mercatores, & campsores ex variis, & diuersis locis, statutis quibusdam temporibus, à quibus, seu ab eorum procuratoribus proponuntur corū litterę cāpsoriæ eisdem cāpsariis, qui illas dederunt, si ibi existant, vel eorum factoribus, seu procuratoribus, fiuntque ab eis illarum solutiones in pecunia numerata, aut traditis aliquibus schedulis, & chirographis, quibus à debitoribus, qui diuites sunt, ac securi di-

dictarum litterarum solutiones commodè consequuntur. Accidere quoque solet, solutiones prædictas non fieri ex pecunijs cãpsarij absentis, sed ex proprijs eiusdem procuratoris pecunijs, ad quẽ litteræ datæ fuerunt. Accidit etiã aliquando, solutiones huiusmodi fieri à campsuarij procuratore ex pecunijs acceptis ad cãbium ab aliquo tertio, ne litteræ redeant inanes, vt rectè declarat Salon. de camb. q. 4. ar. 2. contr. 5.

Illa denique verba, *Hauuti qui di contanti: & notarete à conto mio*, denotant, pecunias supradictas fuisse receptas in numeratò per Sempronium campsuarium à Titio campsore: & proinde mandat ipse Sempronius Meuio suo procuratori, vt soluat cambium suo nomine, & constituat ipsum sibi debitorem: nam sequuta cambij solutione per procuratorem, Sẽpronius campsuarius statim eximitur ab obligatione Titij campsoris, & efficitur debitor Meuij sui procuratoris, qui pro ipso Sempronio soluit, iuxta ea, quæ adnotauimus supra d. q. 1. vers. Declarantur supradictæ litteræ: & vers. Dicitur septimò: ac vers. Dicitur denique. Hæc satis dicta sint de essentia huius cambij, & de modo, quo in praxi exercetur. Restat modo, vt videamus, an talis contractus sit iustus, & iustè ex eo lucrum percipiatur.

De iustitia cambij, in quo campsor primò dat pecuniam in vno loco, vt in alio eã reciperet. Q. XI.

SVMMARIVM.

1 *Cambium, in quo cãpsor prius dat pecuniam in vno loco recipiendam in alio, aliqui Doctor. illicitum esse docent.*
2 *Cambium, in quo campsor prius dat pecuniam in vno loco recipiendam in alio, Doctores siccum appellant.*
3 *Cambio, in quo campsor prius dat pecuniam, & c. non fit transportatio pecuniæ de loco ad locum.*
4 *Cambio, in quo campsor prius dat pecuniam, & c. qui traijcit pecuniam, stipendium soluit: non autem is, cuius gratia traijcitur.*
5 *Cambium, in quo campsor, & c. est iustum, & ex eo iustè incrementum percipitur.*
6 *Cambium, in quo campsor prius dat pecuniã, vt in nostra Extrauag. non solùm non damnatur, sed expressè approbatur.*
7 *Cambio, in quo campsor prius dat pecuniam, quibus titulis stipendium debeatur.*
8 *Mutuum cur lucrum non mereatur ratione obsequij, & cambium sic, ratio assignatur.*
9 *In moralibus non attenditur, quod rarò accidit.*
10 *Pecunia præsens pluris æstimatur, quã absens.*
11 *Campsor ratione maioris æstimationis pecuniæ stipendium meretur.*
12 *Sola pecuniæ carentia non est iustus titulus percipiendi lucrum ex cambio.*
13 *Cambium, in quo cãpsor prius dat pecuniam in vno loco, restituendam postea sibi in alio, non est siccum, nec mutuum continet implicitum.*
14 *Transportatio pecuniæ de loco ad locum, cur si fiat à campsore, campsor ipse stipendium mereatur: & si fiat à campsuario, campsuarius stipendiũ nõ mereatur, ratio redditur.*
15 *Cambium, in quo cãpsor prius dat pecuniam vt supra, stipendium meretur, siue campsor sit ex officio, & sic publicus, siue sit persona priuata.*
16 *Cambium, in quo campsor prius dat pecuniam, & c. stipendium meretur, siue fiat de Prouincia ad Prouinciam, de Regno ad Regnum, siue de vna Ciuitate ad aliam, aut de loco ad locum infra eandem Prouinciam, vel idem Regnum.*
17 *Cambium, in quo campsor prius dat pecuniam vt supra est licitum omni iure.*
18 *Campsor semper lucratur, siue primò det, siue primò pecuniam accipiat in vno loco, soluendam in alio.*
19 *Cambium, in quo campsor prius dat pecuniam, vt sit licitum plures conditiones exigit.*

1 IN hac difficultate non desunt, qui huiusmodi cambium omnino putent esse dãnandũ; cuius opinionis extant D. Anton. in sua sum. 3. p. tit. 8. c. 3. in prin. Innoc. Goff. Hostien. relati ab ipso D. Anton. & alij apud Ioan. de Salas de camb. dub. 9. sub num. 1. Imò in Hispania testantur Ioan. de Salas ibi, & Molfes. pat. 2. suæ sum. tract. 12. cap. 7. num. 31. de hac re fuisse motam quæstionem; & non nullos Doctores

tenuisse, prędictum cambium esse vsurarium
cum obligatione restituendi: & ita fuisse de-
finitum per Lusitanas ordinationes, lib. 4.
tit. 14. §. 6. seu antepenul. Hinc Syl. in sum.
ver. vsura, 4. & Laurent. de Ridolph. relati à
2 Romoaldo Coll in suo tract. de camb. c. 6.
appellant tale cambium siccum: vel quia est
contrarium cambio à nobis supra explica-
to, in quo campsor primò pecuniam acci-
pit in vno loco, restituturus eam in alio: vel
quia in hac specie cambij non nulla cam-
bia sicca exercentur, quæ realia cambia
non sunt, sed vsurariæ mutuationes, pallia-
tæ, seu cambij indutæ pallio. Etenim cam-
psor ex pecunia mutuata, quæ recipientis
periculo aliò defertur, lucrum consequitur:
siquidem non immutat naturam mutui ex
eo quòd soluatur in alia pecunia, & in alio
loco; hoc autem lucrum est vsurarium, cùm
vsura sit lucrum ex mutuo, vt sæpe diximus.
Confirmatur, quia in hoc cambio campsor
3 non dicitur transportare pecuniam; quin
potius recipit in loco distanti: quapropter
non potest ratione obsequij, quod non
præstat, accipere incrementum ex eo: er-
gò illud recipit ex titulo expectatæ solutio-
nis, in qua formaliter, aut virtute cernitur
ratio mutui; atque ideo talis incrementi
perceptio vsuraria censetur. Denique
4 estò quòd huiusmodi cambium non sit mu-
tuum, sed sit contractus innominatus, do
vt des, vt supra in procem. quæst. 10. con-
clus. 6. ostendimus; in eo tamen non serua-
tur æqualitas: quia campsor minus dat,
quàm recipit; dat enim centum scuta auri
in auro iusti ponderis Genuæ, & recipit de-
inde Romæ 99. ducatos aureos de Came-
ra, qui valent scuta 101. cum dimidio. Imò
cambium, de quo agitur videtur omnino
iniquum: siquidem qui traijcit aliò pecu-
niam suo periculo, stipendium meretur, &
non is, cuius gratia traijcitur, cùm prior lo-
cet operas, labores sustineat, & periculis
exponatur, non autem posterior. At oppo-
situm in hoc cambio seruatur: nam cam-
psuarius, qui traijcit, stipendium soluit cam-
psori, cuius gratia pecunia traijcitur.

Oppositis tamen non obstantibus, in
5 contrarium est communis opinio, quam te-
nent Ioan. Andr. in cap. nauiganti, de vsur.
Salyc. in auth. ad hæc, C. eod. Caietan. in
tract. de camb. cap. 8. Conrad. de contr.
quæst. 99. Sot. lib. 6. de iustit. & iur. quæst.
10. art. 1. Nauar. in d. cap. nauiganti, num.
25. & in Man. cap. 17. num. 289. 290. &
294. Ioan. Med. de camb. quæst. 4. & 5.
Bann. 2. 2. tom. 2. tract. de camb. dub. 5. &
dub. vlt. Valent. 2. 2. disp. 5. quęst. 23. pun. 4.
Angl. de camb. art. 4. difficult. 2. Salon. de
camb. quæst. 4. artic. 2. contr. 5. Azor. p. 3.
Instit. moral. lib. 10. de camb. cap. 6. Ro-
moald. Col. de camb. cap. 6. & 18. Tolet.
lib. 5. suæ sum. cap. 53. num. 6. Molin. de
contr. disp. 404. Lopez eodem tract. lib. 2.
quæst. 4. art. 2. contr. 5. Less. lib. 2. de iustit.
& iur. cap. 23. sub num. 3. Garz. de contr.
cap. 33. num. 7. Bonac. eodem tract. disp. 3.
quæst. 5. propos. 3. num. 6. Reginald. lib. 25.
suæ prax. num. 456. Ioan. de Salas de camb.
dub. 9. Iustin. de contin. camb. quæst. 2. &
alij, quos refert, & sequitur Molf. par. 2. suæ
sum. tract. 12. cap. 7. num. 32. Probatur hæc
6 sententia tum ex nostra Extrauag. cuius vi-
gore huiusmodi cambium non solùm non
improbatur, quin potius expressè approba-
tur, seruatis conditionibus, ac circumstan-
tijs in ea traditis, de quibus omnibus infra,
Deo fauente, late tractabimus: tum etiam
ratione; siquidem in hoc cambio seruatur
æqualitas: eo quòd quantum datur, tantum
recipitur.

Nec obstat, quod campsor dat centum
7 scuta Genuæ, vt recipiat Romæ 101. cum
dimidio, quibus æstimatur 99. ducati de
Camera; quoniam respondetur, quòd cam-
psor vltra illa scuta centum dat operas, &
non nulla alia exhibet, quæ sunt pretio æsti-
mabilia, & valent illud scutum cum dimi-
dio. Etenim debetur campsori si campsor
publicus est, stipendium ratione officij, quo
fungitur in congerendis, præparandis, & as-
seruãdis pecunijs, cãbio dandis cãpsuario-
rum gratia. Itẽ ratione obsequij, & beneficij
in alterũ collati: siquidẽ tribuens pecuniam
indigenti, obsequium ei præstat. Præterea
ratione virtualis translationis: nam cam-
psor dum numerat hic pecuniam præsen-
tem ei, qui habet pecuniã absentem, tantum
obsequij illi præstat, quantũ si pecuniã ab-
sentem huc transferret: quod quidẽ trãsla-
tionis obsequium cùm sit pretio æstimabi-
le, erit etiam pretio æstimabilis numeratio
pecu-

pecuniæ præsenti pro absenti: eò magis, quia
petens pecuniam præsentem pro absente;
petit leuari onera translationis suæ pecu-
niæ in hunc locum, vbi ea indiget: quo one-
re leuatur campsuarius à campsore nume-
rante ei pecuniam præsentem. Et quamuis
campsuarius videatur traijcere pecuniam
campsoris ad locum destinatæ solutionis;
illa tamen traiectio, seu virtualis translatio
non meretur stipendium: quia huiusmodi
translationem campsor non petijt.
Nec valet dicere, quòd si quis ex mutuo
8 dato in vno loco, restituendo in alio, vel in
eodem, mutuatarium leuaret onere huius-
modi non potest aliquod ob id emolumen-
tum consequi: ergo nec ex cambio poterit
lucrum aliquod percipere ex eo quòd le-
uatur onere transferendi pecuniā: quoniam
dicimus in mutuo diuersam rationē milita-
re: siquidem ratione obsequij ex mutuo ni-
hil citra vsurā percipi potest, iuxta illud Do-
mini in c. cōsuluit, de vsur. *Mutuo date nihil
inde sperantes*. at ex cambio iustè percipi ali-
quid potest ratione obsequij: quia obsequiū
non est de intrinseca ratione cābij; sicut est
de intrinseca ratione mutui. Et si dicatur,
quòd campsor si Genuæ det centum ad cā-
9 bium, vt sibi cambita restituantur Romæ, &
cāpsuarius Romæ illa non habeat, tunc cā-
psuarius ipse cogeretur ea Romam trāsfer-
re; atque ideo ex natura huius cambij non
leuaretur onere supradictæ translationis;
tunc respōdemus, quòd vt plurimum cam-
psuarius in loco destinatæ solutionis habet
pecuniam propriā, vel sui procuratoris, seu
correspondalis, aut alterius, ad quos litteras
mittit: quòd si aliquādo ipse pecuniam rea-
liter eò transferat, id rarò euenit; & propte-
rea non attenditur, cùm in moralibus non
attendatur, quod rarò; sed quod frequenter
accidit, vt in l. nam ad ea, ff. de legib.
Rursus dato, quòd campsori stipendium
10 non debeatur ratione supradictæ virtualis
translationis; debetur tamen ratione per-
mutationis: siquidem pecunia præsens plu-
ris æstimatur, quam absens; atque ideo præ-
sens cum lucro potest cum absente cōmu-
tari: pecunia enim absens citra labores, ex-
pensas, ac pericula nō potest effici præsens.
Et quamuis campsor aliquando absque pe-
riculo, laboribus, & expensis id efficiat; id
tamen non attenditur, sed campsoris indu-
striæ tribuitur: etenim satis est, vt pecunia
loco absens ex sui natura minoris æstime-
tur, cùm communiter citra labores, pericu-
la, & expensas præsens haberi nequeat. Nec
obstat si dicatur, quòd interdum expedit
campsori pecuniam absentem habere: quo-
niam respondetur, id non prouenire ex ipsa
conditione absentiæ per se consideratæ; sed
ex industria campsoris, qui pecuniam absen-
tem nouit vtiliter impendere, vt rectè de-
clarat Less. Molin. Azor & alij locis citatis,
Filliuc. tom. 2. qq. moral. tract. 35. c. 6. q.
10. num. 400. circa fi. vbi etiam q. 11. pro-
bat, non propterea minus valere pecuniam
eo quòd non est loco; sed tempore tantùm
absens.
Ratione quoque maioris, vel minoris
11 æstimationis pecuniæ in loco vbi datur,
quàm vbi redditur, potest campsor lucrum
ex cambio consequi: siue æstimatio intrinse-
ca sit, à lege prouenieñs; siue extrinseca, quæ
proueniat ratione copiæ, aut penuriæ pecu-
niæ, vel ratione maioris multitudinis petē-
tium, aut dantium ad cambium, vt per eun-
dem Less. ibidem, num. 34. cum plur. seq. vbi
etiam refert alios titulos, quibus lucrum iu-
stè campsor percipere potest; nempe ratio-
ne lucri cessantis, & carentiæ propriæ pecu-
niæ, cuius carentiæ titulum præcipuum esse,
quem spectant Mercatores, ait ipse Less. &
propterea in omnibus cambijs quò longius
est tempus, in quod pecuniam concedunt,
eò plus exigunt lucri: & quo breuius, eò mi-
nus. Vndè nisi concurrat cum hac temporis
dilatione aliqua lucri cessantis ratio, vel
saltem damni emergentis, periculi, laboris,
vel expensarum sola propriæ pecuniæ ca-
12 rentia nō erit iustus titulus, quo campsores
ex cambijs stipendium, seu lucrum aliquod
consequi possint, vt habetur ex supracita-
tis Doctoribus, & Filliuc. ibidem, q. 12. qui-
bus adde ea, quæ adnotantur ex Ioan. de
Salas in suo tract. de camb. dub. 9.

Restat, vt ad argumenta
respondeamus.

AD primum patet solutio ex dictis. Cō-
13 stat enim huiusmodi cābiū nō esse sic-

cum : eo quòd non continet mutuum nec expressum, nec tacitum, & multum distare à mutuo, vt supra q. 8. in resp. ad 3: latè probauimus.

Ad reliqua contraria patet etiam solu-
14 tio ex ijs, quæ supra in hac eadem q. adnotauimus. Etenim campsor ex transportatione pecuniæ virtuali modo supra explicato, stipendium meretur, cùm illa fiat ad instantiam campsuarij: & transportatio, seu translatio pecuniæ facta à campsuario præmium non meretur, cùm non fiat ad instantiam campsoris prius dantis, & fortè nec in vtilitatem ipsius, si non erat eò pecuniam delaturus. Item ex alijs iustissimis titulis supra relatis campsor ipse mercedem iustè consequi potest ex cambio, de quo agitur.

Vndè his reiectis firma remanet conclusio, quòd licitum est cambium, de quo agitur, & iustè stipendium campsor ex eo percipit.

Ampliatur hæc conclusio, vt locum sibi
15 vendicet non solùm in campsore publico; sed etiam in priuato. Etenim non tantùm publico campsori; verum etiam priuato homini, qui nummularij officio non fungitur licitum est lucrum ex huiusmodi cambio consequi : quia pecuniam præsentem cum absenti commutat, quæ minoris æstimatur, quàm præsens: non tamen tantum stipendij exigere potest, quantum publicus campsor, cùm pauciores percipiendi titulos habeat, vt rectè declarat Azor. lib. 10. instit. moral. p. 3. cap. 6. de camb. q. 5. vbi id verum esse ait, nisi lege aliqua cautum reperiatur, ne priuati homines cambia huiusmodi exerceant.

Secundò ampliatur, vt campsor possit ex
16 dicto cambio stipendium consequi, siue cambium fiat de loco ad locum extra Regnum, seu de vno Regno ad alterum Regnum; siue de loco ad locum intra idem Regnum, & intra eandem Prouinciam : siquidem sicut opera, quam præstat campsor transferendo pecuniam de vna Prouincia in aliam, est pretio æstimabilis; ita etiam ex vna Ciuitate in aliam in eadem Prouincia. Non tamen tantum lucri exigi potest, quantum ex cambijs, quæ fiunt in diuersis Regnorum, & Prouinciarum locis: quia maiora, & plura possunt esse pericula, labores, & expensæ ob maiorem locorum distantiam, vt contra Sot. & alios docet Azor. p. 3. instit. moral. d. cap. 6. q. 4. vbi etiam, quod legibus, & statutis humanis prohiberi possit, ne cambia per litteras intra idem Regnum, & eandem Prouinciam cum lucro fiant, ostendit, quibus adde ea, quæ supra adnotauimus, q. 1. ampl. 3. & q. 7. concl. 1. ampl. vnica, & Salon. de camb. q. 4. ar. 2. contr. 5. vbi testatur intra idē Regnum saltem apud Hispanos esse vsum, & receptam consuetudinem apud Mercatores, ne cambia exerceantur, in quibus alter cambientium aliquod lucrum, & interesse percipiat: sed quacunque ratione loca, in quibus cambia celebrantur in eodem Regno se habeant quoad pecuniarum abundantiam, vel inopiam sine alio lucro fiant.

Cæterum stando in solo iure naturali, &
17 Diuino, cambia huiusmodi secundum diuersam æstimationem pecuniarum in diuersis locis intra idem Regnum, & eandem Prouinciam, sicut & cambia, in quibus cāpsor prius pecuniam accipit, iniqua, & illicita non esse, si in eis debitę seruentur conditiones, latè probat Salon. loco citato, contr. 8. & nos supra explicauimus, d. q. 1. ampl. 3. & q. 8. concl. 1. ampliat. vnica. Etenim in frumento, vino, & alijs rebus licitum est fieri commutationem minoris mensurę, vbi illius rei inopia est, pro maiori recipienda in alio loco, vbi illius est magna copia, & si talis commutatio fiat intra eandem Prouinciam, & idem Regnum: ergo idem dicēdum est de cambio pecuniarum, cùm militet eadem ratio, arg. tex. in l. illud, ff. ad leg. Aquil.

Tertiò ampliatur, vt campsor semper lu-
18 cretur, siue primò det, siue primò accipiat pecuniam : & etiam si vtrobique sit idem pretium pecuniæ, & eadem copia, vel inopia, vt infra, Deo duce, dicemus, q. 13.

Sic ampliata limitatur eadem conclusio,
19 vt ita demum cambium, de quo agitur, sit licitum, & iustum, si conditiones in eo concurrant, de quibus, q. seq. dicemus.

De

De conditionibus, quę requiruntur ad iustitiam cambij, in quo campsor primò dat in vno loco, recepturus deinde in alio. Q. XII.

SVMMARIVM.

1 *Cambium, in quo cãpsor prius dat pecuniam in vno loco, soluendam in alio, vt sit licitum tres conditiones exigit.*
2 *Cambium, in quo cãpsor prius dat pecuniam, &c. ad veritatem ipsius exigit commutationem diuersarum monetarum, diuersorum Dominorum in diuersis locis.*
3 *Idem est esse hominem, & verum hominem.*
4 *Pecunia quando restituitur in eodem loco, quo recipitur, non cambium, sed mutuum intelligitur celebrari.*
5 *Locus est de ratione cambij per litteras: & tempus est de ratione mutui.*
6 *Cambium, in quo campsor prius dat pecuniã, vt supra, vt sit verũ exigit, quod fiat principaliter ad petitionem recipientis.*
7 *Cambiorum de loco ad locum tres dantur species.*
8 *Cambium, in quo campsor prius dat pecuniã, &c. ad sui veritatem exigit, vt campsuarius habeat pecuniam, vel saltem creditum in loco destinata solutionis.*
9 *Campsor debet probabiliter credere, campsuarium habiturum pecuniam in loco destinata solutionis: aliàs cambium non erit verum.*
10 *Cambium, in quo campsor prius dat pecuniã. &c. ad sui veritatem exigit, quòd littera sint vera, & vigore illarum verè possit fieri solutio.*
11 *Cambium, in quo cãpsor prius dat pecuniam vt supra, ad sui validitatem exigit, quòd sit voluntarium, vi, aut dolo non celebratum.*
12 *Cambium, in quo cãpsor prius dat pecuniam, monopolio sit inuoluntarium, ac fraudulentum.*
13 *Monopolij ethymologia traditur.*
14 *Vis, & dolus qualiter in cambio committantur, ostenditur.*
15 *Cambia quando dantur per loca remotiora, an & quando licita sint, declaratur.*
16 *Fraus, & dolus in cambio aliquando committuntur per viam recambij.*
17 *Pretium iustum cambij quod propriè dicatur, ostenditur.*

BReuiter respondetur, ad iustitiam huius
1 cambij tria copulatiuè expostulari, nempè, quòd sit verum, quod sit liberum, & quòd sit iustum. Q[illegible] iam conditionem, & sic ad ver[illegible] bij exigitur, vt in eo concurrat vera commutatio duarum
2 monetarum: quarum altera sit vnius, & altera alterius in diuersis locis inter se distantibus: quæ quidem conditio apertè colligitur ex nostra Extrauag. & est adeò necessaria, vt probatione non egeat: nam nisi esset verè, ac reale cambium, non esset cambium: sicut omnis alius contractus in tantùm dicitur talis, in quantum est verè, ac realiter talis. Hinc emptio, seu venditio, quæ realiter, & verè vẽditio non est, nõ potest dici vẽditio, nec de ea disputandũ est, an iusta esse dicatur. Sic & res quęlibet realiter, & verè talis est, qualis denominatur, ac dicitur. Vndè
3 ex Arist. idem est, esse hominem, & verum hominem: etenim qui verè, ac realiter homo non est, nec nomen hominis meretur, nec disputandum est de eo, an sit iustus, vel iniquus: bonus, vel malus: sanus, vel infirmus, &c. ergò idem dicendum est de cambio, vt si non sit vera, ac realis commutatio pecuniæ præsentis cum alia pecunia loco absenti, non dicatur cambium per litteras, nec de eo disputandum est, an sit iustum, vel iniustum: licitum, aut illicitum.

Dixi, *Cum alia pecunia loco absenti*: quia
4 nisi pecunia, quæ in vno loco recipitur, in alio commutata rependatur, sed in eo loco, vbi ad cambium recepta est restituenda foret, non cambium, sed mutuum apertè diceretur: siquidem inter alias differentias existentes inter cambium per litteras, & mutuum hæc est, quòd de ratione mutui est
5 tempus, non autem diuersitas loci: de ratione verò cambij per litteras est diuersitas loci. Vndè cùm in cambio huiusmodi fiat commutatio pecuniæ præsentis cum absenti, necessariò sequitur, de intrinseca ratione cambij esse, vt à campsore pecunia in vno loco conferatur, & à campsuario in alio diuerso, & distanti restituatur, vt rectè declarat Salon. de camb. q. 4. ar. 2. contr. 7. & Lopez

pez de contract. lib. 2. c. 10. colum. 3. vers.
Quantum vero.

Ad veritatem quoque dicti cambij qui-
6 dam volunt, vt ipsa receptio pecuniæ ad
cambium non ad petitionem, & instantiam
dantis fiat; sed ad instantiam, & petitionem
recipientis, cuius principaliter interest, pe-
cunias, quibus indiget præsentialiter hic ac-
cipere, & etiam eas in alio loco repositas
remetiri. Dixi *Principaliter*, quoniam non
refert, si secundariò, & consecutiuè in emo-
lumentum etiam campsoris ad cambium
dantis celebretur, vt rectè dicit Lopez lib.
2. de contr. cap. 10. ad tertium, vers. Quan-
tum verò. Etenim in eodem loco col. 1.
vers. Differentia: cōstituit tres cambiorum
7 species de loco ad locum inter se differen-
tes ex parte finis, vt aliás diximus supra, in
procem. q. 12. in fin. nempe vbi commuta-
tio pecuniæ præsentis cùm pecunia loco
absenti, fit gratia vtriusque, tàm scilicet dā-
tis, quàm recipientis pecuniam ad cam-
bium: quando commutatio pecuniæ fit gra-
tia, & ob necessitatem dantis tantùm: &
tertiò quando fit gratia, & ob necessitatem
accipiētis dūtaxat; atq; ideò, ait Lop. huius-
modi cambium debere fieri ad petitionē, &
ad instantiā recipientis. Nō tamē arbitror,
quòd si campsor alicui se offerat dare ad
cambium cum debitis circumstantijs, & ille
prouocatus ad cambium recipiat, talis cō-
tractus dicetur iniustus, aut nullus: quia
quòd spōtè fiat, vel ad petitionem alterius,
non pertinet ad iustitiam illius; sicut non est
opus vt mutuum spontè fiat, vel ad petitio-
nem alterius, vt mutuans possit interesse
lucri cessantis accipere; vt infra, Deo duce,
suo loco dicemus.

Præterea requiritur ad veritatem dicti
8 cambij, vt campsuarius habeat pecuniam
in loco, per quem cambium celebratur; vel
saltem creditum: atque ideò socium corre-
spondalem, aut alium, qui suo nomine cam-
bium soluat: aliàs ficta esset, & non vera so-
lutionis promissio in tali loco. Imò & cam-
9 psor vice versa certus esse debet, vel saltem
magnam habere probabilitatem, quòd cā-
psuarius habeat pecuniam, vel creditum in
loco, vbi est facienda solutio; quia si certò
sciat, vel probabiliter credat, campsuarium
non habere, nec habiturum fore, aduenien-
te solutionis tempore, nec pecuniam, nec
creditum in loco, tunc cambium illud non
erit verum, sed mutuum; cùm in eo ratio nō
habeatur loci, sed tantùm temporis. Est ta-
men verum, quòd si campsor à principio
contractus probabiliter crediderit, cāpsua-
rium habere pecuniam, aut creditum in lo-
co destinatæ solutionis, vel saltem eam ha-
biturum ibi tempore solutionis faciendæ,
cùm re vera non habeat, nec habiturus sit,
tunc id satis esset ad veritatem, ac iustitiam
cambij secundum opinionem magis rece-
ptam, relatam à Salon. d. contr. 7. soluente
contraria. Verùm campsor ipse, cognita ve-
ritate ante solutionis tempus, tenetur re-
scindere, ac irritare contractum; atque ideo
sortis principalis tantùm vna cum interesse
lucri cessantis, vel damni emergentis ad
summum, quatenus passus fuerit, debet esse
contentus. Quòd si post solutum cambium
campsor ipse veritatem resciuerit, dempto
interesse, tenetur ad lucri percepti ex dicto
cambio restitutionem; sicut vbi quis agno-
uerit habere rem alienam. Ita Salon. loco
citato, & Romoald. Col. de camb. cap. 13.
Exigitur denique ad veritatē cambij, quòd
10 literæ sint veræ, & quòd vigore illarum
verè fieri possit cambij solutio; ita vt non
reuertantur inanes: secus autem si sint con-
fictæ; quoniam tunc non diceretur verum,
sed fictum; atque ideò fictum, vt ex nostra
Extrauag. clarè colligitur, & infra latius,
Deo duce, dicemus.

Quoad secundam conditionem, quam
11 diximus exigi in cambio, de quo agitur, nē-
pe quòd sit liberum, seu voluntarium, est
aduer. quòd hæc conditio requiritur in om-
ni contractu: siquidem ab omni contractu
debent procul esse fraus, dolus, ac violen-
tia; quæ omnia reddunt actum inuolunta-
rium: & quando dant causam contractui, ip-
sum annullant, vt latè habetur ex Molina de
contr. disp. 352. & nos etiam diximus supra
in procem. q. 10. Contingit autem violen-
tiam, dolum, & fraudem committi in cam-
12 bio multis modis. Primò per viam mono-
polij, vt si campsores inter se conueniant,
vt nullus det pecuniam suam ad cambium,
nisi ad minus pro tanto pretio, & maximè si
pretium sit iniustum. Dicitur autem mono-
13 polium à monos græcè, idest vnus, & po-
lium,

lium, ideſt venditio, quaſi vnius dumtaxat in Prouincia aliqua, Ciuitate, vel Oppido venditio: quod quidem eſt iniquum, Reip. iniurioſum; atque ideo de iure meritò prohibitum ſub pœna exilij, & amiſſionis bonorum, vt in l. vnica, C. de monopol. & latè habetur ex Molina de contr. diſp. 345. cum alijs, quos allegat. Secundò, vis, & dolus
14 committuntur in cambio, cùm pauci campſores totam pecuniam apud ſe colligunt, adhoc vt paucis exiſtentibus campſoribus, & multis campſuarijs, pretium cambij augeatur: & pecunijs indigentes compellantur ad cambium accipere pro pretio ad libitum ipſorum campſorum: quo caſu lucrum eſſet iniuſtum, & reſtitutioni obnoxium, iuxta ea, quæ habentur ex Sot. lib. 6. de iuſt. & iur. q. 12. ar. 3. Tertiò violentia infertur in cambio, vbi campſuarius à campſore obligatur accipere ad cambium per loca remotiora cum maiori ipſius intereſſe, cùm poſſet per loca viciniora cum minori intereſſe.

Eſt tamen verum, quòd campſor dans ad
15 cambium per loca remotiora poſſet excuſari, ſi in locis viciniorib⁹, per quæ petitur cambium, negotia non haberet, nec correſponſalem, vel eſſent ſibi nociua; cùm nemo de rigore iuſtitiæ cogatur alteri prodeſſe cum proprio detrimento. Sic etiam excuſari poſſet, ſi ab alio fuiſſet expoſtulatus dare ad cambium per locum ſibi magis vtile; nam tunc non teneretur dare alteri per locum viciniorem cum minori ipſius vtilitate, cùm ſine rei ſuæ damno id fieri non valeat, vt habetur ex Romoal. Col. de camb. cap. 14. & nos latiùs infra, Deo duce, dicemus in propria quęſtione. Cócurrunt quar-
16 tò violentia, & fraus in cambio per viam recambij, vt ſi campſor videns petentem pecuniam cambio non habere in loco condictæ ſolutionis, nec habiturum pecuniam, nec creditum; atque ideò correſponſalem aliquem, qui poſſit ſuas litteras ſoluere, cum eo conueniat, vt ſi litteræ nō ſoluantur, ſuus correſponſalis poſſit recambire cum intereſſe cambij currente, & de nouo mittere litteras, cambios & recābire vſque ad effectualem debiti ſolutionem: quod quidem impium eſſe, ait Mercat. lib. 4. de mercat. cap. 10. Sot. lib. 6. de iuſt. & iur. q. 13. art. 2. & ex alijs. Non tamen ob id negamus campſori, qui bona fide contraxit, exiſtimans campſuarium habiturum pecuniam, vel creditum in loco condicto tempore ſolutionis faciendę, deberi intereſſe lucri ceſſantis, vel damni emergentis ob non ſolutionem litterarum: & id ſolùm in primis nundinis, aut termino, & non vltra, vt rectè declarat Romoal. Col. de camb. c. 14.

Quoad vltimam denique conditionem
17 requiſitam ad iuſtitiam cambij, de quo eſt noſtra controuerſia; nempe quòd pretium ſit iuſtum, eſt adnot. quòd tunc pretium erit iuſtum, quando exigeretur ſecundum communem vſum fori, vel prout à peritis in arte fuerit conſtitutum. Ad eius autem iuſtitiam maximè debet ſeruari iuſta pecuniarum cōmutandarum æſtimatio: & quòd pretium commune fori non augeatur ratione dilationis tēporis, vt latè habetur ex Romoal. loco citato, cap. 15. vbi etiam cap. 16. dat plures regulas in conſtituendo iuſto pretio in cambijs, de qua re fuſius, Deo duce, dicemus.

An campſor lucrum ex cābio percipiat, ſiue det, ſiue recipiat pecuniam in loco, vbi plus, vel minus æſtimatur, quàm in eo loco, vbi ſolutio eſt facienda. Q. XIII.

SVMMARIVM.

1 *Campſorem non poſſe lucrum ex cambio percipere quando minus dat, quàm recipit, qui doceant, recenſentur.*

2 *Cambium eſt actus iuſtitiæ commutatiuæ.*

3 *Campſor lucratur ſiue det pecuniam Toleti per Romam vbi plus valet; ſiue det Romæ per Toletum, vbi minus valet.*

4 *Mutuans alicui triticum, ſibi reſtituendum eo tempore, quo probabiliter, aut certò nouit plus valiturū, vſuram committit. Idem dicendum eſt de mutuante pecuniam, quam certo, aut probabiliter ſciat eo tempore valore augendam.*

5 *Campſorem lucrari ex cambio, ſiue pecunia plus valeat, ſiue minus in loco deſtinatæ ſolutionis, qui teneant, refertur.*

 6 Cam-

6 *Campsorem siue prius det, siue prius accipiat pecuniam in vno loco, in alio restituendam semper lucrari non nulli volunt.*

7 *Cambia omnia reducuntur ad contractum commutationis; in quo æqualitas est seruanda.*

8 *Campsor debet habere rationem in cambio inæqualitatis pecuniarum; ita vt si monetæ pluris æstimentur in vno loco, quàm in alio, reducantur ad æqualitatem, soluta campsori debita mercede.*

9 *Frumentum habens in vno loco, vbi minus valet, si commutet illud cum frumento existente in alio loco, vbi plus valet, frumenta illa sunt reducenda ad æqualitatem, & si Azor. contrarium doceat.*

10 *Campsor cur dans Romæ per Toletum lucretur duos iulios pro quolibet aureo: & dans cambio Toleti per Romam, vnum tantùm iulium.*

11 *Campsor ex pluribus titulis stipendium meretur.*

12 *Campsor cur Metinæ prius pecuniam accipiens, restituendam in Flandria, lucretur in singulis aureis 50. dipondia, seu marauedinos: & è conuerso si prius dat pecuniam in Flandria per Metinam lucretur 70. & 75.*

13 *Mutuans frumentum, reddendum tempore, quo certò, aut probabiliter scit plus valiturum, si vsque ad illud tempus erat reseruaturus, vsuram non committit. Idem dicendum est de mutuante pecuniam.*

14 *Lucrum ex cambio non dicitur percipi ex mutuo virtuali.*

IN hac difficultate Sot. lib. 6. de iust. &
1 iur. q. 12. ar. 1. inquit, licitum haud esse
campsori lucrum exigere præcisè ratione
cambij, quando minus dat, quàm recipiat:
& ar. 2. circa finem, vers. Ex quo efficitur:
condemnat, vel tãquam in dubio relinquere
videtur, quod campsores facere consue
uerunt, lucrum exigentes, siue dent pecunias
Romæ, Toleti soluendas: siue e contrario
dent Toleti, vt recipiant Romæ. In eandem
sententiam videtur inclinare Syl. in
sum. ver. vsura, 4. q. 9. Tab. eod. ver. num.
13. & seq. Angel. ver. vsura, 1. num. 54. &
alij.

Probatur hęc sententia primò, quia cam-
2 bium est actus iustitię commutatiuę: ergo in
eo seruandæ est æqualitas; atque ideò res,
quæ permutantur, debent pretio, & ęstimatione
esse pares: aliàs oportebit, vt vnus
commutantium suppleat, quod deest in re
altera ad damnũ alterius compensandum:
non igitur campsor lucrum ex cambio consequi
potest, siue det, siue recipiat pecunias
vbi plus, minusuè valent, quàm in eo loco,
vbi cambitæ soluuntur. Antecedens patet;
quia tunc in cambio æqualitas non seruatur:
siquidem campsor si Toleti det centum
aureos, recepturus eos cambitos Romæ,
plus recipit, quàm dat: nam pecunia minus
æstimatur Toleti propter eius abundantiã,
quã Romæ, vbi extat pecuniæ paucitas: ergo
in huiusmodi cãbio non seruatur æqualitas.
Pręterea campsor dans pecuniam To-
3 leti recepturus eam cambitam Romæ, ratione
maioris æstimationis; quàm pecunia
habet Romæ, lucrum exigit: & è conuerso
quando pecuniam Toleti recipit, daturus
eam cambitam Romæ, adhuc lucrũ exigit;
& tamen eadem est via, eadẽque locorum
distantia inter Toletanam, & Romanam Vrbem:
ergò si licitum est lucrum vbi campsor
dat Toleti pecuniam recipiẽdam Romæ,
licitum non erit, quando pecuniam Toleti
recipit, restituendam Romæ. Et re vera
extra admirationẽ aliquam nõ est, videntes
campsores dantes pecunias Romæ recipiẽdas
Toleti, lucrari duos iulios pro quolibet
aureo: Et si è conuerso dent pecuniam
Toleti recipiendã Romæ, lucrantur singulos
iulios pro singulis aureis; estò quòd Romæ
sit eadem pecuniæ æstimatio, quando
pecunia datur per Toletum, & cùm soluitur
illa, quæ data fuit Toleti per Romã: & estò,
quod Toleti sit eadem pecuniæ æstimatio,
quando datur per Romam, & quando soluitur
illa, quæ data fuit Romæ per Toletum.
Demque mutuans alicui pecuniam, vel tri-
4 ticum, vt reddatur eo tempore, quo certò,
vel satis quidem probabiliter putat plus
valituram, aut valiturum, vsuram committit
vt habetur ex Calder. & alijs in c. nauiganti,
de vsur. ergò dans pecuniam Toleti vbi
minus valet, recepturas eam cambitam Romæ,
vbi certò nouit eam plus valere, vsurã
committit, cùm huiusmodi cambium virtute
contineat mutuum, vt latè probat Lopez

lib.

lib. 2. de contract. cap. 5. concl. 3.

Oppositā sententiam tenet Caiet. & alij,
5 quos refert, & sequitur Azor. lib. 10. Inst. moral. p. 3. cap. 7. q. 1. & Less. lib. 2. de iust. & iur. cap. 23. dub. 4. sub num. 4. siquidem ipse Azor. inquit, quòd Nummularij huius inęqualitatis pecuniæ nullam rationem habent; & tamen sciunt pecuniam hìc minus, plusue valere, quàm alibi. Vndè quando cāpsor pecunias percipit Romæ, vbi plus valent, eas soluturus Toleti, vbi minus valent, lucrum accipit, quia quamuis recipiat plus, quàm sit soluturus Toleti; suo tamen periculo, laboribus, & impensis pecuniam alterius è Roma Toletum virtualiter saltem traijcit: ergo lucrum meretur. Item danti obsequiū præstat, dum Toletum pecuniam transfert, vbi ea minus indiget ipse cāpsor. obsequium pariter vtile Reip. exhibet, coaceruando, & asseruando pecunias ad cābia. Sic etiam campsor è conuerso dans pecu-
6 nias Toleti, recepturus eas cambitas Romæ, vbi plus ęstimantur, & si minus det, quàm alibi recipiat, lucrum tamen consequitur, non ratione traiectionis alterius pecuniæ; sed quia campsuario dando pecunias vbi indiget, dicitur ipse campsor inseruire: & quia suam operam, & industriam ponit in eo exercitio, seu officio obeundo, & suam pecuniam præsentem vendit, seu permutat recepturus aliam longè distantem. Imò ratione virtualis translationis pecuniarum, campsorem mereri mercedem, supra probauimus, q. 25. & ita campsor siue det, siue recipiat, semper lucratur. Adde, quòd idem Azor. ait, quòd quamuis campsor nihil lucretur ex primo cābio, quo dat pecunias Romæ, sibi soluendas Toleti, vbi vilius ęstimantur; nihilominus ideò dat Romę, vt sibi Toleti reddantur; quia sperat, se lucraturum ex secundo cambio, quo per ministrum suum, vel procuratorem dat pecunias Toleti, vt sibi in alio loco soluantur, vbi pluris ęstimantur.

Sed re vera in hac re, seclusa Nummula-
7 riorum consuetudine, de iure nobis non videtur recedendum ab ijs, quæ supra adnotauimus, q. 3. Etenim cambium, de quo agitur, sicut & alia reducuntur ad contractum permutationis, in quo æqualitas est seruanda; nempe, vt res, quæ permutantur sint pretio, & ęstimatione pares: alioquin oportebit vt vnus per permutationem suppleat, quod deest in altera re ad damnum alterius compensandum. Videtur in hoc etiam
8 cambio habendam esse rationem à campsoribus inęqualitatis pecunię; ita vt si monetæ pluris æstimentur in vno loco, quam in alio, reducantur ad ęqualitatem, soluta debita mercede campsori ex causis supradictis iuxta earum numerum, & communē æstimationem fori. Sicut si Genuæ tantum valeat modius vnus frumenti, quantum duo Romæ, vbi maior est tritici abundantia, quàm Genuæ, qui daret vnum modium frumenti Genuæ, posset iustè accipere duos modios frumenti Romæ, vt habetur ex Nauar. in Man. cap. 17. sub num. 283. Littera, M. Salon. de camb. q. 4. ar. 2. q. 1. vers. Ex his docet, & Romoal. Col. eo. tract. cap. 17. in fin. & cap. 18.

Vndè non videtur sustineri posse doctri-
9 na Azor. loco citato, dicentis, quòd si in Sicilia centum tritici modios permutares cum totidem modijs tritici, in Hispania reddendis, æqua esset permutatio, quamuis in Hispania pluris triticum æstimetur; eo quòd in Hispania tu indiges tritico pro sustentatione familiæ: & ille alius indiget tritico in Sicilia, vbi commoratur, & triticum cum tritico commutatur. Et sicut tu periculo tuo, laboribus, & impensis esses in Hispaniā triticum delaturus; ita alius in Siciliam non citra periculum, labores, & expensas triticum transfert: siquidem huiusmodi exemplum nihil aliud probat, nisi quia cùm permutatio ista sit gratia vtriusque, nullus ex enumeratis causis meretur stipendium, iuxta ea, quæ supra adnotauimus d. q. 3. concl. 4. non tamen probat, quin frumenta illa reducenda sint ad æqualitatem; atque ideo vnus ex permutantibus suppleat, quod deest in suo frumento ad damnum alterius compensandum, iuxta ea, quæ habentur ex Lopez lib. 2. de contr. c. 3. concl. 1. nā commutatio cùm sit actus iustitiæ cōmutatiuæ, vbi adest inæqualitas, facienda est recompensatio vsque ad æqualitatem iustitiæ. Est tamen verum quòd quando cambium fit ad instantiam alterius tantùm, tunc inæstimanda pecunia est habenda ratio commutationis pecuniæ præsentis cū absenti: nam

sem-

ſemper pecunia præſens valet ex ſui natura, quàm abſens, vt ſæpe diximus: quibus adde ea, quæ ſupra cumulauimus d. q.3. concl.4. & ſic patet reſponſio ad primum argumentum.

Ad id autem, quod mirum valdè videtur,
10 dicimus, quòd ideo campſores dantes pecunias Romæ, recipiendas Toleti lucrantur duos iulios pro quolibet aureo: & ſi è conuerſo dent pecunias Toleti recipiendas Romæ lucrantur vnum iulium dumtaxat pro vnoquoque aureo; quia Romæ pecunia pluris ęſtimatur, quàm Toleti; meritò igitur, qui dat centum Toleti recipit minorem quantitatem Romæ: ſed qui dat centũ Romæ recipiet maiorem quantitatem Toleti; atque ideo pecuniæ in diuerſis locis pretiò inęquales rèducuntur ad ęqualitatem, ſalua tamen iuſta mercede, quæ ęqualiter ſolui debet è Roma Toletũ, & à Toleto Romam, vt rectè declarat Nauar. in Man. c.17. num. 297. vel ſecundò reſponderurex Franciſco Garc. de contract. c.34. num.14. quem refert, & ſequitur Romual. Col. de camb. cap.25. quod ideo campſor dans pecuniam Romæ recipiendam Toleti, lucratur duos iulios pro ſingulis aureis: & è cõuerſo dans pecuniam Toleti cambitam recipiendam Romæ, lucratur vnum iulium tantùm; quoniam, qui dat pecuniam Toleti per Romam, lucratur vnico tantum titulo, nempe, quia dat pecuniam pręſentem Toleti; quæ cùm ſit præſens ex ſui natura pluris ęſtimatur, pro pecunia abſenti, quæ eſt Romæ, & quæ per ſuam abſentiam minoris æſtimatur Toleti: quò circà dans Toleti 100. aureos accipit Romæ 110. ſed qui dat centum aureos Romæ per Toletum lucratur duplici titulo: primò quia dedit pecuniã præſentem pro abſente: ſecundò quoniam campſor dedit Romæ pecuniam pretioſiorem, eò quòd pecunia pluris æſtimatur Romæ propter eius paucitatem, quàm Toleti propter ipſius abundantiam.

Hæc re vera reſponſio licèt veritati ſatis
11 adhęreat, campſor tamen ex pluribus alijs titulis vltra ſupradictos ſtipendium meretur; nempe quia dando pecunias, campſuario inſeruit, ſuam operam, & induſtriam ponit in campſoris officio obeundo, periculo amittendi pecuniam ſe exponit, vt ſupra adnotauimus, q.10. Semper tamen plures titulos habet, quibus lucrum conſequatur, qui dat Romæ per Toletum, quàm qui dat Toleti per Romam: ſiquidem dans Romæ per Toletum, dat pecuniam pretioſiorem, quã non pręſtat, qui dat Toleti per Romam: meritò igitur qui dat Romæ per Toletum recipit duos iulios pro quolibet aureo: ſed qui dat Toleti per Romam lucratur vnum tantùm iulium.

Hinc patet quid dicendum ſit ad quæ-
12 ſtionem Sot. lib.6. de iuſt. & iur q.12. ar.2. cuius ęquitatem aſſerit, ſe ignorare. Ait, inquam Sot. quòd eius tempore erat in vſu quodam cambiũ, in quo ſi campſor Metinæ prius pecuniam accipiebat reſtituendam in Flandria, lucrabatur in ſingulos aureos 50. dupondia, ſeu marauedinos: ſi vero prius dabat pecuniam in Flandria recipiendam poſtea Metinæ, lucrabatur 70. vel 75. marauedinos, cùm tamen videatur non debuiſſe lucrari niſi 50. ſiquidem tunc tanti ęſtimabantur in Flandria 360. marauedini, quanti Metinæ 400. quapropter cãpſor accipiens Metinæ per Flandriam, poterit conſequi 400. marauedinos, qui valore æquantur 360. in Flandria reddendis: nec non 10. in pretium tranſportationis pecuniæ à Metina in Flandriam, & ita lucrabitur 50. At quando campſor prius dat pecuniam Flandria recepturus eam cambitam Metinę, idcirco lucratur 70. vel 75. quia tunc ſolùm dat 360. marauedinos, & Metinæ recipit 400. marauedinos ratione, diuerſi valoris pecuniæ: nam tantum valent Flandriæ 360. marauedini, quantum Metinę 400. reliquos vero 30. marauedinos, ſeu 35. recipit in ſtipendium, quod meretur: nam plures habet lucrandi cauſas, qui dat Flandriæ per Metinam: quam qui accipit Metinæ per Flandriam. Etenim campſor quãdo prius pecuniam accipit Metinæ per Flandriam, lucratur duplici tantùm titulo, nempe ratione diuerſæ ęſtimationis pecuniæ, & ratione traiectionis ipſius à Metina in Flandriam: & campſor dans Flandriæ per Metinam lucratur primo ratione diuerſitatis pecuniæ, ſeu diuerſę eiuſdem æſtimationis: nam dans Flandriæ 360. marauedinos, accipit Metinę marauidinos 400. ſecundò lucratur 10. ratione virtualis traiectionis pecuniæ à Me-

Metina in Flandriam, vbi eam dat. Tertiò lucrum consequitur ratione carentiæ pecuniæ spatio duorum mensium; quem titulum multum æstimant camplores: siquidem eorum pecuniam semper habent negotijs expositam. Quartò quia dat pecuniam præsentem pro absente, quæ minus valet, quàm præsens. Quintò lucrum accipit ratione obsequij, & famulatus, cùm dans pecuniam, dicatur obsequi, ac famulari campsuario. Sextò, quia dans suam pecuniam exponit se periculo amittendi eam. Septimò lucrum meretur ratione officij in coaceruandis, & asseruandis pecunijs cambio expositis: quæ omnia sunt pretio æstimabilia, & æstimari possunt alij, 20. vel 25. marauedinis: atque ideò dans 360. Flandriæ, iustè consequitur Metinæ 430. vel 435. marauedinos, & sic lucratur 70. vel 75. marauedinos. Quamuis Less. lib. 2 de iust. & iur. cap. 23. dub. 4. in fin. aliter sentire videatur. Sed circa pretij, seu lucri taxationē in cambijs, standum est communi vsui fori, vbi non reperitur lege taxatum, iuxta ea, quę habentur ex Romoald. Col. de camb. cap. 16.

Ad vltimū argumentum respondetur di-
13 stinguendo antecedens, quòd aut mutuans pecunias erat illam reseruaturus vsque ad tempus illud, in quo certò, aut verisimiliter arbitratur plus esse valituram: aut non erat seruaturus. Si secundum concedimus, quòd mutuans pecuniam, aut frumentū eo tempore, quo certò, aut satis probabiliter putat plus valiturum, vsuram committit. Si verò dicas primum, in quo mutuans fuisset pecuniam, vel triticum seruaturus, negatur antecedens; quoniam tunc vsuram non contrahit, vt habetur ex Calder. in c. nauiganti, de vsur, Angel. ver. vsura, 1. num. 36. & alij, quos refert, & sequitur, Azor. p. 3. Inst. moral. lib. 10. cap. 7. de camb. q. 2. vers. Deinde quæri posset, vbi etiam tractat de eo, qui pecuniam mutuo dat, & interim Principis auctoritate æstimatio pecuniæ variatur, ita vt maior, vel minor sit, si ei alterius generis moneta reddatur, an eā exigere possit secūdùm æstimationē quam habet tempore, quo restituitur, an verò secundum eam, quam habeat eo tempore quo mutuo fuit data, & concludit, quod restituenda est, prout valet tempore solutionis, maximè quando moneta eiusdem generis soluitur: nam idem iuris est de moneta, quod de cęteris rebus, quæ mutuo dantur. Imò ait, quòd qui pecuniam habet, cuius æstimationē probabiliter credit, Principis, aut Reip. auctoritate esse minuendam, potest eam mutuare eo pacto, vt sibi reddatur, iuxta æstimationem, quam habet tēpore quo mutuatur, quando is, cui dat vult eam in suos vsus expendere, antequam eius æstimatio minuatur; quia tunc is, qui dat nullum lucrum acquirit: siquidem dat pecuniam secundum æstimationem, quam habet, & solùm damnum vitat. Denique quidquid sit
14 de antecedēte negamus tamen cōsequentiam, quia militat diuersa ratio in mutuo, ac in cambio: quoniam ex mutuo nihil percipi potest in pretium illius cùm gratis fieri debeat, iuxta illud Domini in c. consuluit, de vsur. *Mutuo date nihil inde sperantes.* at lucrum ex cambio ex pluribus titulis percipi potest, vt supra declarauimus. Nec lucrū illud dicitur percipere ex mutuo virtuali, quod aliqui virtualiter cōtinere volunt, sed ex cambio formali, vt rectè declarat Lopez lib. 2. de contr. c. 5. q. 1. concl. 3. vers. Sicut etiam.

An cambij pretium augeri, vel minui possit propter maiorem, vel minorem æstimationem pecuniæ. Q. XIV.

SVMMARIVM.

1 *Pecunia duplex datur pretium, legale scilicet, & accidentale.*
2 *Pretia rerum crescunt, & decrescunt secundùm multitudinem, & paucitatem emptorum, ac venditorum, ratione abundantiæ, aut inopiæ pecuniarum.*
3 *Pretia cambiorum crescunt, & decrescunt ob maiorem, vel minorem æstimationem pecuniæ.*
4 *Campsores ex cambio aliquando nullum consecuntur stipendium.*

K Hu-

HVius difficultatis explicatio pendet
1 ex ijs,quę supra adnotauimus q.pręcedenti; & ideo pro clariori eiusdem explicatione est adnot. quòd pecuniæ duplex datur pretiũ: legale scilicet, quod habet ex Principis impositione,seu ex publica auctoritate;& accidentale, quod constituitur ratione aliquarum circumstãtiarum extrinsecarum, iuxta viri prudentis arbitrium: nẽpe ratione copiæ,vel inopiæ pecuniæ,paucitatis,ac multitudinis campsorum,& campsuariorum. Etenim rerũ pretia in emptione, & venditione ex eisdem causis variantur: & pecuniæ in cambio non considerantur vt pecuniæ; sed potius vt merces: pretium autem mercium crescit ob multitudinem emptorum, ac pecuniæ; & ob raritatem venditorum;& è conuerso decrescit ob
2 paucitatem emptorum,& copiam venditorum: ergò pretium accidentale pecuniæ crescit ob multitudinem accipientium ad cambium: decrescit verò ob paucitatẽ accipientium, & multitudinem pecuniæ. vt habetur ex Medina de acquis.per vsur.q.8. Bann.2.2.q.78.art.4.de camb. dub.8. Valent. tom.3. d.5. quæst.23. pun.5. Molina de contr. disp.403. num.6. & 406. Tolet. lib. 5. suæ sum. cap.51. & cap.53. Ioann. de Salas de camb.dub.2.num.2.& dub.35. & 36.Garz.de camb.cap.34.num.7.8.& 9. Reginal.lib.25.suæ prax.num.454. Rebell. p.2.de obligat.iust.lib.11.q.8.num.12.Bonac.de cõtr.disp.3.q.5.pun.vnico, propos. 5.sub num.14.& ex alijs.

His breuiter sic adnotatis, ad quæstio-
3 nem affirmatiuè respondetur, atque ideò dicitur,pretia cambiorum iustè posse augeri,vel minui propter maiorem,vel minórem æstimationem pecuniæ.Probatur,quoniam iustè variantur quoque pretia mercium, vt supra adnotauimus. Confirmatur ex communi praxi, ac consuetudine campsorum, etiam timoratæ cõscientiæ. Et hæc vera præcipua ratio, seu titulus, ad quem respiciunt campsores hoc tempore circa cambiorum pretia,est maior, vel minor pecuniarũ æstimatio, vt supra diximus, q.1. ampl.3. vers. Imò ipse audiui. & q.23.

Ex hoc infertur, campsores aliquando
4 nullum consequi stipendium, & aliquando, qui ad cambium accipit,lucrari,vt diximus d.q.1. & 8. Vnde campsor accipiens mille reales Mediolani, vt soluat mille in Hispania, aliquando est contentus mille, qui sibi traduntur,nihil vltra petens: siquidem realis licèt quoad æstimationem naturalem,& legalem tanti supponamus valere Mediolani,quanti in Hispania; nihilominus ratione æstimationis accidẽtalis fieri potest, vt plus æstimetur Mediolani,quàm in Hispania;atque ideo ratione maioris æstimationis,quã Mediolani realis habet, campsor nihil vltra petat. Ita Rebell.p.2.de obligat.iust.lib.11. q.2.num.2.& q.8.num.2.Graff. p.1. decis. lib.2.cap.10.num.9. Bonac. de contr. disp. 3.q.5.pun.vnico,propos.5.num.16.contra Garz.de camb.concl.2. & Salas eod.tract. dub.28.qui videntur sentire,huiusmodi cõtractum esse illicitum. Sic etiam si Mediolani sit magna pecuniarum penuria: in Hispania verò maxima eorum copia, vt plurimum contingit, qui habet mille reales Mediolani,quos vult per campsorem transferri in Hispaniam,aliquãdo recipit aliquid amplius in Hispania supra mille reales; siquidem inopia pecuniæ auget ipsius valorem, & potest adeò augere, vt cãpsuarius maiorem pecuniæ summam accipiat, quàm dederit. Ita Sot.lib.6.de iust.& iure,q.12. art. 1. concl. 3. Molina de contr. disp.407. & 410. Salon.de camb.q.4.art.2. contr.3. & 23.dub.4.num.3.Azor.par.3. Instit.moral. lib.10.de camb.cap.7.Tolet.lib.1.suę sum. cap.54.Reginal.lib.25.suæ prax.num.461. Bonac.loco supra relato, vers. Addunt aliqui,& alij.

An cambium, de quo agitur, celebrari possit cum lucro de loco ad locum infra idem Regnum, & infra eandem Prouinciam. Q. XV.

S V M M A R I V M.

1 *Cambium, in quo campsor prius dat pecuniam in vno loco, recipiendam in alio, potest celebrari de loco ad locum infra idem Regnum, & eandem Prouinciam.*

Bre-

Breuiter respondetur affirmatiuè; quoniam quamuis cambium fiat de loco
1 ad locum intra idem Regnum, & intra eandem Prouinciam; semper tamen căpsor habet iustos titulos percipiendi stipendium, siue prior accipiat pecuniam in vno loco, restituturus eam in alio: siue prior det pecuniam in vno loco, restituendam sibi in alio loco, vel in nundinis, vt latè probauimus supra, q.1.ampl.3.& q.8.concl.1.ampl.1.quibus locis nos remittimus, ne bis idem repetere videamur.

An campsor posſit lucrari dando pecuniam in vno loco ea indigenti, reddendam in alio loco, vbi ipse campsor ea indiget. Q. XVI.

SVMMARIVM.

1 *Campsor poteſt lucrum ex cambio percipere dando pecuniă in loco, in quo illa non egeat, recepturus in alio loco, vbi ea indigeat.*

2 *In moralibus attenditur id, quod fit per se: non autem id quod fit per accidens.*

1 Ad hanc quæstionem respondetur affirmatiuè, vt habetur ex Sot. lib. 6. de iustit. & iure, q.10. num.1. Valen. 2.2. disp.5.q.23.pun.4.concl.4.& ex alijs, quos refert, & sequitur Ioan. de Salas de camb. dub.11.num.1.& 2.vbi ponit exemplum de eo, qui pecuniam hic habet, qua indiget in Flandria ad merces emendas, vel ad soluĕdum debitum, traditurusque erat alicui, vt soluendo aliquid pro traiectione Flandriæ reciperet, accedit ad illum alius, qui indiget hic pecunia, quam habet in Flandria, & căbium petit: tunc enim poteſt ille talis dare petenti pecuniam, quam cum ſtipĕdio reddat in Flandria. Rationem autem hanc esse
2 volunt; quia ministerium, quod alteri præſtat, eſt pretio æſtimabile: & quamuis id cedat incommodum dantis; hoc tamĕ eſt per accidens; quod in moralibus non attenditur. Exemplum ponunt in equo, quem quis detulit conductum in aliquem locum, facturusque erat expensas in illo reducendo ad locatorem: nam si cŏductorem inueniat, qui in eum locum ipsum asportet, licitè poterit ei illum locare, & mercedem consequi. Eſt tamen verum, quòd hæc conclusio non eſt simpliciter vera; sed habet non nullas limitationes, de quibus nos egimus supra, q.3.concl.1.per totam, vbi latè de hac re egimus: & propterea ibi nos remittimus, ne bis idem repetamus.

An campsor dans cambio suam pecuniam pauperi in vno loco, recepturus cambitam in alio, posſit maiorem mercedem ab eo recipere, quàm si dediſſet ad căbium diuiti. Q. XVII.

SVMMARIVM.

1 *Campsor dans cambio diuiti minus emit scutum marcharum.*

2 *In correlatiuis quod disponitur in vno, disponitur & in alio.*

3 *Campsorem dantem cambio pauperi, posse maius lucrŭ consequi, qui doceant, refertur.*

4 *Campsor dans cambio pauperi, poteſt maius lucrum percipere; infra tamen latitudinem iuſti pretij.*

5 *Censùs venditori licitum eſt in pretio lædere emptorem; sed non è contra.*

6 *Campsor dans cambio personæ adeò inopi, vt periculo probabili se exponat amittendi pecuniam, poteſt maius lucrum ab eo consequi, quàm si daret diuiti.*

7 *Mutuans licèt spontè se exponat periculo dăni; poteſt tamen intereſſe paciſci.*

8 *Campsor emens marchas minus iuſto pretio ob vrgentem neceſſitatem campsuarij, iniuſtitiam committit, & ad reſtitutionem tenetur.*

1 Ad hanc difficultatem videtur prima facie affirmatiuè respondendum esse. Etenim maiori periculo perdendi suă pecuniă exponitur căpsor dans suă pecuniă pauperi; quàm diuiti: ergò ratione maioris periculi meretur maius ſtipendiŭ. Confirmatur, quia maius obsequium defert pauperi illi dando ad cambium suam pecuniam, quàm diuiti: siquidem pauper non ita de facili inuenit, qui det ei cambio, sicut diues, qui dicitur vulgò, *Bona detta seu buona lettera*. Denique campsor dans cambio diuiti

potest lædi in pretio ab ipso diuite tàm in foro externo, quàm interno; ita vt si iustum scuti marcharum pretium sit solid. 66. 8. possit ei vendi sol. 67. siue 67. 4. & ita passim practicari quando campsor dat cambio idoneo; atque ideò ab idoneo emit scutum marcharum, testatur Scac. de commerc. & camb. §. 1. q. 7. p. 2. ampl. 10. num. 68. & 69. dum ait, scutum marcharum semper rationari vno, vel duobus denarijs pluris quàm sit iustum pretium, & sic venditur ab idoneo scutum marcharum pluris iusto pretio. Sic etiam venditor census potest licitè circumuenire eiusdem emptorem in pretio, vt per eundem Scac. loco citato, d. num. 69. ergò eodem modo potest campsor lædere pauperem emendo ab eo minoris scutum marcharum quàm sit iustum pretium: siquidem campsor, & campsarius, emptor, & venditor
2 sunt correlatiui, & in correlatiuis, quod disponitur in vno, disponitur etiam in alio, vt latè habetur ex Euerar. in loco, A correlatiuis. Et eò maximè quia in contractibus seruari debet æqualitas.

Contrariam sententiam videtur tenere
3 Hier. de Luc. in suo tract. de camb. q. 7. vers. Pro decisione, num. 40. & seq. & eandem fortè tenerent Conrad. de contr. q. 59. corol. 1. & 2. post 3. concl. Rebel. p. 2. de oblig. iustit. lib. 9. q. 12. Sot. lib. 6. de iust. & iur. q. 4. ar. 1. ad 1. Nauar. in Man. c. 23. num. 81. & alij docentes, ex sola ratione periculi in recuperanda sorte non posse mutuantē incrementum aliquod ex mutuo percipere. Sicut nec licitum est supra iustum pretium ratione periculi sortis, cui vendens creditò exponitur lucrum quærere, vt habetur ex eodem Sot. loco citato, art. 1. ad 2. Nauar. d. num. 81. Garz. lib. 1. de contr. cap. 23. circa med. Bann. 2. 2. q. 77. ar. 4. dub. 6. & ex alijs apud Ioan. de Salas in tract. de empt. & vēd. dub. 41. num. 5. Etenim campsor cùm suam pecuniam dat ad cābium pauperi licèt eam det cum probabili metu eādem amittendi, qui metus est pecunia æstimabilis; nihilominus ipse campsor spontè tali periculo se exponit, & metum vult subire, & propterea non attenditur: & eò magis; quia pauper ille, qui ad cambium accipit, non tenetur aliter leuare campsorē ipsum tali metu, quàm soluendo cambium condicto loco, & tempore, cui idcirco dum soluit, satisfacit.

Scac. verò in suo tract. de commerc. &
4 camb. §. 1. q. 7. p. 2. ampl. 15. num. 1. videtur velle, campsorem dantem pecuniā ad cambium pauperi, posse ab eo consequi maius incremētum, quàm à diuite; dummodò non excedat limites iusti pretij. Vndè si scutus marcharum vendatur nunc pro primis nundinis sub triplici pretio, nēpe pro solid. 65. 66. & 67. campsor potest ab indigente emere solid 65. & sic infimo pretio: siquidem quodlibet istorum pretium est iustum: & ob id in rebus dari solet triplex pretium; quoniam sicut in rebus est inæqualitas bonitatis, ita etiam inæquales sunt debitores, qui vendūt scutos marcharū, ita vt vnus alio sit minus idoneus, atq; adeò pluris æstimetur nomē debitoris magis idonei, quàm minus.

Hæc sententia re vera satis probabilis
5 est, & magnam in se continet æquitatem, & in re non discrepat à priori opinione. Etenim ipse Scac. loco citato, ampliat. 10. sub num. 68. vers. Ratio huius conclusionis: & num. 69. rationē reddēs, cur licitum sit cāpsuario lędere campsorem in pretio, & venditori census eiusdem emptorem, & non è contra, quoad campsorem ait, quòd dās ad cambium, & sic emptor videtur quodāmodo habere personam mutuantis: & proptērea sicut toleratur læsio spontanea passiua in mutuatore, ita vt nulla inde resultet iniquitas, cùm mutuūm sit contractus gratuitus, ita etiam non attenditur læsio passiua spontanea in eo, qui dat ad cambium. Idem inquit, seruari quoad venditorem cēsus, cui licitum est lædere emptorem, sed non è contra licet emptori census lædere in pretio venditorem: siquidem & si in nostro Regno Neapolitano non sit licitum emi censum minus quàm ad rationem decem pro quolibet centenario, vt patet ex Bull. Nicol. V. potest tamen venditor lædendo emptorem carius vendere, nempe ad rationem octo, septem, sex, & quinque iuxta idoneitatem ipsius, qui vendit censum, vt si diues sit valdè, & vt vulgò dicitur, *Buona posta, seu buona lettera*; ita aut ab eo census facilè exigi posset. Non tamen licitum est emptori census illum emere minus pretio à lege condicto ex eo quòd censum emit à paupere, à quo

cen-

censum cum difficultate exigi posse dubitatur: nam sicut quàto maius est pretium, quo emptor emit censum, eò magis emptio census ab vsura distat, cùm vsura consistat in accessione ad sortem pecuniæ datę; ita è contra, quanto minus est pretium, quo emptor emit censum, eo magis emptio illius ad vsuram accedit.

Est tamen verum, quòd priorem opinio-
6 nem veram esse ita demum arbitror, cùm campsor dat ad cambium personę adeò inopi, vt probabili se exponat periculo amittendi pecuniam, quam cambio dedit: tunc enim ratione talis periculi potest campsor maius lucrum ex eo percipere, etiam si sit supra pretium commune fori. Etenim mutuans cùm periculo probabili amittendi pecuniam mutuatam, potest aliquid ex tali mutuo intendere ratione huiusmodi periculi, vt secundum opinionem in Eborensi schola receptam teste Rebel. loco citato, tenent Med. de restitut. q.38.§. ad tertiam causam, & in 4. causa, Molina de contr. disp.304 & latius 356. Less. lib.2. de iust. & iure, cap.21. dub.6. & cap.13. dub.4. num. 43. Eman. Roder. 2. p. sum. cap.83. num.3. Valent. 2.2. disp.5. q.20. pun.2. concl.4. & alii, quos refert, & sequitur Ioan. de Salas in suo tract. de vsur. dub.22. num.3. & 4. qui hanc sententiam putat verisimiliorem, & multis rationibus eam corroborat, contraria soluens. Ratione quoque talis periculi ex dilata pretii rei venditę solutione, posse venditorem carius vẽdere, docet D.Thom. opusc.73. de vsur. cap.10. Med. loco citato, Petr. Nauar. lib.3. de restit. cap.2. p.1. dub. 11. §. vna hęc, num.105. & seq. & p.2. dub. 10. cap.3. num.342. Molina, Emanuel, Rodriq. Valent. & Less. locis citatis, Salon. 2.2. q.78. art.2. contr.26. Sà ver. venditio, num.3. Cord. in sum. q.84. §. tampoco se giustifica: & alii apud Ioan. de Salas de empt. & vendit. dub.41. concl.4. num.5. Et denique ratione eiusdem periculi amittendi pretium rerum emptarum, anticipata solutione licitum esse rem minus infimo pretio emere, probat idem Ioannes de Salas in d. tract. de empt. & vend. dub.43. Si igitur his casibus licitum est incremẽtum aliquod percipere supra iustum pretium: ergò campsor dans ad cambium suam pecuniam pauperi cum probabili periculo ammittendi eam, poterit aliquid supra iustum, & commune pretium fori percipere, cum militet eadem ratio, arg. tex. in l. illud, ff. ad leg. Aquil.

Nec obstat, quòd campsor prædicto pe-
7 riculo amittendi pecuniam spontè se exponit: nam etiam qui mutuat, vel vendit cum damno emergente, vel lucro cessante, spontè se subijcit damno, & tamen potest pro illo aliquid exigere, siue postea sequatur damnum, siue cesset lucrum, siue non, vt rectè post alios respondet Salas in terminis casus d.q.22. ratione 4. pro corroboratione suæ sentẽtiæ: quibus adde omnes rationes, quas idem Salas affert ad probandum, ratione prædicti periculi, mutuantem formaliter vel virtualiter, posse incrementum aliquod expostulare: siquidem illę rationes possunt etiam accommodari nostræ sententiæ in hac quæstione de cambio. & re vera Scac. si rectè perpendatur loco citato, ampliat. 13. non videtur discrepare à nostra opinione. Imò cum nostra sententia expres-
8 sè concordat idem Scac. eod. tract. §.2. q. 7. p.3. lim.6. num.2. vers. Secus in secundo casu: vbi ponit duos casus; quorum primus est, quando campsor emit marchas minori pretio propter vrgẽtem necessitatem venditoris: secundus vero casus est, cùm cãpsor emit vilius, eo quòd venditor est inops, & vt vulgò dicitur, *Non buona lettera*. Siquidem primo casu ait, illicitum esse cambium, & acceptum fore restitutioni obnoxium, tanquam perceptum ex cambio nullo, cùm necessitas habeat vim cogendi, atque ideo excludendi consensum: secundo autem casu cõcludit, cambium esse licitum; quoniam res quò magis est periculosa, eò minoris valet, vt latè probat idem Scac. ibi quęst.1. num.430. & 431. & pericula nauis, mercium, vitæ hominis, & similium passim venduntur, & emuntur. Confirmat hæc quæ diximus ex eo quòd si pauper propter suã inopiam non inueniat, qui velit ei dare suam pecuniam ad cambium pro nundinis; atque ideo non reperiatur, qui suas litteras acceptet: qua propter compulsus recurrat ad mercatorem aliquem, cuius litteræ acceptentur, cumque roget, vt ipsius pauperis litteras subscribat: & tunc mercator ipse si

litteras subscribat, potest licitè ab eo percipere tertiam partem vnius scuti pro quolibet centenario; quoniam ipse exponit se periculo soluendi pecunias casu quo pauper debitum non solueret: cui periculo exponere se non tenebatur, & sic expositio illa est pretio æstimabilis, vt rectè ait Romoal. Col. de camb. cap. 19. ergò idem dicendum est in casu, de quo agitur.

An campsor posit negare suam pecuniam dare cambio petenti per locum vbi minus lucretur, & nolle dare, nisi per locum, vbi plus lucrabitur. Q. XVIII.

SVMMARIVM.

1 *Campsor publicus, qui ex officio tenetur cambire per loca ad libitum petentis, non potest denegare suam pecuniam dare cambio petenti; etiam si eam petat per loca, in quibus minus lucratur.*

2 *Campsor priuatus denegans dare cambio, nisi per loca, in quibus magis lucretur, licèt non faciat contra iustitiam; potest tamen peccare contra charitatem.*

1 AD hanc difficultatem breuiter respōdemus ex Vega in epit. ver. Cambium, casu 24. num. 2. & 3. Salon. de camb. q. 4. ar. 2. contr. 13. Ioan. de Salas, eo. tract. dub. 43. & Filliuc. tom. 2. qq. moral. tract. 35. de censib. & camb. c. 10. q. 5. num. 473. quòd aut campsor, de quo agitur, est campsor publicus, qui tenetur cambire per loca ad libitum petentium ad cambium: aut cāpsor non est publicus, nec obligatus vt supra cambire per loca ad libitum petētium. Primo casu non potest campsor denegare suam pecuniam dare ad cambium petenti, etiam si petat per locum, vbi minus lucratur ipse campsor, quàm in alio: siquidem huiusmodi campsor faceret contra iustitiam, & teneretur ad interesse, cùm ad id, mediāte ciuili obligatione se constrinxerit: Secundo verò casu campsor ad id de rigore iusti-
2 tiæ non potest compelli, cùm nulla obligatione fuerit alligatus; posset tamen agere contra charitatem, & æquitatem cogendo petentem ad cambium cambire per alium locum, vbi cāpsor ipse magis est lucraturus, vt ait etiam Molf. par. 2. suæ sum. tract. 12. c. 7. num. 82. nisi aliàs id cederet in magnū campsoris incommodum; quia tale incommodum nec secundum iustitiam, nec secundum charitatem tenetur subire, vt rectè ait Filliuc. loco citato, in fin.

An campsor dās pecuniam ad cambium in vno loco, sibi reddendam cambitam in alio, quò magis dat per locum distantiorem, eò maius lucrum mereatur. Q. XIX.

SVMMARIVM.

1 *Vbi militat eadem ratio, ibi militat eadem iuris dispositio.*

2 *Cambium quando fit per locum remotiorem, si per illum locum fiat ad petitionem campsuarij, campsor potest petere maius lucrum, quàm si fiat per locum viciniorem.*

3 *Cambium quando fit per locum remotiorem ad petitionem campsoris, campsor ipse non meretur maius lucrum.*

4 *Distantia, aut vicinitas locorum in cambijs hodie non attenditur à campsoribus ad consequendum maius, vel minus lucrum; sed copia, vel inopia pecuniarum, copia vel inopia campsorum, & campsuariorum.*

1 IN hac re videtur prima facie affirmatiuè respondendum esse: nam quando campsor accipit pecuniam in vno loco soluturus eam in alio, quò magis locus, vbi facienda est solutio, est distans, eò maius lucrum cōsequitur ex tali cambio: ergò idem dicendum est, quando campsor dat primò pecuniam in vno loco, reddendam sibi in alio loco, vt quò magis locus sit distans, eò maius lucrum ex eo mereatur. Etenim par ratio videtur militare in vtroque casu. Nam sicut campsor, qui primò accipit pecuniam ratione maioris distantiæ loci, meretur maius stipendium; quia ex rei natura in maiori distantia solent esse plura pericula, & labo-

res

res in traijcienda pecunia ad locum destinatæ solutionis; ita etiam quando campsor primò dat pecuniam, quò magis locus, in quo sibi commutata est reddenda, est distans, eò meretur maius stipendium: quoniam ratione maioris distantiæ, maiora pericula, labores, & expensas sustinet in reducenda pecunia sibi soluta in loco destinatę solutionis ad locum, in quo primò dedit cambio: cùm igitur eadem ratio militet in vtroque casu, eadem etiam militat iuris dispositio, arg. tex. in l. illud, ff. ad leg. Aquil. & l. adigere, §. quamuis, ff. de iur. patron.

Pro resolutione huius quæstionis puto
2 distinguendum esse, quòd aut campsor dat ad cambium per locum remotiorem ad petitionem, & in gratiam campsuarij: aut ad petitionem, & in gratiam ipsius campsoris. Primò casu arbitror, campsorem ratione maioris distātiæ loci mereri maiorem mercedem per rationem supra relatam; nam quamuis deinde per aliud cambium pecunia reducatur in locum, in quo dedit sine periculis, laboribus, & expensis; id tamen est per accidens, & non prouenit ex rei natura, & propterea non attenditur. Secundò
3 vero casu campsor non meretur maiorem mercedem ratione maioris distantiæ loci: quoniam illa distantia est vtilis campsori, & nociua campsuario; qui pro transportatione pecuniæ ad locum destinatę solutionis, quò magis locus est remotior, eò maiora pericula, labores, & expensas sustinet. Hæc vera sunt regulariter, & ex natura rei; Cæterum aliquando possunt concurrere in cambio aliæ rationes augendi lucrum, itaut cam-
4 psor in minori distantia maius lucrum mereatur. Sed hodie mercatores non tàm respiciunt distantiam loci, quàm copiam, vel inopiam pecuniarum, multitudinem vel paucitatem campsorum, vel petentium ad cambium, commoditatem locorum ad trāsferendam pecuniam, & his similia, vt habetur ex Filliuc. tom. 2. qq. moral. tract 35. de censib. & camb. cap 6. quæst. 7. sub num. 396. quibus adde, quę supra adnotauimus, q. 1. & 2. in fin.

Ad contraria patet responsio ex dictis.

An campsor dans pecuniā ad cambium, sibi reddendam condicto tempore, eò maius lucrum capiat, quo maior datur temporis distātia ad pecuniam ipsam reddendam. Q. XX.

SVMMARIVM.

1 *Quò longius nundinæ sunt distantes, eo magis campsores lucrum consequuntur ex cambio.*

2 *Cambium ad nundinas non differt essentialiter à cambio locali.*

3 *Campsor non potest ex cambio maius lucrum percipere, quò magis dat temporis dilationem ad pecuniam sibi reddendam.*

4 *Campsor ex sola temporis dilatione nihil potest percipere, nisi ratione interesse.*

5 *Vendere non licet supra rigorosum pretium propter dilatam solutionem; nisi ratione interesse.*

6 *Campsor cur maius lucrum ex cambio percipiat, quò nundinæ sunt magis distantes, ratio redditur.*

IN hac difficultate videtur affirmatiuè
1 respondendum esse: siquidem mercatores dantes pecuniam ad cambium in nundinis, quò longius absunt nundinæ, eo maius lucrum consequuntur ex cambio: quò verò viciniores sunt, eò minus lucrantur, vt post alios testatur Scac. de commerc. & camb. §. 1. q. 7. p. 1, num. 28. Filliuc. tom. 2. qq. moral. tract. 35. de camb. c. 7. q. 1. num. 407. & alij: ergò idem dicēdum est in cambio de loco ad locum, vt quo maior datur temporis distantia ad cambium soluendum in loco condicto, eò magis lucrum percipiat ipse campsor; & quo minor datur distātia temporis, eò minus lucri assequatur; cùm eadem ratio militet in vtroque casu:
2 siquidem cambium ad nundinas non differt à cambio locali, nisi accidentaliter, vt rectè declarat Filliuc. loco citato, num. 408.

Oppositis tamen nō obstantibus, in con-
3 trarium est cōmunis sententia, quam tenet Sot. lib. 6. de iust. & iur. q. 12. ar. 2. Nauar. in Man. c. 17. num 287. Salon. de camb. q. 4. art.

art.2.contr.18.sub num.3. Romoald. Col. eod.tract.cap.36.regul.5.Scac.de cõmerc. & camb. §. 1. q.7.par.3.limit.1.num.4. Fil. liuc. d. tract.35. cap. 6.q.11. num. 401.& alij. Probatur hæc sententia, quia si eo casu licitum esset maius lucrum ex cambio percipi ratione maioris temporis distantię, non posset assignari ratio, cur vsura damnetur in mutuo: si enim pecunia absens tempore, seclusis alijs circumstantijs extrinsecis, minus valet, non video quomodo non possit ex mutuo lucrum percipi, in quo datur pecunia præsenti tempore, vt reddatur æquiualens in alio.

Est tamen verum, quòd licèt campsor ex
4 solius tẽporis dilatione nihil possit ex cambio percipere; nam id esset emere minus iusto pretio ratione anticipatæ solutionis; quod est vsura, cùm id sit lucrari vltra sortẽ ratione mutui palliati, seu impliciti, vt habetur ex Ioan. de Salas in suo tract. de empt. & vendit. dub.43. cum alijs, quos allegat; nihilominus si cambij lucrum augeat propter distantiam, seu prorogationem temporis, vt supra, ratione lucri cessantis, vel dãni emergentis, tale lucri incrementum erit iustum non ratione cambij, sed ratione interesse, quod debetur pro quouis credito, etiam si sit mutuum, vt rectè docet Scac. loco citato, num. 5. Cõfirmatur, quia etsi non sit lici-
5 tum minus iusto pretio emi propter anticipatum pretij solutionem, sicut nec carius vendi ob dilatam solutionem; id tamen licitum est ratione lucri cessantis, aut damni emergentis, vt habetur ex Ioan. de Salas, d. dub.43. sub num.3. & eodem tract. dub.41. num.4. vbi ait, hanc esse omniũ sententiam: ergò idem dicendũ est in casu, de quo agitur, cùm contractus cambij sit emptio quędam, vel saltem reducitur ad huiusmodi cõtractum, vt sępe diximus. Ex hac conclusione patet quid respondendum sit ad q. propositam à Ioan. de Salas de camb. dub.31. vbi concludit, illicitum esse cambiũ, in quo campsor remittit stipendium ratione dilationis ad soluendum cambium post tres menses.

Ad contrarium respondetur, quòd non
6 semper campsor, qui dat ad cambium, minus in principio nundinarum, quàm in medio, & minus in medio quàm in fine, ẽmit scutum marcharum: nam aliquando cõtingit oppositum, vt post alios probat Scac. de cõmerc. & camb. §. 1. q.7. p.1. sub num. 75. Et estò quòd rarò id eueniat, quod non cõsideratur in moralibus, cùm lex adaptetur ad ea, quę frequentius accidunt, l. nam ad ea, ff. de legib. nihilominus id non prouenit ex temporis distantia; sed propter campsorum copiam, cùm plures tunc existant, qui pecunias suas alijs ad cambium tradãt, vt supra in procem. declarauimus, q. 8. in resp. ad 6. argum. Item id prouenit ratione interesse, & ex alijs, causis, de quibus latè habetur ex eodem Scac. sub d. num.75. & 76. & melius §. 1. q.7. p.3. lim.1. sub num.4. vers. Dubitatio hæc.

An cãpsor dans pecuniam ad cambium in loco, vbi plus valet, recepturus eam in loco, vbi minus valet, ratione maioris æstimationis pecuniæ, vbi eam dat, lucrari possit. Q. XXI.

SVMMARIVM.

1 *Cãpsores dantes pecuniam ad cambiũ in loco, vbi plus valet, recepturus eam in loco vbi minus valet; ratione maioris æstimationis pecuniæ vbi eam dant non possunt lucrari, sed pecuniæ reducendæ sunt ad ęqualitatem, & iusta mercede debent esse contenti.*

1 HAec quęstio habet maximam affinitatem cum q.13. quam supra explicauimus, & propterea ex ijs, quæ ibi adnotauimus patet decisio huius difficultatis. Etenim quamuis partem affirmatiuam doceat Less. lib.2. de iustit. & iure, cap.23. dub.4. num. 34. & seq. quem refert, & sequitur Ioan. de Salas de cãb. dub.12. num.1. quod ampliat locũ sibi vendicare, siue maior ęstimatio sit intrinseca, nempe ex lege, aut cõsuetudine; siue extrinseca, proueniens ex inopia pecuniæ, vel ex copia petentium ad cambium, vel ex necessitate pecuniæ propter bellum, vel aliam publicã causam, aut ingens copia mercii offeratur venalis, vt rectè declarat idem Salas loco citato, nihilominus

minus

minus vt cõsequenter loquamur ad ea, quæ in d.q.13. adnotauimus, quando monetæ pluris valent vbi dantur, quàm vbi recipiuntur, reducendę sunt ad æqualitatem, ita vt recipiens ad cambium refundat campsori quod plus valet ipsius cãpsoris pecunia, soluta eidem debita mercede ex causis iuxta earum numerum, de quibus supra egimus, q.11. & secundum communem æstimationem fori: siquidem cambium, de quo agitur, sicut & omnia alia reducuntur ad contractum permutationis, & essentialiter sunt commutationes, in quibus æqualitas est seruanda; nempe vt res, quæ permutantur sint pretio, & æstimatione pares, vt supra adnotauimus d.q.13. Vndè ex dictis patet qui dicendum sit ad ea, quæ latè habentur ex Ioanne de Salas d.dub.12.

An campsor dans ad cambium ex prçcedenti obligatione ad cambiendum, ratione talis obligationis possit maius lucrum ex tali cambio percipere. Q. XXII.

SVMMARIVM.

1 *Campsor dans cambio ex præcedenti obligatione ad cambiendum, ratione talis obligationis potest augere pretium cambij.*

2 *Mutuans ex præuia obligatione mutuandi, ratione huiusmodi obligationis potest incrementum aliquod vltra sortem consequi.*

1 AD quæstionem hanc respondetur affirmatiuè, vt habetur ex Romoald. Col. de cãb. cap. 29. & ex alijs, quos refert, & sequitur Scac. de commerc. & camb. §. 1. q.7. p.2. ampl.1. num.5. Dantur enim campsores ex officio, qui obligãtur Reip. aut alicui Magistratui ad cambiendum mercatoribus illius loci. Imò aliquando aliqui particulares, etiam si non sint campsores ex officio, solent se obligare ad cambiendum aliquibus personis, ita vt non possint ab huiusmodi obligatione solui ad eorum beneplacitum: hi enim dantes ad cambium possunt vltra commune pretium fori, & iustum, pretiũ, ratione talis obligationis incrementum aliquod percipere; taxatum tamẽ à Republ. aut à diuersis viris. Probatur, quoniam qui
2 mutuat, prçuia obligatione de mutuando, licèt ratione mutui non possit lucrum aliquod citra vsuram percipere; poterit tamen iustè pro tali obligatione moderatum aliquod stipendium quęrere, cùm obligatio illa sit pretio æstimabilis, vt habetur ex Nauat. in c. nauiganti, num.17. vers. Semper tamen, de vsur. Salon. de camb. q.4. ar.3. contr.1. num.3. & vers. Præterea ista: Romoal. Col. loco citato, & Scac. d. ampl.1. sub num.3. vers. Quoniam respondeo: ergò idem dicendum est de campsore dante ad cambium ex præcedenti obligatione. Alias rationes vide apud eundem Romoal. Col. d. cap.29.

An campsor dãs pecuniã impuram in vno loco, possit recipere puriorem eiusdem ponderis, ac valoris legalis in alio citra cõpensationem aliquam. Q. XXIII.

SVMMARIVM.

1 *Campsorem dantem pecuniam impuriorem in vno loco, posse recipere puriorem in alio, qui doceant, recensentur.*

2 *Campsor dans pecuniam impuriorem in vno loco non potest puriorem accipere in alio, etiam si pecunia sint eiusdem æstimationis.*

3 *Pecuniæ pura, & impura licèt sint eiusdem æstimationis, vt mensura sunt, & pretium rerum venalium; non autem ita sunt in ordine ad cambia celebranda.*

1 IN hac re pugnantes extant opiniones. Nam prima sententia est Bann.2.2.to.2. de cãb. dub.6. cõcl.1. Cõrad. in fine sum. tract. de camb. Ledes.2. p. sum. tract. de iust. commut. Filliuc. tom.2. qq. moral. tract.35. cap.11. q.3. num.484. & aliorũ existimantium, in cambio fieri posse commutationem pecuniæ minus puræ pro puriori, si sint æqualis æstimationis. Mouetur ex eo quod sint æquales in ratione mensuræ recum venalium, & solutionem, licèt pro vna possit maius pretium exigi, quàm pro alia propter

pter maiorem commoditatem vnius, quàm alterius. In eãdem sententiam conatur ipse Filliuc. reducere Ioan. de Salas de camb. dub. 27.

His tamen non obstantibus, oppositam
2 sententiam puto esse veriorem, quam tenet Sor. lib. 6. de iust. & iur. q. 12. ar. 1. concl. 1. Ledes. 2. p. sum. tract. 8. de camb. concl. 9. cum qua pertransit etiam Ioan. de Salas loco citato, si rectè perpendatur, dicentes, quòd cambire monetam inferioris auri, vel argenti pro alia superiori, quamuis sint eiusdem ponderis, & valoris legalis, nisi intercedat compensatio aliqua, est manifesta iniustitia: quia dans pecuniam impuram pro puritiori minus dat, quàm recipiat: id autem est contra iustitiam commutatiuam. Confirmatur, quia citra cõpensationem aliquam non potest quis cãbire triticũ cũ alio, quod ex sui natura est melius: ergò idem dicendũ est in casu nostro. Nec obstat si dicatur, quòd triticum minus bonum non tanti æsti-
3 matur in foro, sicut melius: at pecunia ex auro minus puro, tanti æstimatur in taxatione legitima, quanti pecunia ex auro puriori; quoniam respondetur, quod pecunia ex auro impuro tanti æstimatur in taxatione legitima, quanti pecunia ex auro puriori quoad emptiones rerum venalium, & solutiones debitorum; non autẽ quoad cambia celebranda; quia in eis habetur ratio purioris, & impurioris pecuniæ, potiusquã legalis eiusdem æstimationis: siquidem, cæteris paribus, metallum præstantius, & ad plures vsus accommodatius ex se pluris æstimatur, nec suam qualitatem amittit ex eo quòd sit signatum, & rationem pecuniæ habet: nec Princeps determinando pecuniæ valorem, intendit taxationem eius facere secundum omnem eius rationem, & quoad omnem vsum, quem habere potest, vt supra probauimus, q. 6. concl. 2. Vndè ex dictis patet solutio ad argumentum oppositæ sententiæ.

An campsor dans pecuniam suam ad cambium, possit à recipiente pignus, seu fideiussorem accipere. Q. XXIV.

SVMMARIVM.

1 *Campsores nõ posse in cambijs pignora accipere à Campsuarijs, qui doceant.*

2 *Cãpsor potest pignora, vel fideiussores à Cãpsuario accipere in securitatem sui debiti.*

3 *Indemnem se seruare cuilibet iure natura licitum est.*

4 *Pignus, & fideiussores dari possunt in cambijs non solum pro securitate sortis, sed etiam pro securitate stipendij.*

5 *Pignus, & fideiussores accipi possunt in cambijs, siue tempore celebrati contractus is, qui cambio accepit fuerit pauper, siue diues.*

6 *Fideiussor pro fideiussione potest emolumentum aliquod percipere; etiam si fide ussori daretur pignus, vel aliàs fidei- ssor.*

7 *Campsor si nolit pignus, nec fideiussores, & periculum probabile instet perdendi pecuniam datam cambio, potest ratione talis periculi augere commune pretium cambij.*

8 *Fideiussores si dentur in cambio, & aliquis eorum efficiatur minus idoneus, non potest campsuarius compelli ad dandos fideiussores magis idoneos; nisi campsor per iudicem fuerit compulsus tales fideiussores accipere.*

9 *Pignus ita demum in cambio dari potest, si spes adsit eius luitionis, aliàs secus.*

10 *Pignus in cambio si detur fructiferum, fructus computantur in sortem, nisi plures fructus non afferat, deductis expensis, qui satis sint ad stipendij solutionem.*

11 *Campsor pignus, vel fideiussores accipiens debet eorum ratione minuere stipendium cambij.*

IN hac re pugnãtes extãt opiniones. Nã
1 prima sententia est negans, quam tenet Hieron. de Lucc. in suo tract. de camb. vers. Pro decisione, num. 42. dicens, dantẽ cambio, pignore accepto, non esse tutum in conscientia: nam ponere se in tuto non est citra animæ periculum, cùm excedat mercatorios limites: imò Io. Bapt. cauat. de cãb. tit. de vsura, vers. Quæro Antonius, & seq. ait, quòd dãs cambio, si ex eo pignus accipiat, quia probabiliter credit, eum non posse condicto tempore cambium soluere, manifestam committit vsuram: & hanc, inquit, communem esse sententiam.

Oppositam tamen sententiam arbitror
2 de iure esse veriorem, quã tenet Less. lib. 2. de

de iustit. & iure, cap.23. num.77. Boninf. in suo tract. de camb. cap.7. num.23. Salon. in D. Thom. 2.2. q.78. disp. de camb. q.4. ar.2. contr.1. num.17. vers. ad vlt. Azor. p.3. Inst. moral. lib.10. tit. de camb. cap.11. q.11. Romoal. Col. de camb. cap.28. Ioan. de Salas eod. tract. dub.21. Molf. par.2. suæ sum. tract.12. cap.7. num.68. & Scac. de commerc. & camb. §.1. q.7. p.2. ampl.12. dicentium, licitum esse dare cambio, accepto pignore, seu fideiussore. Et hanc opinionem communem esse testatur idem Scac. loco citato: & insuper ait, ita consuluisse citra difficultatem aliquam Iurisconsultos Florentinos, & Curt. iun. cons. 132. habita diligenti, sub num.1. vers. Omissis, & seq. Probatur hæc sententia ex eo quòd iure naturæ om-
3 nibus est se ipsos seruare indemnes, & ponere in tuto. Cōfirmatur, quia fideiussor potest accedere omnibus obligationibus, vt in l.1. & 2. ff. de fideius. & §.1. in Instit. eod. tit. ergo potest accedere contractui cambij. Præterea contractus cambij, vel est emptio, seu venditio, vel illi valdè similis; sed contractui empt. & vendit. accedunt fideiussores, sicut omnibus alijs contractibus, vt supra diximus, ergo accedunt cambio. Denique in contractu census dantur fideiussores, & pignora, vt ostendimus in nostris Commentar. ad Extrauag. Pij V. de censib. §.3. q.13. concl.2. & §.5. q.43. & 44. ergo & in cōtractu cambij dari possunt: siquidem militat in vtroque eadem ratio, cùm vterque contractus sit emptionis, ac venditionis.

Ampliatur hæc conclusio primò, vt in
4 cambio dari possint fideiussores, & pignora non solùm pro securitate sortis; sed etiam pro securitate mercedis, ac stipendij: quia non potest assignari diuersitatis ratio, cur pro sorte dentur fideiussores, & pignora, & dari non possint pro stipendio, mercede, seu accessionibus, arg. tex. in l. illud, ff. ad leg. Aquil. Confirmatur, quoniam in contractu census dantur etiam fideiussores pro annuis pensionibus soluendis, vt habetur ex Molin. de contr. disp. 391. num.1. Felic. tom.1. de censib. lib.1. c.1. num.5. Gasper. Roder. de ann. redit. lib.2. q.12. num.9. & nos diximus d. §.3. q.13. cōcl.2. ampl.1. num.13.

Secundò ampliatur dicta conclusio, vt
5 locum sibi vendicet siue campsarius, & sic accipiens cambio sit securus, & vt vulgò dicitur, *Buona posta, buona lettera*, tempore contractus: siue tempore contractus non sit talis, atque adeò sit pauper, & suspectus de non soluendo cambium condicto loco, & tempore: siquidem in vtroque casu possunt adhiberi fideiussores, & pignora in contractu cambij. Nam licèt campsuarius tempore celebrati contractus sit securus; nihilominus, experientia teste, qui æstimatur ditissimus, ex aliquo accidenti potest fieri non soluendo per ea, quæ habentur ex Scac. de commerc. & camb. §.3. glos.3. sub num.12. vers. Extende primò. Confirmatur, quia idem probauimus de censuario, loco citato, ampl.2. vt in contractu census possint ab eo recipi fideiussores, & pignora, siue tēpore celebrati contractus censuarius pauper fuerit, vel diues, vt contra Sal. in suo tract. de contract. & commerc. human. ar.3. de censib. contr.14. sub num.4. concl.1. & Ludou. de Auend. de censib. Hispan. c.97. num.24. & seq. tenet Cēc. post alios, in suo tract. de censib. p.2. cap.1. q.2. num.2. & 3.

Tertiò ampliatur, vt in contractu cambij
6 adeò fideiussor accedere possit, vt sicut in contractu census, & in alijs contractibus pro fideiussione potest emolumentum aliquod percipere, vt probauimus d. §.3. q.13. cōcl.2. ampl.4. ita etiam in contractu cambij lucrum aliquod valeat ex ea consequi: siquidem ex communi Doctorum sententia permissum est fideiussori pro fideiussione facienda præmium aliquod habere, vt habetur ex Calcan. cons.35. num.11. cum alijs relatis à Gasp. Roder. in suo tract. de annu. redit. lib.2. q.12. num. 8. cum plur. seq. & Mātic. in suo tract. de tacit. & ambig. conuent. lib.6. tit.6. num.6. Quod verum arbitror, etiam si fideiussori pro fideiussione esset datum pignus, aut alius fideiussor, qui eum reuelaret: vel campsuarius, pro quo fideiussit, esset talis qualitatis vt nullum sibi immineat periculum, vt patet ex ijs, quæ habentur per Scac. de commerc. & camb. §.3. glos.3. sub num.12. vers. Extende tertiò. quibus adde ea, quæ de fideiussore, & pignore datis in censu diximus d. quęst.13. concl.2. ampl.5.

Adde, quòd si campsor nolit pignora, &
7 fideiussores, & velit in se suscipere periculū

cam-

cambij, posset aliquid bona fide æstimatum pro illo periculo percipere, vt habetur ex Ioan. de Salas de camb. dub. 21. num. 1. vbi etiam num. 2. ait, idem dicendum esse de campsore, qui dans pecuniam campsuario, alibi à respondente campsuarij soluendam, pro cāpsuario fideiubeat apud respondentem eius: nam potest aliquid pro fideiussione percipere, si respondens non sit famulus, nec factor campsoris. Et quamuis Romoal. Col. in suo tract. de camb. cap. 28. vers. Dico secundò: contrarium doceat quoad primum casum, motus ex eo quòd cambium, *A lettera vista*, est simile contractui emptionis, & venditionis pecunia præsenti, & numerata: & cambium sub aliquo temporis termino, est simile venditioni, dilata solutione: at vendens dilata solutione, non potest ratione periculi aliquid supra iustum pretiū percipere; nihilominus quando cambium celebratur cum inope non sine probabili periculo amittendi pecuniam, poterit campsor ratione talis periculi incrementum aliquod accipere, iuxta ea, quæ supra diximus, q. 17.

Sic ampliata limitatur eadem conclusio,
8 vt quamuis in contractu cambij dari possint fideiussores, etiam cum obligatione insolidum; nihilominus si fideiussores dati, vel eorum alter efficiantur minus idonei, & non soluendo, non poterit campsor campsuarium debitorem ipsius compellere ad nouos fideiussores magis idoneos præstandos, & renouandos, per ea, quæ docet Bart. in l. 3. in fin. ff. de fideiussor. & in l. prætoriæ, la 2. ff. de prætor. stipul. Etenim debitor non tenetur renouare fideiussorem, si fideiussor datus efficiatur non soluendo, nisi coactè Iudicis officio fuerit præstitus, arg. tex. in l. boues, §. hoc sermone, ff. de verb. signif. & latè Surd. cons. 18. num. 13. lib. 1. vel nisi in celebratione contractus cambij fuerit inter contrahentes conuentum de renouatione fideiussionis: quod quomodo procedat, rectè declarat Scac. de cōmerc. & camb. §. 1. quæst. 7. p. 2. ampl. 8. num. 295. Confirmatur; quoniam hæc eadem vera sunt de fideiussoribus datis in contractu census, vt probauimus in nostris Commentar. in Extrauag. Pij V. de censib. §. 3. q. 13. concl. 2. limit. 2.

Secundò limitatur, vt ita demum in con-
9 tractu cambij rectè pignora dentur, si à contrahentibus, vel saltem à campsore speretur eorum luitio: aliàs si luitio non speretur, censentur data in satisfactionem cambij; atque ideo campsuarius non teneretur soluere campsori lucrum aliquod ratione cambij; sed nudam sortem illius super datis pignoribus pro concurrenti quantitate: siquidem quando pignora dantur creditori pro quocunque alio credito citra vllam spem luitionis, censetur tradita in solutum pro ipso credito, vt habetur per Bald. in l. voluntas, num. 9. C. de fideiuss. Tiraq. in retr. Lignager, in præfat. num. 36. Neguf. & alij, quos nos retulimus in nostris Commentar. in Extrauag. Pij V. de censib. §. 5. q. 44. concl. 1. vbi idem probauimus locum sibi vendicare in pignoribus datis citra luitionis spem in contractu census: quoniam censentur data pro pretij cēsus restitutione, eiusdemque redemptione; ita vt pensiones in futurum pro tali censu non debeantur.

Tertiò limitatur prædicta conclusio, vt
10 in pignore infructifero præsertim locum habeat: nam si in contractu cambij detur pignus fructiferum, fructus campsor debet in sortem computare: aliàs contractus esset illicitus, vt rectè declarat idem Scac. d. q. 7. p. 2. ampl. 12. sub num. 4. Quod verum puto nisi pignus, deductis expensis, non plures fructus afferat, quàm sufficientes sint ad campsoris stipendij satisfactionem: nam illos posset sibi retinere pro stipendio, quod ex cambio sibi debetur, per ea, quæ nos adnotauimus in Commentar. in d. Extrauag. Pij V. §. 5. q. 43. de pignore fructifero dato in censu consignatiuo tractantes.

Quartò limitatur ipsa conclusio, vt quam-
11 uis pignora, & fideiussores in cambio adhiberi possint; nihilominus campsor cùm pignora, & fideiussores accipit, debet minus pretij pro cambio percipere, quàm si perciperet, pignoribus, vel fideiussoribus non datis: siquidem hoc casu tutior efficitur, & minori periculo exponitur, vt habetur ex Tolet. lib. 5. suæ sum. cap. 52. num. 2. Ioan. de Salas, loco citato, in fin. & Molf. d. c. 7. num. 69.

Ad contraria modo patet responsio ex Scac. d. ampl. 12. loquitur enim Hieron. de

Luc.

Luc. citra auctoritatem: nam adde re, se tutum non est damnabile, quin potius laudabile: & ad Ioan. Bapt. dicitur, quòd concessò eius dicto, non pignus, sed credulitas impotentiæ inficeret cambium.

An campsor dans pecuniam ad cambium in vno loco, sibi reddendum in alio, si ibi eam Princeps auxerit post celebratum cambium, possit eandem integram exigere. Q. XXV.

SVMMARIVM.

1 *Tituli quæstionis declaratur, & facti species ponitur.*
2 *Pecuniam datam cambio, si augeatur eius valor in loco destinata solutionis, non esse totam restituendã, qui doceant, recensentur.*
3 *Mutuans centum, si post mutuum creuit pecunia valor, non potest repetere integra centum.*
4 *Mutuans centum aureos, vt totidem sibi reddantur tempore, quo pecunia valor fuerit auctus, vel probabiliter putat augẽdum, vsuram committit.*
5 *Pecunia contingit mutari dupliciter, nempe quoad eius bonitatem, & malitiam intrinsecam: & quoad eius bonitatem, vel malitiam extrinsecam.*
6 *Pecunia solutio in cambijs, in loco destinata solutionis, solet promitti dupliciter; nempe in certa, ac determinata specie: vel in moneta currenti, tempore celebrati contractus, aut tempore solutionis facienda.*
7 *Cambium cùm promittitur soluendum in loco condicto, in certa, ac determinata pecuniæ specie, standum est conuentioni, si extet: & si non extet debetur eius æstimatio.*
8 *Cambium cùm promittitur soluendum in scutis marcharum, qui sunt fictitij, tunc soluitur eius valor in scutis aureis, nisi illa fuerint mutata quoad bonitatem intrinsecam: quia tunc attendendus est valor, quem habebant tempore celebrati contractus.*
9 *Cambij solutio cùm promittitur fieri in scutis auri in auro, boni, ac iusti ponderis, & sic in pecunia indeterminata quoad formam, & determinata quoad materiam, standum est conuentioni.*
10 *Cambij restitutio cùm promittitur fieri in pecunia determinata, standum est conuentioni, tàm in foro externo, quàm interno.*
11 *Mutui restitutio, cùm promittitur in pecunia certa, ac determinata, standum est conuentioni.*
12 *Pecunia conuenta augmentum, & diminutio pertinet ad creditorem.*
13 *Cambij solutio, tunc debetur in pecunia conuenta, quando est mutata, quoad bonitatem extrinsecam: secus autem si quoad bonitatem, & malitiam intrinsecam.*
14 *Pecunia conuenta species si non reperiatur tempore solutionis facienda; nisi cum magna difficultate, tunc eius solutio debet fieri in moneta currenti, iuxta tamen valorem conuenta.*
15 *Difficultas magna in moralibus habetur pro impossibilitate.*
16 *Pecunia mutata in bonitate intrinseca, soluenda est in moneta conuenta, si extet; & si non extet in moneta currenti tempore solutionis, iuxta valorem moneta, quæ currebat tempore celebrati contractus.*
17 *Cambij solutio debet fieri in pecunia, vel in eius valore, qui currebat tempore celebrati contractus, si pecunia mutata fuerit quoad bonitatem intrinsecam.*
18 *Cambij solutio debet fieri in pecunia, vel in eius valore, qui currebat tempore celebrati contractus, si mutata fuerit quoad bonitatem intrinsecam, siue conuentio fuerit de specie determinata, siue de moneta currenti, siue simpliciter de solutione.*
19 *Cambij solutio est facienda in moneta, quæ currebat tempore celebrati cõtractus; etiam si campsarius non fuerit in mora soluendi cambium, si pecunia mutata sit quoad bonitatem intrinsecam.*
20 *Cambij solutio facienda est de moneta, quæ currebat tempore celebrati contractus, etiã si conuenta fuerit solutio in scutis imaginarijs.*
21 *Mutuata pecunia, si fuerit quoad bonitatem intrinsecam, debet restitui in moneta, quæ currebat tempore celebrati contractus, vel eius valore, etiam ante moram.*
22 *Vini mutuati restitutie facienda est in mensuris, quæ extabãt tẽpore illius mutuationis,*

si mensura postea fuerint diminutæ, vel auctæ.

23 *Cambij solutio non est facienda in pecunia, quæ currebat tempore celebrati contractus, si tunc probabilis timor erat eiusdem mutationis intrinseca.*

24 *Cambij solutio non est facienda in pecunia, quæ currebat tempore celebrati contractus, si mutatio ipsius quoad bonitatem intrinsecam fuerit facta à campsore.*

25 *Cambij solutio non est facienda in pecunia, quæ currebat tempore celebrati contractus, si aliter inter partes fuerit conuentū, etiam si mutata sit quoad bonitatem intrinsecam.*

26 *Cambij solutio non debetur in pecunia, quæ currebat tempore celebrati contractus, licèt mutata sit intrinsecè, quando campsor aliud monetæ genus acceperit solutionis tempore, non reluctans.*

27 *Moneta materia talis censetur facta promissio; qualis ostenditur facta solutio.*

28 *Cambij solutio non est facienda in pecunia currenti tempore contractus, etiam si mutata sit intrinsecè, quando in contrarium extat consuetudo.*

29 *Cambij solutio facienda est in moneta currenti tempore solutionis facienda, quando fuerit mutata quoad bonitatem, vel malitiam extrinsecam.*

30 *Pecunia destinata solutioni, si fuerit mutata quoad bonitatem extrinsecam, id cedit ad lucrum, vel damnum illius, cui facienda est solutio.*

31 *Cambij solutio facienda est in pecunia currēti tempore solutionis, si mutata sit extrinsecè; etiam si de moneta currente tantùm fuerit conuentum.*

32 *Mutuata pecunia si fuerit mutata in bonitate extrinseca, reddenda est in moneta currente tempore restitutionis facienda.*

33 *Mutuans tres corbes frumenti, si tempore restitutionis facienda frumenti pretium augeatur, an & quando repetere possit integras tres corbes, declaratur.*

34 *Campsor si in mora fuerit recipiendi pecuniam sibi restituendam, & interim creuerit eius valor, vel decreuerit, id cedit in damnum ipsius campsoris.*

35 *Cambij solutio non debet fieri in moneta currente tempore solutionis facienda, etiam si mutata fuerit in valore extrinseco, quando campsor receperit vnam speciem moneta pro alia citra contradictionem.*

36 *Cambij solutio est facienda in moneta conuecta, etiam si mutata fuerit quoad valorem extrinsecum.*

37 *Cambij solutio facienda est in moneta iuxta loci consuetudinem, siue moneta mutetur quoad valorem extrinsecū, siue intrinsecū.*

38 *Mutuans aliquando accipit plusquam dedit, non tamen vltra sortem.*

39 *Doctores circa monetarum variationem cōfusè sunt locuti.*

40 *Differentia inter mutuum pecuniæ, & inter mutuum aliarum rerum, quam quidam constituunt, non admittitur.*

1 AD tituli explicationem ponamus casum, quòd Titius campsor Venetijs dederit Scio ad cambium 100. scuta, vt cābita sibi reddantur Neapoli post duos menses. Accidit, quòd post celebratū huiusmodi contractum, Rex valorem scuti auxerit vno caroleno, ita vt dum tempore celebrati contractus scutum Neapoli valeret carolenis vndecim, ad præsens, & tempore solutionis faciendæ valeat duodecim: Quæritur, an ipse campsor possit percipere Neapoli integra scuta centum, plura, vel pauciora.

In hac re Filliuc. tom. 2. qq. moral. tract.
2 35. cap. 11. q. 2. sub num. 486. putat eo casu non esse reddenda campsori integra illa scuta 100. sed tantùm 90. quoniam hæc aucta valent tot carolenos, quot valebāt 100. scuta ante eorum auctionem: aliàs plus exigeret, quàm dederit in ratione pecuniæ. Sic mutuans 10. rublos tritici continētes singuli singulos 12. stadios, si deinde augeretur rublus ad 13. stadios, non posset tēpore, quo reddendum est mutuū recipere 10. rublos integros, sed nouē, & tres stadios dumtaxat: hi namque efficiunt 120. stadios, quot erant in 10. rublis. Hanc eandem sententiam videtur tenere Bann. 2. 2. tom. 2.
3 tract. de cāb. dub. 6. concl. 3. Ledes. 1. par. sum. tract. 8. cōcl. 11. de cāb. Eman. Rodriq. in sum. p. 2. c. 105. num. 2. & seq. ac Ioan. de Salas eod. tract. dub. 29. loquentes de eo, qui mutuat scuta 100. & post mutuū creuit pecuniæ valor; nā is, qui mutuū accepit, nō tenetur integra scuta reddere, sed pauciora: quia.

quia si exigeret integra 100. plus exigeret, quàm dedi. Nec obstat si dicatur, quòd licèt dare mutuo rublum tritici tempore, quo valet quinque scuta, vt reddatur deinde tempore, quo valet sex, quoniam respondent præfati Doctores, quos sequitur Salas, & Filliuc. locis citatis, non esse eandem rationem de tritico, ac pecunia: siquidem licèt augeatur pretium tritici, semper substātia est eadem, idemque vsus: at pecuniæ pretio variato, variatur eius substantia in ratione pecuniæ: siquidem valor est substantia, & forma pecuniæ in ratione pecuniæ.

Anglès verò q. de camb. ar. 8. concl. 5. 4 inquit, quòd si quis det centum scuta, vt totidem reddantur, quando pretium fuerit auctum, vel probabilius putans augendum, vsuram committit: quòd si quis ea dederit sub ea conditione, vt totidem reddantur, siue pretium fuerit auctū, siue diminutum, contractum arbitratur esse iustum: sicut si mutuet frumentū, vt totidem sibi reddatur tali tempore, in quo erat illud seruaturus, vel probabile erat plus, minusuè eo tēpore valiturū. Vndè hæc sententia videtur aduersari superiori; quæ etiā est Soti, dicētis mutuantem 100. simpliciter, nō posse totidem exigere, si pretium postea augeatur.

Nos autem in hac difficultate distinguendum 5 esse putamus, & dicimus, quòd moneta quoad rem nostrā attinet, post celebratū cābij contractum, contingit mutari dupliciter. Primò quoad eius bonitatē, vel malitiā extrinsecā, vt quia scutus aureus erat magis vel minus expendibilis tempore celebrati contractus, quàm hodie, in quo facienda est cambij solutio: vel quoniam tempore contractus erat maior, aut minor copia pecuniæ, quàm ad præsens tempore solutionis faciendæ: vel eo quòd tempore celebrati contractus, scuto aureo à Rep. vel Principe fuerat cōstitutum minus, aut maius pretiū, quàm tempore solutionis cambij in loco condicto. Secundò contingit mutari monetam, atque ideo augeri, vel minui quoad bonitatem, vel malitiam intrinsecā, vt quia scutus aureus erat tempore contractus ex auro impuro, vel ex puro, sed diminuto, & ad præsens tempore solutionis cambij, esset ex auro puro, aut impuro, sed aucto in pondere; aut è conuerso tempore celebrati contractus aureus erat ex auro purissimo, & ideo æstimabatur tredecim argenteis: hodie verò tempore solutionis æstimatur tantùm duodecim, quamuis sit eiusdem pōderis, quoniam eius materiæ est contaminata; atque ideo aurum mixtum argento, vel ęre: vel si aureus erat per prius purus sine admistione alterius metalli: sed hodie in loco vbi solutio cambij est facienda est diminutus in pondere, vt patet ex ijs, quæ habentur ex Scac. de commerc. & camb. §. 1. glos. 5. num. 117.

6 Secundò est adnot. quòd tempore celebrati contractus solet fieri conuentio inter contrahentes, vt solutio cambij in loco cōdicto; fiat de certa, ac determinata specie scutorum, nempe de scutis Hispaniarum, Venetiarum, Ianuæ, Florentiæ, Neapolis, aut Marcharum, &c. aliquando verò cāpsor tempore celebrati contractus dat cambio 100. aureos in auro, vel in diuersis monetarum speciebus, nec fit speciale pactum de soluendo cambio, condictis loco, & tempore, in hac, vel illa specie monetarum: quandoque solet fieri pactum, vt solutio fiat de moneta currenti tempore celebrati contractus, vel currenti tempore solutionis faciēdæ: & denique solet fieri pactum de soluendo cambio de moneta currente, non exprimendo ad quod tempus monetæ cursus sit referendus: aut de certo genere monetarū; sed datur electio cāpsuario, vt soluat vnum, aut alterum genus ad eiusdem arbitrium. His breuiter sic adnotatis, sit

Prima Conclusio.

7 Qvando vigore conuentionis initæ solutio cambii in loco condicto facienda est de certo monetarum genere, campsuarius tenetur de iure stare conuentioni, nec campsor cogi potest aliud monetarum genus accipere, si tale monetæ genus reperiatur solutionis tempore. Probatur, quia quando certa monetæ species est promissa, quæ extet tempore, quo debet fieri solutio, illa species est soluenda; vel si non extet, eius valor, seu æstimatio tempore solutionis faciendæ, vt habetur per Bart. & Doctor. in l. Paulus, ff. de solut. Aret. cōs. 11. num. 3. Cagn. in l. 2. C. de pact. inter empt.

& vendit. Aim. conſ. 47. & extat deciſ. Ro-
tæ Rom. 216. num. 2. & 3. poſt Cenc. tract.
de cenſib. impreſſa, & poſt noſtra Com-
ment. in Extrauag. Pij V. de forma crean.
cenſ. in vna Romana pecuniaria, 23. Ianuar.
1589. coram R. P. D. Penia: quibus adde
ea, quæ adnotauimus in dictis Comment.
§. 3. q. 6. concl. 3. vbi hoc idem diximus
circa ſolutionem penſionis cenſus.

Ampliatur hæc concluſio, vt vera ſit non
8 tantùm quando ex forma obligationis de-
betur aliquod monetarum genus determi-
natum, & exiſtens in rerum natura, qualia
ſunt ſcuta aurea ſolis, plaſtræ Florentinæ, &
his ſimiles; verum etiam ſi conuentio ſolu-
tionis fiat in moneta nō exiſtente in rerum
natura; nempe in ſcutis Marcharum: nam
tunc deberetur eorum valor in ſcutis aureis
iuſti ponderis; quæ ſcuta debent eſſe ex
quinque tantùm impreſſionibus, nempe
Hiſpaniarum, Venetiarum, Ianuenſium,
Florentiæ, ac Neapolis, vt infra, Deo duce,
dicemus de cambio ad nundinas agentes:
nam de his intelligitur promiſſa ſolutio,
quæ promittitur de ſcutis marcharum; niſi
ſcuta illa fuerint immutata quoad bonita-
tem intrinſecam: quoniam tunc attenden-
dus eſt valor, quem habebant tempore ce-
lebrati contractus, vt patet ex iis, quæ ha-
bentur ex Scac. de commerc. & camb. §. 2.
gloſ. 5. num. 184. 185. & 190. & infra latius
explicabimus: quibus adde, quæ adnotaui-
mus in ſupradictis noſtris Commentar. §. 3.
q. 6. concl. 1. ampl. 3.

Secundò ampliatur eadem concluſio, vt
9 locum habeat etiam quando fuit initum pa-
ctum de ſoluendo cambio de moneta inde-
terminata quoad formam; ſed determinata
quoad materiam: vt ſi conuentum fuerit, vt
ſolutio fiat in ſcutis auri in auro boni, & iu-
ſti ponderis: nam vt huiuſmodi verba ali-
quid operentur, auferunt campſuario fa-
cultatem faciendi ſolutionem in alia mate-
ria: nec eo caſu ſolui poterunt omnia ſcuta
aurea, ſed debent ſolui ſcuta, quæ ſint boni,
& iuſti ponderis, vt patet ex iis, quæ haben-
tur ex Bart. in l. Paulus, ff. de ſolut. Boer. de-
ciſ. 327. num. 3. & ex aliis cumulatis à Rota
Rom. deciſ. 219. num. 3. & 4. poſt Cenc.
tract. impreſſa in vna Cremonenſis penſio-
nis, 15. Iunij 1598. coram R. P. D. Orano:
quibus adde, quæ diximus d. q. 6. concl. 3.
ampl. 1.

Tertiò ampliatur dicta cōcluſio, vt pro-
10 cedat non ſolùm quoad forum exterius; ſed
etiam quoad forum interius; cùm id nō ſo-
lùm non ſit contra ius humanum; ſed nec
quidem contra ius naturale, ac Diuinum,
quæ iura conſiderantur quoad forum inte-
rius, vt per Scac. de commerc. & camb. §. 1.
q. 1. num. 213. & alios.

Quartò ampliatur, vt vera ſit etiā in mu-
11 tuo, ita vt, qui mutuat 100. ſcuta aurea Hi-
ſpaniarum, reſtituēda ſibi poſt aliquot tem-
pus, ſi huiuſmodi ſcutorum valor augeatur,
cedit in vtilitatem mutuantis: quia vbi cer-
ta ſpecies eſt promiſſa, ea ſolui debet, quæ
tempore ſolutionis faciendæ extat: quare ſi
ſcutus mutuo datus valebat tempore mu-
tui vndecim argenteis, & tēpore ſolutionis
valet duodecim, ſunt reſtituēdi iulij duode-
cim; quia valor pecuniæ mutuatæ attenditur
non ſecundum tempus mutui, ſed ſecūdum
tēpus reſtitutionis, vt habetur ex Azor. p. 3.
Inſt. moral. lib. 10. tit. de camb. cap. 7. q. 2.
verſ. Duæ ſunt: & verſ. Hæc quæſtio: qui te-
ſtatur, hanc ſententiam eſſe communem, &
ſequitur eam Scac. d. gloſ. 5. ſub num. 148.
& ſeq. vbi num. 152. contraria oppoſitæ
ſententiæ ſoluit.

Quintò ampliatur, vt ſicut augmentum
12 monetæ conuentæ cedit in vtilitatem cā-
pſoris, vt ſupra probauimus; ita etiam, &
monetæ diminutio: quia monetæ conuentę
tàm lucrum, quàm damnū pertinet ad cre-
ditorem, vt habetur ex Anton. de Sola poſt
alios, tract. de monet. caſ. 24. num. 1. & ſeq.
quos refert Scac. loco citato; qui id locum
ſibi vendicare docet etiam in mutuo.

Sic ampliata limitatur eadem concluſio,
13 vt tunc determinata monetarum ſpecies
promiſſa debeatur, quando eſſet mutata
quoad bonitatem, & malitiam extrinſecam
dūtaxat, iuxta ea, quæ ſupra adnotauimus in
primo not. & infra concl. 3. latius dicemus:
ſecus autē ſi mutata foret quoad bonitatē,
vel malitiam intrinſecam: quoniam eſt at-
tendenda bonitas intrinſeca, quam moneta
habebat tempore celebrati contractus; non
autem, quam habet tempore ſolutionis: ve-
rum poteſt fieri ſolutio de moneta noua,
habito reſpectu ad valorem intrinſecum
an-

antiquæ promissæ, qui currebat tempore promissionis initæ, vt patet ex ijs, quæ habentur ex glos. in c. olim, & c. canonicis de censib. & ex decis. Rotę Rom. 214. num. 2. & 3. post nostra Commentar. in Extrauag. Pij V. de censib. impressa, in vna Foroliuien. sis census, 12. Iunij 1609. coram R. P. D. Iusto: vbi ex Socc. iun. cons. 145. num. 95. lib. 3. hanc esse rationem ait; quia tunc verè debitor minus solueret, quàm reciperet: quibus adde, quę adnotauimus in dictis nostris Commentar. §. 3. q. 6. concl. 3. limit. 2. de solutione pensionis census agentes.

Secundò limitatur supradicta conclusio,
14 quòd vbi facta est conuentio de soluendo cãbio in certa, ac definita monetarum specie, si talis species reperitur solutionis tempore, sed non sine magna difficultate, tunc solutio fieri potest in alia moneta, iuxta tamen valorem conuentæ, qui currit tempore solutionis faciendæ: quia magna difficul-
15 tas in moralibus habetur pro impossibilitate, vt habetur per Dec. in l. non potest facere, in fin. ff. de legat. 1. Imò si in aliquo loco adsit consuetudo soluendi vnam monetam pro alia moneta conuenta, vi consuetudinis eam accipere compellitur campsor; quod an sit verum latè declarauimus d. concl. 3. lim. 4. quibus adde ea, quæ cumulantur per Scac. d. §. 2 glos. 5. num. 102. cum plur. seq. vbi rem hanc latè pertractat, & concludit, num. 106. quòd creditor tenetur recipere pecuniam æquiualentem conuentæ; etiam si moneta, ad quam debitor est obligatus reperiretur, stante prædicta consuetudine, dummodò creditor ex æquiualentis solutione damnum aliquod non patiatur: alias secus, vt habetur ex eodem Scac. ibidem, num. 104.

Secunda Conclusio.

16 VBi moneta, quæ currebat tẽpore celebrati cõtractus, fuerit mutata quoad bonitatẽ intrinsecam, solutio cambij facienda ẽst de moneta, quę currebat tempore contractus, si extet, & campsoris intersit: si verò non extet debet fieri solutio de moneta currente tempore solutionis, iuxta valorem tamen monetæ antiquæ, quæ currebat tempore contractus: & id siue fuerit cõuentum de soluendo cambio de certa specie monetæ: siue in moneta currente tempore solutionis faciendæ: siue quòd solutio fieret de moneta currente, non exprimendo ad quod tempus monetæ cursus sit referendus: vel denique fuerit simpliciter cõuentum de solutione.

Probatur conclusio quoad primam par-
17 tem: quia quando pecunia in pondere, & in bonitate intrinseca mutatur solutio debiti semper fieri debet de pecunia, quæ erat tẽpore celebrati contractus, & sic de moneta antiqua, si fieri potest; vel si non potest de noua ad valorem tamẽ antiquæ, vt habetur ex Bart. in l. Paulus, num. 6. ff. de solut. & in l. cùm quid num. 17. vbi etiã Paul. de Castr. num. 5. & Alex. num. 16. ff. si cert. petat. Soc. cons. 298. ante med. lib. 2. Corn. cons. 321. vers. Hoc tamen non obstante, lib. 3. Aim. cons. 47. sub num. 6. Afflict. decis. 90. num. 3. Natta cons. 302. num. 1. & in terminis quando pecunia fuit diminuta propter tonsionem declarat Felin. in c. quanto, sub num. 12. vers. Item ex defectu pecuniæ, de iureiur. Menoch. cons. 49. num. 25. Surd. cons. 335. num. 8. in fin. & num. 9. Boer. decis. 327. num. 13. Viuis in sua Syl. opin. 513. Scac. de commerc. & camb. §. 2. Glos. 5. num. 178. cum alijs, quos allegat, & extat decis. Rotę Rom. 222. num. 1. post dicta nostra Commentar. & Cenc. tract. de censib. impressa, in vna Foroliuiensis census, 11. Febr. 1602. coram Cardinale Ludouico postea Gregor. XV. P. M. vbi testatur, hanc esse communem Doctorum sententiam, & pro ea facit tex. in cap. pen. de censib. Ratio autem hæc est, quoniam si cambij solutio facienda esset non secundum bonitatem intrinsecam, quam pecunia habebat tempore celebrati contractus; sed iuxta bonitatem, vel malitiam intrinsecam, quam habet tempore solutionis, tunc campsor vel maius, vel minus reciperet, quàm dederit: quod esset iniquum: quibus adde, quæ cumulauimus in d. nostris Commentarijs, §. 3. q. 6. concl. 1. de censu tractantes. Secunda pars conclu-
18 sionis patet, quia militat eadem ratio, siue conuentum fuerit, vt solutio cambij fiat de determinata monetarum specie, vt supra diximus conclus. prox. lim. 1. siue conuentum fuerit de soluendo cambio in moneta

currente,&c. quia istud pactum operatur, vt non possit cogi debitor soluere de moneta antiqua, quæ erat tempore contractus; sed vt possit soluere de noua currenti iuxta valorem antiquæ; non autem de moneta currenti diminuta, vel aucta quoad bonitatem intrinsecam, vt latè probauimus d.quæst.6. concl.1.ampl.1. de solutione pensionis cẽsus agentes: pro qua re attulimus decis. Rotæ Rom.214. num.7. & 8. post dicta nostra Comment. & Cenc. tract. de censib. impressam, in vna Forolouiensis census, 12. Iunij, 1609. coram R.P.D. Iusto.

Ampliatur primò hæc conclusio, vt pe-
19 cunia mutata quoad bonitatem intrinsecam, siue aucta fuerit, siue diminuta, iuxta ea, quæ adnotauimus in primo not. campsuarius cambij debitor teneatur cambium soluere de moneta, quæ currebat tempore celebrati contractus, etiam si non fuerit in mora soluendi cambium, vt patet ex ijs, quę cumulauit Scac. d.glos.5. num.178. prope fin. Siquidem militat eadem ratio: nam si eo casu solutio cambij facienda esset iuxta bonitatem, vel malitiam, quam habet moneta tempore solutionis, tunc campsor vel minus credito consequeretur, vel campsuarius minus debito solueret.

Secundò ampliatur eadem conclusio, vt
20 locum habeat, siue tempore cõtractus fuerit conuentum de soluendo cambio in certa, ac determinata monetarum specie in rerum natura existente; siue quæ in rerum natura non existat; atque ideo esset imaginaria, qualis est scutus marcharum, libra, &c. nam campsuarius non liberaretur si scutos illos imaginarios vellet soluere in moneta, cuius bonitas intrinseca ad præsens esset diminuta: sicut nec cãpsor è conuerso audiretur, si dicta moneta esset aucta, & peteret incrementum; sed scuti illi imaginarij essent soluendi ad æstimationem bonitatis, cuius moneta erat tempore celebrati contractus, vt constat ex ijs, quæ tradita fuerunt ex eodem Scac. loco citato, num.184. & Cenc. de censib. p.2. cap.2. q.4. art.4. num.15. & 16. quibus adde, quæ nos diximus in dictis nostris Commentar. §.3. q.6. concl.1. ampliat.3. & 4. de solutione pensionum, & redemptione census, eiusdemque pretij restitutione tractantes.

Tertiò ampliatur ipsa conclusio, vt non
21 tantùm vera sit quoad cambij solutionem condicto tempore; sed etiam quoad restitutionem pecuniæ mutuatæ; nam si pecunia mutata fuerit quoad bonitatem intrinsecam tempore restitutionis faciendæ, pecunia mutuata est restituenda iuxta æstimationem, & valorem eius, quem habebat tẽpore celebrati contractus, vt habetur ex Scac. d. num.178. circa finem, vbi id ampliat etiam ante moram; & num.181. id verum esse putat, etiam si mutuum consistat
22 in alijs rebus; atque ideò ait, quòd si tu mihi deberes decem amphoras maluasiæ in genere, quæ tempore celebrati contractus fuisset optima, & tempore restitutionis, seu traditionis non esset bona; aut amphoræ mensura diminuta à Principe, vel à Repub. tunc esset recurrendum ad tempus celebrati contractus. Idem dicendum est de deposito, vt per eundem Scac. ibi, sub d. num. 178. quibus adde, quæ diximus d.q.6. cõcl. 1. ampl.5. à num.11. ad 12.

Sic ampliata limitatur supradicta cõclu-
23 sio, vt locum sibi vendicet, quando tempore celebrati contractus non extiterit timor mutationis monetæ, eiusdemque valoris; aliàs si tunc temporis talis timor erat, solutio debiti facienda esset iuxta valorem currentem tempore solutionis, vt patet ex ijs, quæ tradita fuerunt ex Anton. de Butr. & Panor. in c. quanto, col. pen. de iureiur. Couar. de collat. veter. numismat. cap.7. §. vnico, num.3. vers. Quarta conclusio, Feder. Mart. in suo tract. de iure cens. cap.5. num.
24 75. & Cenc. d. ar.4. num.29. Idem dicendũ est si campsor causa fuerit mutationis monetæ, iuxta ea, quæ adnotauimus d. quæst.6. concl.1. limit.3.

Secundò limitatur prædicta cõclusio vt
25 procedat, nisi inter contrahentes aliter cõuentum sit; nempe quòd solutio cambij fiat de moneta currentę tempore solutionis faciendæ, quamuis in bonitate intrinseca fuerit immutata: quoniam tunc standũ est conuentioni, nec habenda est ratio mutationis monetæ, quocunque modo mutetur, siue in intrinseca, siue in extrinseca mutatione, vt constat ex ijs, quæ habẽtur per Bart. in l. Paulus, in fin. ff. de solut. Bran. in suo tract. de augmento, & diminutione mone-

ta,

tæ, concl,vlt.verſ. Octauo fallit:Imol. in l. pen.§.ſi mancipia, ff.ſol. matr.Couar. de collat.veter.numiſ.cap.7.§.vnico, num.5. Aret.conſ.112.ante num.1.verſ. Pro veritate,Calcan.conſ.15.num 48.verſ.Et eandem opinionem, in fin. Crauet.conſ.836. num. 1. verſ. Sed enim ius: quibus adde quoque ea, quæ nos latè cumulauimus d. q.6.concl.2.limit.4.à num.35.ad 39.

Tertiò limitatur dicta concluſio, vt vera
26 ſit, niſi campſor cambij ſolutionem receperit, condictis loco, & tempore in vna ſpecie monetæ pro alia citra contradictionem aliquam: nam in materia monetæ talis præ-
27 ſumitur facta promiſſio, qualis oſtenditur facta ſolutio, l. Iulianus,§.proinde,ff.ad Maced.l.ſi certis annis, vbi poſt Angel. num. 11.Alex.C.de pact.Soc.cõſ.145. ſub num. 3. lib. 1. Corn. conſil.181. num 73. lib.2. Brun. in tract. de augm. mon.q.12.in prin. & patet ex traditis per Cenc.d.ar.4.num.1. & ſeq. qui id ampliat, verum eſſe, etiam ſi obſeruantia ita ſoluendi non fuerit legitimè præſcripta:quibus adde, quæ diximus d.q.6.limit.5.à num.16.ad 18.

Quartò limitatur præfata concluſio,niſi
28 aliter de conſuetudine ſeruetur, vt in ſolutione facienda quoad extinguendum debitum, cuius vigore eſt in electione debitoris ſoluere monetam,quæ eſt in obligatione, vel illius valorem iuxta tempus ſolutionis ad ſui libitum, vt per Bart. & alios in d.l. Paulus,ff.de ſolut. Curt.conſ.24. num.1.& 2.cum alijs,quos nos retulimus d.q.6.cõcl. 1.limit.6.

Tertia Concluſio.

VBi moneta,quæ currebat tempore
29 celebrati contractus fuerit mutata ſecundũ bonitatem extrinſecam modo ſupra explicato,not.1.tunc ſolutio cambij eſt facienda de moneta currente tempore ſolutionis faciendæ; non autem de moneta iuxta valorem, quem habebat tempore celebrati contractus. Hæc concluſio patet ex ijs, quæ reſoluta fuerunt ex Rota Rom. deciſ.216.poſt noſtra Commentar. in Extrauag.Pij V.de cenſib. impreſſa in illa Romana pecuniaria, 25. Ianuar. 1589. coram R.P.D. Penia, in illis verbis, *Nam quando variatur extrinſecus monetæ valor ſine dubio non debet attendi tempus contractus, ſed tempus ſolutionis*, Aret.conſ.11.num.3. Confirmatur ex eadẽ Rota poſt eadem Commentar.deciſ.219. num.9. in vna Cremonenſis penſionis 15. Iunij 1598. coram R.P.D. Orano: quæ hanc concluſionem ampliãs in omnibus debitis locũ habere, eandẽq; pro
30 regula ponens, ſic ait, *Et propterea ſuccedit regula, quòd quoties moneta deſtinata ſolutioni augetur, vel minuitur in valore extrinſeco, id cedit ad commodum, vel damnum illius, cui facienda eſt ſolutio.* His etiam adde, quæ tradita fuerunt ex Andrea Gail. pract. obſer. lib.2. obſer.73 num. 9. Crau. conſ. 836. num.1. verſ.Argumẽtis,lib.5.Felic.rom.2. de cenſib. lib.4. cap. vnico, ſub num. 30. verſ.Vbi autem:Peder. Mart.in ſuo tract.de iure cenſ.cap.5.num.70.& Cenc.d.art.4. num.25.cũ alijs innumeris, quos allegant, qui loquentes de ſolutione penſionum cenſus,dicunt, hanc ſententiam eſſe magis communẽ:& in Hiſpania iure Regio approbatam fuiſſe teſtatur Couar. in tract.de collat. veter. numiſm. cap.7 §. vnico, num.2. verſ. Quarta concluſio,ad fin.& Felic. loco citato. Hanc eandem opinionem latè proſequitur Scac. de commerc. & camb. §.2. Gloſ.5.num.177. vbi pro hac concluſione plures alias Rotæ Rom.deciſiones allegat, & num.181.rationem hanc eſſe ait; quia in alijs mercibus cõſideratur bonitas intrinſeca,& extrinſeca, & ponit exemplum in eo, qui ex mutuo, aut ex alio contractu debet certam ſpeciem vini,eandemque ſoluat condicto tempore, ait,quòd nõ attenditur, an valor ſit auctus,vel diminutus: ſiquidem tàm augmentum, quàm diminutio ſpectat ad creditorẽ, Saly.in auth.ad hæc num.17. q.19.C.de vſur.& alij:& in terminis cambij idem Scac.poſt alios probat eod. tract.§.1. q.1.num.409.& rationẽ hanc eſſe ait; quia licèt ſit plus accipere; tamen non eſt vltra ſortem accipere.

Ampliatur primò hæc concluſio, vt ſolu-
31 tio cambij facienda ſit de moneta currente tempore ſolutionis, vbi variata foret in valore extrinſeco, ſiue tempore celebrati contractus fuerit conuentum de ſoluendo cambio in moneta currente tempore ſolutionis faciendæ: ſiue de moneta currente,

non

non exprimendo ad quod tempus monetę cursus sit referendus: vel demũ fuerit simpliciter de solutione conuentum: siquidem talis conuentio semper intelligitur de cambij solutione facienda in pecunia vsuali, & currente tempore solutionis, vt colligitur ex ijs, quæ habentur per Cenc. d. art. 4. sub num. 6. & 7. & extat decis. Rotæ Rom. 214. num. 7. & 8. post eiusdẽ Cenc. tract. in causa Foroliuiensis census, 12. Iunij 1609. coram Iusto, cuius meminimus d. §. 3. q. 6. concl. 2. ampl. 1. num. 23. & 24. de solutione pensionum census agentes: vbi num. 25. idem dicendum esse diximus si fuerit facta conuentio pro soluendis annuis redditibus, dare tot marchas, aut libras, vel solidos in nummis aureis, vel argenteis: siquidem censuarius satisfaceret obligationi soluendo quantitatem promissam in aureis, vel argẽteis nummis, iuxta valorem, ac æstimationẽ, quæ viget tempore solutionis, si mutatio pecuniæ extrinseca tantùm foret, non autem intrinseca. Quod quidem locum sibi vendicare diximus ibidem, num. 26. etiam in restitutione pretij census in eius redemptione, vt habetur ex Felic. tomo 2. de censib. lib. 4. cap. vnico, num. 30. vers. verum inter Principes.

Secundò ampliatur eadem conclusio, vt
32 locum sibi vendicet etiam in mutuo: nam si moneta mutata sit quoad valorẽ extrinsecum, restitutio pecuniæ mutuatæ faciẽda est de moneta iuxta æstimationem tempore solutionis, vt latè probat Scac. d. Glos. 5. num. 148. cum plur. seq. vbi soluit cõtrariat & num. 181. id ampliat quoque in mutuo aliarum rerum, & in omnibus alijs debitis: & d. num. 148. multa etiã dicit de deposito. Vndè idẽ Scac. ait eod. tract. §. 1. q. 1. num. 415. quòd si quis mutuat tres corbes fru-
33 mẽti, & tẽpore quo reddi debet, efficiatur carius, tunc reddi debent tres corbes, & nulla committitur vsura: quoniam si efficeretur vilius; nihilominus mutuanti adhuc tres corbes essent reddendę, & non plures, vt habetur ex Archid. in c. si quis clericus, circa fin. 14. q. 4. Laurent. de Rodul. in cap. cõsuluit p. 2. q. 27. num. 9. 10. & 28. de vsur. & latius p. 3. num. 1. 2. & 3. eod. tit. Arch. Florent. tract. de vsur. cap. 2. §. 49. 79. & 80. siquidem qui mutuat vnam corbem frumẽti, quæ nunc valet vnum aureum, & quando recipit valet duos, licèt receperit plus quàm dederit; non tamen dicitur recipere vltra sortem, vt habetur ex Alex. cõs. 61. viso processu, sub num. 13. vers. Nec obstat, lib. 2. Quod quidẽ verum orbitror, quando moneta, aut alia res crescit in valore extrinseco, & mutuans erat illam seruaturus, nullo existẽte pacto, nullaue existente probabilitate illius maioris valoris, nec si illius gratia mutuum factum sit, vel mutuans fecisset pactum, vt redderetur eiusdem speciei: quod intellige prout rectè declarat idem Scac. d. §. 1. q. 1. à num. 410. vsque ad num. 422. & §. 2. Glos. 5. num. 148. & seq.

Sic ampliata limitatur ipsa conclusio, vt
34 locum non habeat, quando campsor, & sic creditor cambij esset in mora in recipiẽda solutione cambij: nam si post morã crescat valor pecuniæ, id cedit in detrimentum ipsius campsoris; nõ autem campsuarij: siquidem ita dicitur de quolibet creditore moroso in recipienda solutione pecuniæ, vel alterius rei sibi debitæ, vt habetur ex Paul. Castr. in d. l. Paulus, num. 4. ibi, & è conuerso, ff. de solut. Brun. tract. de monet. limit. 1. num. 2. in fin. & num. 3. cum alijs, quos refert, & sequitur Scac. de commerc. & cãbi §. 2. Glos. 5. num. 153. vbi ait, quòd si debitum sit 100. aureorũ quinque stamparum, & pretium eorum creuerit post oblatam solutionem suo loco, & tempore, cum debitis circumstantijs, illud augmentum erit debitoris, ita vt si totum illud incrementũ ascẽderit ad duos scutos aureos, debitor non dabit creditori centum scutos aureos prout erat obligatus; eo quòd solueret plus debito, & sic plures scutos quam centum; sed dabit tantùm 98. Qualiter autem facienda sit solutionis oblatio, vide ea, quæ nos adnotauimus in d. §. 3. q. 6. concl. 2. limit. 1. per totã à num. 28. ad 31. vbi latè nos egimus de mora tàm vendentis, quàm ementis annuum reditum in dandis, & exigendis pensionibus.

Secundò limitatur eadem conclusio, vt
35 non procedat, quando campsor recepit solutionem in vna specie monetę pro alia absque aliqua contradictione: quoniam in materia valoris monetæ talis præsumitur facta promissio, qualis ostenditur facta solu-

tio,

tio, l. Iulianus §. proinde, ff. ad Macedon. Vndè si solutio fuerit facta de moneta mutata in valore extrinseco, iuxta valorem pecuniæ, qui currebat tempore celebrati contractus, firma remanebit: quod quomodo procedat, supra latius declarauimus concl. 2. limit. 3. & in dictis nostris Commentar. §. 3. q. 6. concl. 1. limit. 5.

Tertiò limitatur cõclusio, vt vera sit, vbi
36 aliter inter contrahentes nõ fuerit initum pactum: nam si tempore celebrati cambij contractus fuerit inter ipsos facta conuentio de soluendo cambium ob metum fortè mutationis monetarum, in certa, ac determinata specie monetæ, & sub æstimatione iuxta valorem tempore celebrati contractus, aut sub certa alia æstimatione, standũ est pacto, nec habenda est ratio mutationis monetæ, quocunque modo mutetur, siue in extrinseca, siue in intrinseca bonitate, vt constat ex ijs, quæ habentur ex Bart. in d. l. Paulus, in fin. ff. de solut. Brun. tract. de augm. & diminut. mon. cõcl. vlt. vers. Octauo fallit. Couar. de collat. veter. numis. cap. 7. §. vnico, num. 5. Aret. cons. 112. ante num. 1. vers. Pro varietate, Calcan. cons. 15. num. 48. vers. & eandem opinionem, in fin. Crauet. cõs. 836. num. 1. vers. Sed enim ius: & in terminis solutionẽ census, Felic. tom. 2. de censib. lib. 4. cap. vnico, num. 28. & Feder. Mart. de iure cens. cap. 5. num. 76. qui rationem hanc esse dicunt: quia contractus ex conuentione legem accipiunt, l. 1 §. si conuenit, ff. depos. l. contractus, ff. de regul. iur. quibus adde, quæ adnotauimus in dictis nostris Commentar. §. 3. q. 6. concl. 2. limit. 4. à num. 36. ad 39.

Quartò limitatur prædicta conclusio,
37 vt locum sibi non vendicet, vbi in aliquo loco extaret consuetudo soluendi cambiũ in monetis iuxta valorem currentem tempore celebrati contractus, non autem iuxta valorem, qui currit tempore solutionis: siue moneta alterata sit quoad bonitatem intrinsecam, siue quoad bonitatem extrinsecam: siquidem eo casu consuetudo attendenda foret; quæ lex dicitur nõ scripta, sed moribus introducta, §. ex non scripto, in Instit. de iure nat. gent. & ciu. quam consuetudinẽ extare in Germania testatur Feder. Mart. de iure cens. cap. 5. sub num. 69. vers. Denique, cuius vigore, vbi monetæ valor creuit, debitores in soluendis debitis deducunt valorẽ, & incrementum, quod veteri æstimationi accessit: si verò decreuit, supplent, quod veteri æstimationi deest. Confirmatur, quoniã idem probauimus quoad solutiones annuorum redituum in d. §. 3. q. 6. concl. 2. limit. 3. à num. 32. ad 35. quibus adde etiam, quæ diximus ibidem, concl. 1. lim. 6. & concl. 4. quoad solutionem pensionis census.

Restat modo vt contraria diluamus.

38 AD argumentum Filliuc. & aliorum patet responsio ex dictis: licèt enim campsor eo casu plus acciperet; non tamen accipit vltra sortẽ, vt rectè declarat Scac. de commerc. & camb. §. 1. q. 1. num. 409. & 416. ex Alex. cons. 61. num. 13. lib. 2. dicente, quòd si mercator Bononiæ recipit à te 106. florenos auri, & facit tibi dari libras decem grossorum, huiusmodi cãbium, ait, posse esse licitũ; quia poterit esse, quòd libræ decem grossorum tẽpore quo soluuntur valebant vltra dictos 106. aureos, & poterit etiam esse, quòd valebunt minus, & hoc licèt sit plus accipere, tamen non est vltra sortem accipere: sicut qui mutuat tres corbes frumenti, & tempore quo reddi debet efficitur carius: nam tunc rectè accipit integras illas tres corbes: quia si efficeretur vilius, nihilominus illę tres corbes frumenti reddendæ essent, & non plures: & licet eo casu diceretur recipere plusquam dederit, non tamen recipit vltra sortem. Vndè
39 rectè ait idem Scac. eod. tract. §. 2. Glos. 5. num. 152. Doctores quosdam in hac re confusè fuisse locutos, non considerantes mutationem monetæ in bonitate intrinseca, & extrinseca, neque exprimentes, an illi centum aurei mutuati sint in obligatione, vel sit in obligatione eorum valor; atque ideo sententiam Sot. lib. 6. de iust. & iure, q. 1. ar. 2. col. 10. ibi, contra hanc autem: & Tolet. lib. 5. suæ sum. cap. 34. quæ est eadẽ, quam docet Filliuc. loco citato, & alij relati pro contraria parte, putat ipse Scac. loco citato, vers. Quia quicquid Sot. veram esse, nisi

nisi in casu, quo mutuator mutuat scutos centũ monetæ in scutis aureis: secus autem si mutuat scutos 100. aureos: vel nisi esset facta mutatio in bonitate intrinseca: quod propriè probat exemplũ allatum à Filliuc. de mutuante 10. rublos tritici.

Differentiam denique, quam assignant
40 Sot. Salas, Filliuc. & alij inter mutuum pecuniæ, & aliarũ rerum non admittunt Scac. loco supra relato, & Azor. p. 3. Inst. moral. lib. 10. tit. de cãb. cap. 7. q. 2. vers. Hęc quæstio, siquidem siue varietur valor pecuniæ ab extrinseco, siue valor aliarum rerũ; tàm pecuniæ, quàm aliarũ rerum manet eadem substantia, & idem vsus: quoniam forma pecuniæ non est talis valor; sed quòd sit pretium rerum venalium, & propterea licèt varietur eius valor; non tamen mutat eius substantiam; quia semper remanet esse pretium rerum venalium, sicut licèt varietur valor frumenti; nihilominus semper remanet eadem forma, ac eadem substantia frumenti.

De cambijs per nundinas: & primò de origine nundinarum; & qualiter celebrentur, Q. XXVI.

S V M M A R I V M.

1 *Cambium per nundinas differt accidentaliter tantùm à cambio locali, in quo campsor prius dat pecuniam in vno loco, recepturus in alio.*
2 *Cambiorum ad nundinas finis nõ fuit alius, per quem fuerunt adinuenta, quàm quæstus, ac lucri sitis.*
3 *Nundinarum loca in diuersis Orbis partibus sunt dispersa.*
4 *Nundinæ cambiorum celebrantur quater in anno.*
5 *Nundinæ cambiorum absoluuntur spatio octo dierum.*
6 *Solutiones cambiorum fiunt in nundinis ex scutis aureis iusti ponderis, & ex quinque tantùm impressionibus; licèt in litteris mentio fiat de scutis marcharum.*
7 *Scuta marcharum quæ sint, declaratur.*
8 *Marcha aurea valet scutis 65. aureis.*
9 *Cambia ad primos, secundos, & tertios terminos, quæ nam sint, explicatur.*
10 *Pretium cambij qualiter taxetur in nundinis, ostenditur.*
11 *Pretium cambiorum à nundinis ad Ciuitates, taxatur, mediantibus Mercatorum votis, ad nundinas concurrentium.*
12 *Pretium cambiorum licèt taxetur; non tamen consistit in indiuiduo, seu in indiuisibili, cùm adhuc possit alterari.*
13 *Diues mercator pluris vendit scutum marcharum, quàm mercator pauper.*

1 Cambia ad nundinas eandem definitionem sibi vendicant, quam cambium tertij generis, de quo supra egimus: & propterea hoc loco de eorum definitione pertractare, superuacaneum esse censuimus. Etenim cùm eiusmodi cambia principaliter gratia accipientium fiant de loco ad nundinas, aut è contra, vel de nundinis ad nundinas diuersas loco, semper fieri dicuntur de loco ad locum. Vndè cambium ad nundinas non differt, nisi accidentaliter à dicto cambio locali: siquidem eędem personæ in vtroque conueniunt, regitur eodem nummo, & variatio pretij fit iuxta longius, aut breuius tempus, vt rectè declarat Filliuc. tom. 2. qq. moral. tract. 35. de camb. cap. 7. q. 2. In huiusmodi cambijs versatur hodie tota ferè Nummulariorum negotiatio, & innumeræ sub eorum pallio committuntur vsuræ. Finis, ad quem fuerunt adin-
2 uentæ cambiorum nundinæ non tàm mercium emptio, ac venditio, quàm quæstus, ac lucri sitis fuit. Etenim quemadmodũ olim nundinas gentes sibi constituerunt, vt merces ex varijs locis in vnum certum, ac determinatum locum asportatæ facilius, ac commodius ab omnibus, & singulis coemerentur, & venderentur; ita etiam campsores, ac Nummularij suas nundinas duxerunt instituendas, certa loca designantes, in quibus cõmodè, ac opportunè cum eorum creditis, & debitis conueniant, non merces coementes & vendentes, sed pecuniarum solutiones, ac traditiones adhibentes; ita vt quidam debita soluant: alij verò debita contrahant: dati, & accepti rationes reddantur, & denuò pecuniæ creduntur, & accipiuntur, datis vt plurimum, & acceptis Chyrographis; atque ideo absque pecunijs ferè

ferè in numerato res ipsa absoluitur.

Nundinarum autem loca in diuersis Or-
3 bis partibus sunt dispersa. In Hispania enim nundinæ celebrantur Metinæ, & in alijs eiusdem Regnis, vt latè habetur ex Salon. de camb. q. 4. art. 2. contr. 6. In Gallia fiebant Lugduni: deinde ex iustis causis, præsertim propter bella, quæ tunc temporis ibidem vrgebant, à Bisantione in Italiam translatæ, primò fiebant Cimbari, deinde Tridenti: & demũ Placentiæ celebrantur: imò nouissimè ex placito Serenissimi Ducis, & Senatus Ianuens. celebrantur nundinæ etiam Noli in Liguria, & alibi. Nundinarum in Italia inuentores fuerunt principaliter Genuenses: & propterea ab ipsis gubernantur, ac reguntur, ita vt illarum administratio fit penès vnum Consulem Ianuensem, & Cõsiliarium Mediolanensem; qui eliguntur à Senatu Reip. Genuensis, à quo facultatem habent dirimendi omnes, & singulas lites, quæ in cambiorum materia oriri solent cum delatione appellationis ad eundem Senatum tanquam plenam potestatem habentem.

Hæ quidem nundinæ celebrantur qua-
4 ter in anno de trimestre ad trimestre. Primæ dicuntur, de Apparitione, ita nuncupatæ ex eo quòd fiant post Epiphaniam Domini: vel ex eo quòd celebrantur post Festũ Purificationis Beatæ Mariæ Virginis, quasi tunc apparuerit Domini Mater, seu Christus Dominus in Templo præsentatus. Secundæ nundinæ appellantur, de Pascha; eo quòd fiant de mense Maij, in quo vt plurimum Pascha Pentecostes aduenit. Tertiæ dicuntur, d'Agosto; quoniam in Augusti mense fiunt. Quartæ demum nuncupantur, de Santi; quia celebrantur in mense Nouembris, in quo celebratur Festiuitas omnium Sanctorum.

Per spatium octo dierum absoluuntur
5 nundinæ: siquidem prima die præsentantur cambiorum litteræ, quarum acceptationes fiant, & quilibet à suo debitore promissionem accipit de soluendo. Deinde Consul, & Consiliarius supradicti cambiorum pretia taxant pro singulis locis, nempe pro Genua, Gallia, Hispania, Neapoli, &c. quæ quidem taxatio fit, mediantibus votis Mercatorum concurrentium ad nundinas: qui vulgò dicuntur, *Hauere casa in fiera*, & infra terminum dictorum octo dierum quilibet soluit debita, & credita recipit; atque ideo nundinæ absoluantur. Solutiones autem
6 fieri debent ex scutis aureis iusti ponderis, & ex quinque tantùm impressionibus, nempe Hispaniarum, Venetiarum, Ianuæ, Florentiæ, & Neapolis. Est tamen verum, quòd in litteris locutio habetur de scutis Marcharum, quę scuta non reperiuntur, cùm sint imaginaria; sed tantùm eorum valor; ita vt 101. scuta Marcharũ valeant scuta 100.
7 dictarum impressionum. Est autem marcha aurea eadẽ, ac selibra; quę quidem est ponderis vnciarũ 8. auri. Vncia verò diuiditur in octo dragmas aureas: & dragma diuiditur in 72. grana. Vna dragma aurea ęstimatur vno ducato aureo, & diuiditur in 24.
8 caracta, vt aliàs diximus. Valet marcha aurea scutis 65. aureis; quorũ singula in Gallia ęstimantur 44. solidis Turonẽsibus: Ianuę verò valent singula 68. solidis aureis, vt rectè declarat Romoal. Col. de camb. cap. 11. fiunt vt plurimum solutiones huiusmodi in nundinis per noua recambia, & concessiones aliarum litterarum: paucissimę verò fiunt in pecunia numerata, vt supra diximus.

Solẽt etiam dari pecunię ad cambium
9 in vno loco, vt cambitę reddantur in alio, vbi nundinę non celebrantur; quamuis fingant Mercatores ibi nundinas esse, pręfigentes ad pecuniarum solutionem ea tempora, in quibus nundinę fieri consueuerunt; atque ideò pecunię dicuntur ad cambium dari, & accipi ad primos, secundos, vel tertios terminos ad instar nundinarum, quę celebrantur ad primas, secundas, tertias, & quartas nundinas; idest ad tempus trium mensium, sex, aut longius, in quo primæ, secundę, tertię, & quartę nundinę fiunt, vt infra latius dicemus §. 2. q. 10. Et quamuis rationabile foret, si ex Peritorũ consilio pre-
10 tia cambijs tàm ad nundinas, quàm ad certos terminos constituerentur; nihilominus communiter ab ipsismet Mercatoribus tam dantibus, quàm accipientibus ad cãbium pretia ipsa pręfiguntur, ac dupliciter taxantur; à Ciuitate scilicet, & ab alijs locis ad nundinas: & à nundinis ad Ciuitatem, & alia loca. A Ciuitate ad nundinas taxantur cam-

cambiorum pretia non à qualibet, sed à quibusdam magnis Ciuitatibus, opulentis, & mercantilibus, in quibus Mercatorū Consules cōgregantur: huiusmodi sunt Genua, Florentia, Luca, & his similes. Est tamen verum quòd in pretijs taxandis ratio habetur lucri, ac damni, quæ attulerunt cambia in proximis nundinis: quæ quidem conspici possunt ex litteris, quæ redduntur ab amicis hæc ipsa nunciantibus: à proxenetis, & ab alijs, qui à nundinis reuertuntur, & qui dederunt cābio pro sequentibus nundinis, ac ex cambiorū pretio. Ex his enim, & alijs deuenitur in cognitionē pecuniarū copiæ, vel pecuniæ; sicut ex abundantia, vel paucitate campsorum, & campsuariorum vt alias diximus.

A nundinis ad Ciuitates, & loca taxantur
11 cābiorum pretia, mediantibus votis mercatorum ad nundinas concurrentium, vt supra retulimus, & iuxta pecuniarū copiam, vel inopiam pretia definiuntur: in quibus definiendis non solùm dantes, & accipientes ad cambium, verum etiam sensales concurrunt, vt rectè declarat Romoal. Col. de cāb. cap. 16. Quibus adde, quòd Ciuitates, & loca, pro quibus campsores volunt dare ad cambium, vulgariter appellant, *Piazze*. vbi si adest pecuniarū abundantia vocāt, *Piazze larghe*. si verò adsit pecuniarum inopia, dicunt, *Piazze strette*. In locis igitur, in quibus est pecuniarum inopia, minus emitur scutum marcharum pro Placentia, vel ducatus Cameræ pro Roma: aut ducatus carlenorum pro Neapoli, &c. Vbi autem est pecuniarum copia plus soluitur ab illo, qui vult scutum marcharum Placentiæ. Vnde Titius existens Genuæ, si vellit emere scutum marcharum Placentiæ, vbi sit penuria pecuniarum dabit 69. solidos aureos pro vno scuto marcharum: qui continet 67. solidos aureos, & 4. denarios: si verò Placentiæ sit nummorum abundantia dabit 66. solidos tantùm pro eodem scuto marcharum. Vndè scutū marcharum habet rationem mercis, & pecunia, quæ datur Genuæ rationem obtinet pretij.

Illud autem denique, monitos vos esse
12 volo, pretium cambiorum, quod eo modo quo diximus, taxatur, non consistere in indiuisibili, sicut pretium mercium Principis lege taxatum: quod quidem citra culpam cum onere restituendi, transgredi nō potest, vt latè habetur ex Molin. de contract. disp. 347. Sed campsores, nō obstante pretij determinatione in cābijs, alij accipiunt plus; alij verò minus iuxta quantitatem pecuniarum, quas possident, & crediti, quod habēt. Hinc Mercator diues, qui vulgò dicitur,
13 *Buona lettera*. Vendet scutum marcharum Neapoli, quod soluturus est Placentiæ grana 129. Neapolitana: sed si non sit adeo diues vix vendet grana 128. iuxta ea, quæ supra adnotauimus, q. 17. Itē dictum pretium, vt supra definitum à Mercatoribus, procesu temporis variatur, ob superuenientem pecuniarum copiam, aut inopiā, & ex alijs accidentibus, de quibus Romoal. Col. loco citato, vbi concludit etiam huiusmodi pretium ita demum esse iustum, si tria copulatiuè in eo concurrant. Primùm, vt is, qui dat cambio nō respiciat necessitatem recipientis illud, nec lucrum, quod est ex eo consecuturus, nec creditum, quod multum non habet. Secundum, vt pecuniarum æstimatio fiat, præciso omni dolo, ac fraude considerata, scilicet, earum copia, vel inopia, tùm in loco, vbi accipitur ad cambium, tùm etiam in nundinis. Tertium denique, ne determinatio huius pretij fiat, mediante aliquo monopolio.

De Iustitia cambij ad nundinas. Q. XXVII.

SVMMARIVM.

1 *Nundinarum illicita, & sicca omninò esse, qui doceant, recensentur.*

2 *Cambium verum, & reale exigit veram, & realem commutationem diuersarum monetarum.*

3 *Emere rem minus infimo pretio ob anticipatam pretij solutionem: vel vendere supra rigorosum pretium, dilata pretij solutione, est vsura.*

4 *Tempus, Solem, & aerem Deus omnibus ex æquo donauit; atque ideo tempus vendere est contra naturam.*

5 *Vsu-*

5 *Vsurarius est super omnes mercatores maledictus.*

6 *Lucrum, quod percipitur ratione temporis est vsurarium.*

7 *Nundinæ quò propinquiores sunt, eo minus lucri consequitur campsor: & quo remotiores, eo maius.*

8 *Campsor in cambio nundinarum semper lucratur, siue det de loco ad nundinas, siue de nundinis ad idem locum.*

9 *Cambia fuerunt principaliter instituta ad emptionem mercium, & per accidens tantùm ad lucrum captandum.*

10 *Nundinarum cambium est licitum, & Reip. valdè vtile.*

11 *Cambium ad nundinas non differt essentialiter à cambio locali.*

12 *Consuetudo multum præualet in contractibus.*

13 *Scuta marcharum, & Ianuensium licèt sint fictitia, non tamen tollunt cambij veritatẽ, cum eorum solutio fiat in scutis quinque impressionum.*

14 *Marcharum scutum minoris valet, quàm scutum Ianuense.*

15 *March scutum habet pretium variabile.*

16 *Cambiorum solutio cur Genuæ fieri valeat in scutis argenteis.*

17 *Ianuense scutũ est variabile quoad pretium.*

18 *Cambiorum solutio cur sæpe in nundinis non fiat in pecunia numerata.*

19 *Pretia rerum iusta non consistunt in indiuisibili; sed infra latitudinem iusti pretij datur pretium rigorosum, medium, & infimum.*

20 *Vẽdere quis potest pretio rigoroso ob dilatam solutionem; sicut ob anticipatam potest quis emere pretio infimo.*

21 *Campsor cur quo remotiores sunt nundinæ, maius lucrum; & quo propinquiores, minus consequatur.*

22 *Lucrum perceptum ex sola temporis distantia est vsurarium, nisi concurrat ratio aliqua interesse.*

23 *Cambium, quod fit Genuæ per Placentiam, visis litteris, fit maiori pretio, & illud, quod fit ad nundinas cur minori, ratio redditur.*

24 *Nundinæ cambiorum antiquitus fiebant, vbi etiam vigebat negotiatio mercium; sicut ad præsens celebrantur Placentiæ.*

1 IN hac re pugnantes extant opiniones. Nam prima sententia fuit Goffr. & Hostien. in eorum summ. tit. de vsur. D. Anton. 3. par. suæ sum. tit. 8. c. 4. Boninf. de camb. cap. 7. D. Hilar. de latissimo auarit. domin. lib. 3. & aliorum existimantium, huiusmodi cambia esse omnino illicita. Pro hac eadem opinione videntur etiam Ioan. de Lign. in cap. fin. de vsur. Medin. C. de rebus per vsur. acquis. quæst. 9. vers. Est aliud tertium: & omnes alij damnantes cambium, in quo campsor dat primo pecuniam in vno loco, recepturus eam cambitam cum incremento in alio: siquidem ob id Laurent. de Rodul. in suo tract. de vsur. par. 3. quæst. 1. & non nulli Doctores antiqui appellant huiusmodi, cambia sicca: & D. Anton. illud dumtaxat cambium probat, in quo campsor recipit pecuniam in vno loco, in alio soluturus.

2 Probatur hæc sententia primò: quoniam ad verum, & reale cambium inter alias conditiones exigitur, vt in eo interueniat vera, ac realis commutatio diuersarum monetarum vt habetur ex Caiet. tomo 2. op. 7. de camb. cap. 4. vers. Secundum, Nauar. in Man. cap. 17. num. 298. Fabian. Genuen. de camb. p. 2. num. 56. & 57. Garz. de contr. cap. 32. Ioan. de Salas de camb. dub. 17. sub num. 1. vers. Secundò in cambio, Scac. de commerc. & camb. §. 1. q. 4. sub num. 8. in fin. & q. 7. p. 1. num. 37. Romoald. Col. de camb. c. 13. Filliuc. tom. 2. qq. moral. tract. 35. cap. 7. q. 3. num. 410. & alij; qui id deducunt ex nostra Extrauag. & patet ex definitione cambij, quam supra assignauimus, quæst. 11. dum diximus, ex communi Doctor. placito, cambium esse commutationem pecuniæ cum pecunia: sed in cambio ad nundinas non interuenit vera, ac realis commutatio monetarum; sed ficta: ergo cãbium ad nundinas non est reale, sed fictum, atque ideo siccum, & iniustum: Minor probatur, quia in huiusmodi cambio fit commutatio scuti aurei Genuen. 68. solidor. aureorum cum scuto marcharum solid. 67. & 4. denar. quod scutum non est in rerum natura, sed fictitium, adinuentum à campsoribus. Confirmatur, quoniam in cambijs nundinarum, vt plurimum nulla interuenit realis pecuniarum permutatio;

sed tantum dantur Chirographa.

Secundò, emere rem minus infimo pre-
3 tio ob anticipatam solutionem, est vsura, sicut vendere rem supra rigorosum pretium ob dilatam solutionem, vt in c. in ciuitate, & ibi Panor. & alij, de vsur. D. Thom. 2.2. q. 78. ar. 2. ad 7. Sot. lib. 6. de iustit. & iur. q. 1. ar. 1. Nauar. in Man. c. 23. num. 82. Valent. 2.2. disp. 5. q. 20. pun 2. §. 8. Garz. lib. 1. de contr. c. 24. Rebel. L. ss. & alij, quos refert, & sequitur Ioan. de Salas, de empt. & vend. dub. 41. num. 2. & dub. 43. num. 1. & Scac. de commerc. & câb. §. 1. q. 7. p. 1. sub num. 24. Etenim eiusmodi expectatio pretij soluendi, seu solutionis anticipatio habet mutui rationem: siquidem perinde est, ac si vẽditor merces pretio currenti vendidisset, & pretium mutuasset sub illo lucro supra pretium rigorosum: & emptor anticipata solutione, perinde se haberet, ac si anticipatò pecuniam traditam mutuò dedisset vsque ad tempus traditionis mercium sub illo lucro vilius infimo pretio; atque ideo ex palliato mutuo incremẽtum perciperet: sed in hoc cambio campsor emit à câpsuatio scutum march. viliori pretio propter anticipatam solutionem; siquidem dat v. g. Genuæ 66. solidos aureos, recepturus post aliquot tempus Placentiæ 67. solid. & 4. den. & sic scutum march. viliori pretio propter anticipatam solutionẽ campsor emit à campsuario, quod scutum valet Genuæ 68. solid. ergo huiusmodi cambium ad nundinas est illicitum, ac vsurarium.

Tertiò vendere tempus est contra natu-
4 ram; sed in hoc cambio vẽditur tempus; ergo est contra naturam, atque ideo tanquam contra ius naturale, illicitum, atque iniustũ. Maior patet; quoniam tempus, solem, & aerem Deus omnibus ex æquo donauit: vndè meritò habetur ex Chrysostomo in c. eijciens, 38. d. quòd super omnes mercatores
5 maledictus est vsurarius; ipse enim rem datam à Deo vendit, idest tempus, quod non venditur. Et quòd lucrum, quod fit ratione
6 temporis sit vsurarium, docent D. Thom. 2.2. q. 78 ar. 2. ad 7. Scot. in 4. d. 15. q. 2. ar. 2. Caiet. de câb. c. 7. §. iustitia verò: Nauar. in c. nauiganti, num. 71. & 76. Medin. C. de reb. per vsur. acquis. q. 8. vers. De alia causa: & vers. Illud tamen, Sot. lib. 6. de iust. & iur. q. 12. ar. 2. Salon. de câb. q. 4. art. 2. cõtr. 18. §. oppositum tamen, Azor. p. 3. Inst. moral. lib. 10. de câb. c. 9. q. 4. Less. lib. 2. de iust. & iur. c. 23. num. 54. Scac. de cõmerc. & câb. §. 1. q. 7. p. 1. num. 28. P. Iustin. de cõtin. câb. q. 2. num. 10. Filliuc. tom. 2. qq. moral. tract. 35. de censib. & camb. c. 7. q. 3. num. 410. in fin. & alij Doctor. ferè communiter. Proba-
7 tur minor: nam lucrum, quod ex tali cambio campsor consequitur, solùm exigit ob temporis distantiam: siquidem nundinæ quò propinquiores sunt; eo minus lucri sibi cõparat campsor: nam minorem quantitatem dat in principio nundinarum, maiorem in medio, & prope finem: etenim si in principio nundinarum dat 63. solidos Genuæ, recepturus scutum marchatũ Placentię, quod constat ex 67. solid. & 4. den. in medio dat 64. solidos recepturus dictum scutum, & in fine dat 65. & 66. vt recipiat idem scutum. Confirmatur, quia cambium, quod fieret Genuæ per Placentiam, *A lettera vista*, non fieret minoris pretii quàm solid. 67. 4. pro scuto marchar. & illud, quod fieret ad primas nundinas fieret multo minoris: ergo in hoc cambio habetur ratio temporis, atque ideo est illicitũ, ac iniustũ, & vsurariũ.

Quartò, campsor in hoc cambio semper
8 lucratur: quia si dat pecuniam Genuę recepturus scutum marchar. Placentiæ, dat 65. sol. v. g. Genuæ recepturus Placentiæ scutũ marcharum, quod valet 67. 4. & 68. Genuẽses: & è conuerso, si dat vnum scutum marcharum Placentiæ, atque ideo solid. 67. 4. recipit Genuę solid. 69. & aliquando plures. Est igitur cambiũ ad nũdinas illicitum.

Denique câbia fuerunt instituta ad mer-
9 cium emptionem principaliter, & per accidens tantùm ad lucrum captandum: sed in huiusmodi cambiis id, quod principaliter intenditur, non est mercium emptio, sed lucrum; atque ideo finis eius est turpis, cùm insatiabili inseruiat auaritiæ, ac cupiditati cumulãdi thesauros, quæ est radix omnium malorum. Non igitur cambium ad nundinas est licitum.

His tamen, & similibus, quæ in contra-
10 riũ adduci possent non obstantibus, in contrariũ est cõmunis opinio, quã tenent Caiet. in suo tract. de camb. cap. 7. Syl. in sum. ver. vsura, 4. quæst. 9. Sot. lib. 6. de iustit. & iur.

iur.q.5.ar.2.& 3.Nauar.in c.nauiganti, vbi etiam Ioan.Bapt.Lup.§.2.num.55. de vsur. & in Man.cap.17.num.283.littera L. & M. Boninf.de camb.cap.6.& 7.Garz.de contr. cap.36.num.3.4.& 5. Ludou. Lopez eod. tract.lib.2.cap.6.concl.3. Mercat. de contract.lib.4.cap.6.& 7.Hieron.Luc. de cāb. cap.4. num.22. Fabian.Genuen.eod.tract. p.2.c.4.& 7.num.68.vers. Hęc sunt.Salon. 2.2.post q.78. disp. de camb. q.1. art.2. in princ. & num.9. vers. Denique: Romoald. Col.eod.tract.c.18.Azor.p.3. Inst. moral. lib.10.tit.de camb.c.8.vers.Dicendum est, Less.lib.2.de iust.& iur. c.23. à num.59. ad 73.Scac.de commerc.& camb. §.1.q.7.p. 1.sub num.50.ibi;Et quòd cambia,quæ fiebant Genuæ;P Iustin.de contin. camb.q.2. num.3.Reginald.lib.25.suæ prax. num.45. Salas de camb. dub.17. P.Molf. par.2. suæ sum.tract.12.cap.7.num.34.Filliuc.tom.2. qq.moral.tract.35.c.7.de censib. & camb. q.2.num.409.& alij. Probatur primò hæc sententia: quia cambium ad nundinas non
11 differt essentialiter à cambio locali, vt supra probauimus q.præced.at cambium locale cōmuniter approbatur,vt supra ostendimus, q.16. 25. & 26. ergo communiter meritò approbatur cambium per nundinas. Secundò probatur ex communi vsu, & cōsuetudine apud omnes gētes saltem in Europa diù introducta,in cuius Ciuitatibus,& Regnis quamplurimis nundinæ prædictæ celebrantur:qua propter non est probabile, omnes mercatores in illis Regionibus cō morantes esse in malo statu, cùm innumeri sint timoratæ conscientiæ, qui conferunt cum suis confessariis, & de facto contulerūt huiusmodi contractus cum doctissimis viris, vt testatur Ioan. de Salas d. dub. 17. num.2.& Filliuc.loco citato,sub num.409. vers. Et probari potest: nec ab ijs reprobatos esse constat.Et re vera consuetudo multum præualet in contractibus ad cognoscē-
12 dum eorum iustitiam,& iniustitiam; atque ideo cōtractus, qui communiter celebrantur, & sunt vsu recepti citra temeritatem de facili non damnantur, arg. tex.in c.consuetudinis,& cap.fin.de consuet. Et eo magis, quia agitur de huiusmodi nundinis,quas esse omnium contractuum vtilissimas, ac necessarias, satis probat P. Iustin. d. quæst.2. num.3.de contin. camb. Ex quibus etiam constat,talem contractum rationabilem esse valdè,quæ est vna ex pręcipuis conditionibus; quam bona consuetudo expostulat, vt in d.c.fin.& ibi Panor.& alij,de consuet. Denique probatur ex nostra Extrauag.quæ dat formam legitimè contrahendi vera, iusta,ac realia cambia in nundinis.Vndè cùm talis negotiatio à Rom. Pontifice sit approbata tanquam licita,firmiter est tenendum, eam esse iustam.

Restat modo, vt ad argumenta respondeamus.

13 AD primum negatur minor, & ad probationem dicitur,quòd licèt scutum marchar. sicut, & scutum Ianuense sint fictitia,cùm non sint in rerum natura; & propterea campsores non dant illa scuta; nihilominus non ob id tollitur veritas, ac realitas cambij,& veræ commutationis, cùm solutio fiat ex alijs monetis : siquidem campsores, & campsuarii in huiusmodi cambiis vtuntur, & soluunt in nundinis in scutis quinque stamparum, nempe Hispaniarum, Neapolitanorum, Venetiarum, & Ianuensium. Et quamuis scutum marcharum sit valdè simile semiduplæ Hispaniarum,vt habetur ex Romoal.Col.de camb. c.11. semper tamen scutum marcharum est inferioris pretii scuto aureo, quod fingitur, seu æstimatur à Ianuensibus: nam Ianuenses volutant scutum aureum in solid. 68. & scutum marcharum, quod actualiter, & in contanti soluitur in nundinis æstimant solid. 67. & den.4.& sic 8.denariis minus pro singulo
14 scuto, qui octo denarii centies coniuncti constituunt solid.68.qui sunt vnum scutum Ianuense fictitium; atque ideo tantùm valent scuta 101. marcharum, quantum valent 100. scuta aurea Ianuensia; & sic scuta marcharum, & Ianuensium habent valorem ex aliis scutis. Est tamen verum;
15 quòd huiusmodi scutum marcharum dum emitur, & venditur, habet pretium variabile:quoniam in quolibet foro illud imponitur à magistratu mercatorum, habita ratione copiæ,ac inopię pecuniarum;hoc tāmen pretium,quod imponitur, sēper est inferius

pretio ſcuti aurei Ianuenſis; verum poſtea
in diſtractu dum ſoluitur, habet ſemper cer-
tum, & inuariabile pretium ſolid. 67. 4. &
ſic ſemper inferius ſcuti aurei Ianuenſis, vt
rectè declarat Scac. de commerc. & camb.
q. 7. §. 2. Gloſ. 3. num. 68. & 69.

Et quoniam in tam magna pecuniarum
16 copia, quas Ianuenſes Genuæ negotiantur
in cambijs, difficilè eſt ſingulas partitas in
ſcutis aureis ſoluere, idcirco Senatus illius
Reip. decreuit, vt ſolutio fieri valeat in ſcu-
tis argenteis eiuſdem Reip. quorum valor
æquat valori ſcutorũ quinque ſtamparum,
vt per eundem Scac. eod. tract. §. 5. Gloſ. 3.
quod quidem ſcutum argenteum quamuis
17 in pretio ſit inuariabile; ſcutum tamen au-
reum Ianuenſe 68. ſolid. aliquando variatur,
& ęſtimatur ſolid. 69. vt cùm remititur pe-
cunia à nundinis Genuam per viam recam-
bij, vt ait idem Scac. loco citato, Gloſ. 1.
quibus adde ea, quę habentur ex ipſo Scac.
§. 2. Gloſ. 3. num. 33. cum plur. ſeq. & Ro-
moal. Col. de camb. c. 11.

Ad confirmationem dicimus, quòd licèt
18 in huiuſmodi cambijs non fiant ſolutiones
vt plurimum in pecunia numerata; id tamen
prouenit ex communi contrahentium con-
ſenſu, cùm in nundinis debitores compelli
poſſint ad ſolutiones faciendas in pecunia
numerata. Imò dici poteſt veram fuiſſe fa-
ctam ſolutionem per traditionem cedulæ
banchariæ, vt alibi pecunia recipiatur: ſi-
quidem ſub ſolutionis verbo comprehendi-
tur omnis quocũque modo fiat ſatisfactio,
l. ſolutionis verbo, ff. de verb. ſignif.

Ad ſecundum reſpondetur, quòd pretia
19 rerum iuſta non conſiſtunt in indiuiſibili;
ſed datur pretium infimum, medium, & ri-
goroſum, quæ omnia dicuntur iuſta: itaque
iuſtum pretium poſſet dici tale infra latitu-
dinem decem, & plus pro quolibet cente-
nario, vt habetur ex Caiet. 2. 2. q. 77. art. 1.
in reſp. ad 1. Nauar. in Man. c. 17. num. 228.
& c. 23. num. 79 Molin. de contr. diſp. 347.
num. 3. itaque pretium nouẽ aureorum di-
cetur infimum: pretium decem aureorum,
dicitur medium: & vndecim aureorum di-
cetur rigoroſum. Vndè ſicut quis poteſt
emere anticipata ſolutione, ad pretium in-
20 fimum, & vendere dilata ſolutione ad ri-
goroſum, vt per Doctores ſupra citatos, &
pręcipuè Molin. de contr. diſp. 403. num. 6.
& 406. num. 3. & latè Ioan. de Salas in ſuo
tract. de empt. & vendit. dub. 43. & 47. ita
quoque poterit emere ſcutum marcharum
Genuæ, anticipata ſolutione, ſolid. 66. quod
ſupponimus eſſe infimum pretium, habita
ratione latitudinis pretij ad decẽ pro quo-
libet centenario: & eo maximè, quia pecu-
nia abſens minus valet, quàm præſens: &
quis ſolet plus, & minus dare, quã accipiat
ratione multitudinis accipientium, vel dan-
tium ad cambium, vt paulo infra dicemus.

Ad tertium negatur minor, & ad proba-
21 tionem quamuis multipliciter reſpondeant
P. Iuſtin. d. q. 2. de contin. camb. num. 11.
cum plur. ſeq. & Scac. de commerc. & cãb.
§. 1. q. 7. p. 1. à num. 75. ad 79. nihilominus
communis reſponſio eſt, quòd campſor non
percipit maius lucrũ quando dat pecuniam
in principio nundinarum, quàm in medio,
& in fine ratione temporis: ſiquidem ratio
tẽporis eſt accidentaria: ſed quoniã in prin-
cipio nundinarum reperiuntur multi volen-
tes accipere ad cambium; atque ideo multi
volentes vẽdere ſcutum marcharum in nũ-
dinis, & ſic adeſt copia pecuniæ, vt medio
tempore interueniente, poſſint facilius eo-
rum negotiis conſulere: in medio autem, &
in fine nundinarum, quamuis aliquando au-
geatur numerus venditorum; atque ideo eo
tempore campſor maius lucrum conſequa-
tur; nihilominus hoc verè accidit, vt teſta-
tur Scac. ſub d. num. 75. & propterea nõ at-
tenditur, arg. tex. in l. nam ad ea, ff. de legib.
ſed vt plurimum in medio, ac in fine nundi-
narum venditores, & ſic cãpſuarii ſunt pau-
ciores, & hæc eſt ratio cur campſores quã-
to nundines propinquiores ſunt, eo minus
lucri ſibi comparant, & quanto remotiores
maius. Etenim ex multitudine venditorum,
merces vileſcunt, & creſcit pecunia præ-
ſens in pretio, & æſtimatione: & è conuerſo
ex multitudine emptorum rerũ pretia cre-
ſcunt, vt habetur ex Caiet. opuſc. de camb.
c. 7. & Scac. loco citato. Cæterum ſi ratio-
22 ne temporis quis aſcenderet in pretio, vſu-
rarius procuidubio eſſet dicendus, per ea,
quæ ſupra adnotauimus, niſi aliqua ratio in-
tereſſe lucri ceſſantis, vel damni emergentis
concurrat, de qua re latè, Deo duce, ſuo lo-
co dicemus.

Ad confirmationem negatur cõsequen-
23 tia: siquidem cambium à Genua in Placentiam, *A lettera vista*, appellatur cambium de loco ad locum: quod differt ab eo, quod fit de loco ad nundinas: & propterea non est mirum si prioris non habetur ratio temporis; sed tantùm posterioris per accidens, iuxta ea, quæ supra diximus in solutione tertii argumenti.

Ad vltimum argumentum respondetur,
24 quòd nundinæ antiquitus fiebant Lugduni, vbi etiam vigebat negotiatio mercium; sed cùm propter bella, & hostium incursus prohiberentur mercatores eò accedere, fuerunt translatæ in Placentiam, vbi licèt merces nunquam fuerint venditæ, nisi ad præsens ab eo tempore, quo Serenissimus Senatus Genuensis statuit, nundinas celebrari Noli in Liguria; nihilominus non potest negari, quòd estò ibi non fierent etiam nundinæ mercium, quin deseruiant mercatoribus propter merces: imò inseruiunt pro omnibus locis, vbi tractatur de mercibus, vt rectè declarat P. Iustinianus de contin. camb. q. 2. num. 3. 4. 5. & 6. Nec etiam valet consequentia, talis negotiatio est ad lucrum; ergo est illicita: quia si contractus est licitus, lucrum etiam est licitum; nisi ad aliquem malum finem intendatur.

De conditionibus requisitis ad iustitiam, & veritatem cambij ad nundinas. Q. XXVIII.

SVMMARIVM.

1 *Cambium ad nundinas quas conditiones exigat, variæ referuntur* Doctor. *opiniones*.
2 *Cambium, inspecto iure naturali, & natura contractus, non exigit tot conditiones, quot per nostram Extrauag. exiguntur.*
3 *Cambium ad nundinas ad sui realitatem duas tantùm conditiones exigit, ad quas reliqua reducuntur; nempe, vt sit verum, & iustum ipsius pretium.*
4 *Cambium ad nundinas ad eius veritatem exigit, quòd in eo fiat vera commutatio diuersarum monetarum.*
5 *Cambium ad nundinas ad ipsius veritatem exigit, vt litteræ, quæ mittuntur sint veræ, & non fictæ, & cum effectu mittantur.*
6 *Cambium ad nundinas exigit, vt campsuarius habeat pecuniam, vel creditum in nundinis, per quas pecuniam cambio accipit.*
7 *Cambium ad nundinas exigit, vt campsor probabiliter saltem sciat, campsuarium habere pecuniam, vel creditum in loco destinatæ solutionis.*
8 *Campsor tempore celebrati contractus putãs campsuarium habere pecuniam, vel creditum in loco destinatæ solutionis, si deinde noueris eum non habere, nec pecuniam, nec creditum debet rescindere contractum.*
9 *Campsorum fraudes recensentur.*
10 *Campsor obligans campsuarium ad recambium, quem tempore contractus sciit non habere, nec pecuniam, nec creditum in loco cõdicto, iniquè agit, & cambium huiusmodi non est verum, sed siccum.*
11 *Campsor existimans campsuarium esse soluendo in loco condicto, si deindè campsuarius non soluat cambium, potest ab eo petere interesse.*
12 *Cambij pretium tunc dicitur iustum, quando est taxatum iuxta communem vsum fori: & pretium ipsum non alteratur ratione tẽporis.*
13 *Campsores aliqui ad se trahentes totam pecuniam in nundinis faciunt contra iustitiam pretij cambij.*
14 *Monopolia sunt cõtra iustitiam pretij, quam cambium exigit.*
15 *Campsor obligans campsuarium ad accipiẽdum cambio per loca, in quibus magis lucratur, an, & quando faciat contra iustitiã, vel contra charitatem, ostenditur.*
16 *Pactum de certo, ac determinato interesse, secluſa dispositione nostra Extrauag. non est contra iustitiam cambij.*

1 IN hac re quot homines tot sunt sententiæ. Nam Syl. in sum. ver. vsura, 4. q. 9. dict. 2. quem videtur sequi Salon. de camb. ar. 2. contr. 52. putat ad realitatem, & iustitiam huius cambij duas tantùm conditiones satis esse; nempe quòd in æstimatione pretij non habeatur ratio temporis: nec accipiens cambio plus iusto grauetur. Pater Iustin. de contin. camb. q. 4. sub num. 21. vers. Respondeo, vltra dictas conditiones exigit in cambio illas, quæ in nostra Extrauag.

uag. continentur. Ioannes de Salas de cãb. dub. 26. sub num. 1. in cambio quatuor conditiones requirit, nempe, quòd in æstimatione pretij non habeatur ratio temporis: ne fiat pactum de certo interesse, etiam in euentu, quòd non fiat solutio condicto tempore: quòd cambium non fiat aliter quàm ad proximas nundinas: & quòd in terminis solutionum habeatur ratio longinguitatis, & vicinitatis locorum, ne dum longiores præfigantur, quàm loca destinata desiderant, fœnerandi detur occasio; quas conditiones colligit ipse Ioan. de Salas ex nostra Extrauag. Pater Molfes. autem post alios p. 2. suæ sum. tract. 12. cap. 7. num. 39. conuenit cum Ioanne de Salas quoad conditionum numerum, quæ requiruntur in cambio; sed discrepat quoad earum species: vult enim quòd cum effectu soluatur pecunia præsens: quòd campsuarius habeat pecuniam in loco solutionis realiter, aut virtualiter: quod campsor sciat, vel probabiliter credat, campsuarium posse similẽ quantitatem soluere: & denique, quòd litteræ cum effectu mittantur. Romoal. Col. in suo tract. de camb. cap. 13. ad huiusmodi cambij iustitiam tres tantùm conditiones arbitratur esse sufficientes: nempe quòd sit verum: quod sit liberum: & quòd sit iustũ. Filliuc. tandem cæteris prætermissis, tom. 2. qq. moral. tract. 35. de censib. & camb. c. 7. q. 3. num. 410. totidem conditiones ad hoc cambium expostulat; quas tamen has esse putat; quòd scilicet fiat realis pecuniarum permutatio ex vno loco in alium, habita ratione diuersitatis pecuniæ, & valoris monetarum: quòd seruetur iustum pretium secundum communem fori æstimationem, seu eorum, qui ad id auctoritatem habẽt, in qua æstimatione debet haberi ratio copiæ, vel inopiæ pecuniarum: distantiæ, aut propinquitatis locorum: & denique, vt in æstimatione pretij non habeatur per se ratio temporis.

Pro huius rei determinatione est adnot.
2 quòd, inspecta rei natura, ac seclusa dispositione nostræ Extrauag. non omnes conditiones in ipsa Extrauag. contentę pertinent ad iustitiam, ac realitatem cambij. Etenim cambium nũdinale, sicut & reliqua possunt esse realia, & iusta, quãuis in eis fiat pactum de certo interesse, celebrentur ad secundas, & vlteriores nundinas, ac etiam si in terminis longinguitatis, & vicinitatis locorum ratio non habeatur: nam in cambijs nundinarum termini solutionem sæpe triplo, vel sextuplo sunt longiores, quàm locorum intercapedo postulet; quia non possunt in illis locis commodè alij termini constitui: & propterea nostra decretalis loquitur de terminis extra nundinas, vt rectè post alios declarat Ioan. de Salas d. dub. 26. num. 1. & 2. Imò nec litteræ quidem pertinent ad iustitiam, & realitatem cambij: quoniam cambium nundinale potest fieri solo duarum personarum interuentu: quare cùm tàm campsor, quàm campsuarius volunt esse in nundinis, tunc debitor soluit creditori, & extinguitur cambium, vt habetur ex Romoald. Col. de camb. cap. 10. quem refert, & sequitur Scac. de commerc. & camb. §. 1. q. 5. & num. 75. & infra latius declarabimus. Exiguntur tamen litteræ quando contrahentes non conueniunt in loco solutionis: vel si volumus eas requiri ad mentem nostræ Extrauag. etiam quando tàm campsor, quàm campsuarius volunt esse in nundinis, tunc campsuarius scriberet litteras sibi ipsi, vt soluat, & daret campsori, qui in nundinis solutionem reciperet, vt rectè ait Io. Bapt. Cauat. de camb. in prælud. vers. Alio autem modo, & Scac. loco citato, & nos suo loco latius, Deo duce, dicemus.

His adnotatis, ad quæsitum vnica con-
3 clusione respondemus, dicentes, ad realitatem, & iustitiam cambij duas tantùm conditiones satis esse, ad quas reliquæ omnes reducuntur. Harum prima conditio est, vt cambium sit verum: secunda, vt sit iustum ipsius pretium.

Ad veritatem autem cambii, de quo agi-
4 tur, multa requiruntur. Primò enim exigitur, vt fiat vera, ac realis commutatio diuersarum pecuniarũ ex vno loco ad alium; ita vt vna pecunia sit præsens data à campsore: & altera sit absens, soluenda à campsuario in loco destinatæ solutionis, habita ratione diuersitatis pecuniæ, & valoris monetarum, iuxta ea, quæ supra adnotauimus, q. 18. & 21. concl. vlt. atque ideò ad veritatem huius cambii reducuntur duæ illæ conditiones primæ, quas ad hoc cambium exigunt

gunt P. Molf.& Filliuc. & in se coincidunt, & pro vna reputantur, vt colligitur ex nostra Extrauag.S.1.in illis verbis, *Pecunia ibi denique cum interesse repofcitur, vbi contractus,&c.* Secundò ad veritatem huius cambii requiritur, vt litteræ, quæ mittuntur sint veræ,& non fictæ:& cum effectu mittantur, nec referantur inanes: & hæc est alia conditio, quam ad cambii, de quo agitur veritatem exigit eadem nostra decretalis, loco citato, ibi, *Vnde processerant inanes referantur*, de qua etiam habetur ex Molf. d.num. 39. Tertiò ad veritatem cambii quoque
6 spectat, vt campsuarius, qui ad cambium accipit per Placentiam, habeat ibi pecuniam, qua possit cambium soluere condicto tempore, vel saltem aliquem amicum, vel corresponsalem, qui pro eo soluat; atque ideo campsuarius in loco destinatæ solutionis pecuniam habeat realiter, aut virtualiter, vt exigit Molf. loco citato,& Sot.lib.6. de iustit.& iur. q.13. art.1. concl.3. ita inquiens, *Si re vera, qui Mediolani recipit, non habet in illis locis pecuniam, neque sperat habere, vt illic soluat; sed vbi recipit, indiget, & illic est soluturus, quicquid campsores fingunt, impudentia cambia sunt.* Idem habetur ex Nauar.c. 17.num.289.dum ait, *Oportet ad iustitiam huiusmodi cambij, vt accipiens pecuniam præsentem, & vendens, vel commutans pro illa absentem, habeat illam in loco solutionis, saltem virtualiter.* His adde quoque Ludouic. Lopez lib.2.de contract. Less.& alios, quos refert, & sequitur Romoald. Col.de camb. cap.22. qui num.1. hanc esse rationem dicunt, quoniam, qui cambium accipit oportet habere in nundinis aliquos effectus liberos, ac deobligatos, ad hoc, vt campsor, qui dedit cambio, si velit in nundinis sibi satisfieri, possit verè soluere, & complere cambium. Hæc quoque conditio desumitur ex eadem nostra Extrauag. d. S. 1. in illis verbis, *Neque quisquam est, qui in nundinis, aut locis supradictis, huiusmodi litteris recepti solutionem faciat.* Quartò ad veritatem
7 cābij pariter requiritur ex Molf. post alios d.num.39. quod campsor sciat, vel probabiliter credat, campsuarium posse pecuniam cambitam soluere in loco destinatæ solutionis; vt etiam docet Nauar. d.c.17. num. 298.& 301. ita inquiens, *Ad iustitiam cambij per litteras requiritur illud tertium, videlicet, quòd campsor sciat, vel probabiliter credat, eum, cui dat pecunias, posse soluere vbi promittit.* Quod quidem adeo verum esse, ait,
8 Romoal.Col.de camb.cap.13. circa fin. vt campsor, qui dedit cambio per Placentiam, si tempore contractus existimasset, campsuarium, qui ad cambium accepit, re vera ibi habere pecuniam, vel creditum pro cābio soluendo in loco condicto, & deinde ante solutionem in cognitionem deuenerit, quod campsuarius neutrum habeat, debet rescindere, & annullare cōtractum, cùm tale cambium ex sui natura sit iniquum, & vsurarium, atque ideo debet esse sua principali sorte contentus, nisi ratio aliqua interesse lucri cessantis, vel damni emergentis concurrat: non tamen contraxit culpā aliquam, stante eiusdem bona fide.

Ex hoc infert idem Romoal. quàm gra-
9 uiter errare, & animas suas decipere, ac illaqueare campsores quosdam vsurarios, qui rectè scientes, campsuarios, qui recipiunt ad cambium non habere in nundinis, nec pecuniam, nec creditum pro solutione cābij, condicto tempore, facienda, scribunt ad eorum procuratores, vt factis debitis protestationibus, litteras cambij remittant ad locum contractus cum interesse recambij: illud, ait, nō esse verè cambium, sed fictum: quia in eo non fit vera, ac realis commutatio vnius pecuniæ cum altera in diuersis, & distantibus locis; quoniam ab initio campsor sciebat, commutationem nunquam fore, sed litteras esse remittendas inanes contra dispositionem nostræ Extrauag. vt supra diximus.

Secundò infertur esse quoque contra
10 veritatem cambij recābium illud, ad quod ex defectu solutionis obligat campsor campsuarium pauperrimum, cui dat cambio, quem scit non habere nec pecuniam, nec creditum in nundinis, nec amicum, qui possit litteras soluere; imò eundem obligare solet ad noua cambia, & recambia, donec de sorte fuerit sibi satisfactum: & non tātùm intendit interesse principalis sortis; verum etiam iniustitiæ addendo, exigit singulis nundinis interesse in remittendis litteris: qui quidem cambiendi modus satis est exhaurire, & consumere in breui facultates ma-

maximi diuitis: & propterea huiusmodi cãbium non verum,& reale; sed ficeum, iniustum, ac fictum à Theologis iudicatur, vt habetur ex Mercat.lib.4.de contr. cap.10. Sot.lib.6.de iust.& iur.q.13.ar.2.Nauar.in c.nauiganti, num.25. de vsur. & Romoald. Col. in suo tract. de camb, cap.14. prope fin.qui hanc esse rationem, ait; quoniam is, qui dedit cambio, sciebat, quòd campsuarius ille,qui cambium accipiebat,in nundinis non habebat pecuniam, nec creditum pro soluendis litteris: vel saltem probabiliter suspicabatur, iuxta ea, quæ supra adnotauimus.

Est tamen verum, quòd si campsor bona
11 fide dederit cambio, existimans certò, vel saltem probabiliter credens, campsuarium, qui cæpit ad cambium habere in loco solutionis pecuniam, aut creditum pro soluendis litteris,si deinde contingat, solutionem non fieri, tunc potest petere interesse lucri cessantis,vel damni emergentis, quod forte passus fuisset: & id intendere potest in primis tantùm nundinis, & in remissione litterarum illatum nundinarum, & non vltra: aliàs campsor non diceretur amplius esse in bona fide, vt rectè probat Romoal. Col. loco citato, in fine. Hæc de prima conditione.

Quo verò ad alterãm cõditionem, nem-
12 pe quòd cambij pretium sit iustum, est adnot. quòd pretium tunc dicetur iustum, quando factum est iuxta communem vsum fori,& iuxta pretium à peritis ad hoc deputatis, definitum: alias si pretium non esset iustum,cambium foret contra iustitiam cõmutatiuam, & non reduceretur ad æqualitatem: qua propter ad iustitiam huiusmodi pretij duo copulatiuè requiruntur. Primò, vt tàm in loco contractus,quàm in loco solutionis faciendæ valor pecuniarum reducatur ad æquilibrium, vt tantum pecuniæ in valore recipiatur,quantum datur,& nõ amplius, iuxta ea,quæ supra adnotauimus, q.18.concl.3.& 4.& q.36. Secundò requiritur, vt pretium commune fori non augeatur ratione temporis dilatæ solutionis;aliàs cambium esset vsurarium, vi nostræ Extrauag.expresse prohibitum, §.2.in fin. in illis verbis, *Curandum autem erit in terminis, vt ratio habeatur longinguitatis, & vicinitatis locorum, in quibus solutio destinatur, ne dum longiores præfiguntur, quam loca destinata solutionis desiderant, fænerandi detur occasio*, atque ideò lucrum ex cambio, non ratione loci,sed ratione temporis perciperetur. Et clarius constat ex §.1. in fin. ibi, *Campsores præstitutum solutionis terminum, lucro ex tacita,vel expressa cõuentione recepto, seu etiam tantummodo promisso, differunt*, & ita quòd in æstimatione pretij cambij non habeatur ratio temporis est de intrinseca ratione iustitiæ illius,iuxta primam,& secundam conditionem, quas Filliuc. post alios exigit ad iustitiam,& realitatem cambij: quibus adde Romoal.Col.de camb.cap.15. His etiam adde,quæ supra diximus, q.35.

Ex hoc infertur primò, quòd contra iu-
13 stitiam pretij cambii nũdinalis agitur,quãdo vnus,vel duo, vel pauci procurant ad se trahere totam pecuniam, adhoc vt paucis existentibus campsoris. & quamplurimis campsuariis accipientibus ad cambium, possint ad eorum libitum cambiorum pretia augere;id enim est iniustum, & expresse prohibitum vi nostræ Extrauag. §. 3. ibi, *Eos verò qui conspirationes fecerint, vel congestam vndique pecuniam, ita ad se redegerint,&c.*

Secundò infertur, quòd contra iustitiam
14 pretii cambii sunt monopolia, quibus abũdantes pecuniis conspirationes faciunt, & pretia iniusta cambiis præfigunt conspirantes,se non daturos ad cambium minori pretio quàm ab eis definito: id enim est iniustum,& non solùm de iure communi,sed vi nostræ Extrauag.expresse damnatum, d.§.3.in illis verbis, *Vel quasi monopolium pecuniæ facere videntur*, quibus adde, quæ habentur ex Filliuc.tom.2.qq.moral.tract.35. de camb.c.7.q.6.& 7.

Tertiò infertur, contra iustitiam pretii
15 cambii committi, quando qui dat cambio indigenti, obligat eum ad accipiendum ad cambium per ea loca, in quibus maius est interesse cambii, potens dare ad cambium per viciniora cum minori interesse, vt habetur ex eodem Romoal. Col. cap.14. vbi id limitat,nisi campsor in locis,per quæ petitur ad cambium,non haberet negotia,nec procuratorem,aut correspondalem, vel loca ipsa essent ei detrimento: quoniam nemo

tene-

tenetur alteri prodesse cum suo proprio dāno: posset etiam excusari campsor ab iniustitia, si alter peteret ab eo ad cambium per locum sibi vtilius: quoniam tunc non teneretur dare cambio pecuniam suam petenti per loca sibi minus vtile. Quę quidem vera esse dicimus; nisi campsor esset publicus obligatus cambire, per loca ad libitum petentium: quoniam tunc non posset denegare dare cambio petenti, etiam si locum, per quod petitur, esset sibi minus vtile, iuxta ea, quæ supra adnotauimus, q. 33. vbi etiam diximus, quòd campsor persona priuata denegans pecuniam suam dare cambio petēti per loca, in quibus minus lucratur, vt supra, licèt possit peccare contra charitatem; non tamen peccat contra iustitiam: secus autem si campsor sit publicus.

16 Patet igitur ex dictis, quòd ad realitatē, & iustitiam cambii duæ tantum conditiones sufficiunt, ad quas reliquæ omnes reducuntur tàm in nostra Extrauag. contentæ, quàm à supra relatis Doctoribus requisitæ. Reliquæ autem, de quibus fit mentio in ipsa Extrauag. quas retulimus in supradicto notando, non pertinent ad iustitiam, & realitatem cambii: siquidem nos ostendimus posse consistere cambium, etiam si fiat pactum de certo interesse: si fiant cambia ad primas, & vlteriores nundinas; & si in terminis solutionis non habeatur ratio longinquitatis, ac vicinitatis locorum, in quibus solutio destinatur; sed per nostram Extrauag. hæc omnia statuta fuerunt ad obuiandum fraudibus, & periculis committendi vsuras, vt videre est apud Ioan. de Salas in suo tract. de camb. dub. 26. & Filliuc. tom. 2. qq. moral. tract. 35. de camb. cap. 11. q. 1.

De iusto pretio cambij ad nundinas qualiter constituatur. Q. XXIX.

SVMMARIVM.

1 *Pretium cambij ad nundinas ad hoc vt dicatur iustum tres conditiones exigit.*

1 PLura de hac re supra q. 16. vers. Quamuis, vsque ad finem q. adnotauimus, ad quæ nos duximus remittendos, ne bis idem repetere videamur: quibus adde ex Roaald. Col. de camb. cap. 16. circa finem, quòd ad hoc vt cambii pretium constitutum dicatur iustum, tres conditiones requiruntur. Prima vt in determinatione pretij non concurrat monopolium, vt supra diximus, q. præcedenti, vers. Secundò infertur, quòd contra. Secunda est, vt pretium constituatur, habita ratione copiæ, vel inopiæ pecuniarum, tàm in loco vbi accipitur ad cambium, quàm in nundinis. Tertia, vt is, qui dat cambio rationem non habeat necessitatis eius, qui ad cambium accipit; nec eiusdem lucri, nec ad modicum creditum, quod habebat, ita vt his rationibus augeatur pretium. vide etiam, quæ habentur ex Filliuc. tom. 2. qq. moral. tract. 35. de camb. cap. 7. q. 6. & 7.

De personis concurrentibus ad celebrandum cambium per nundinas. Q. XXX.

SVMMARIVM.

1 *Cambium locale, & cambium ad nundinas non differunt inter se essentialiter, sed tantùm accidentaliter.*

2 *Vna, & eadem persona potest plures personas in cambijs repræsentare.*

1 AD hanc difficultatem respondetur breuiter, quòd sicut diximus de cābijs per litteras de loco ad locum supra q. 1. not. 2. ita etiam dicendum est de cambio ad nundinas: siquidem hoc cambium est etiam per litteras, & localis; ita vt cābium locale, & ad nundinas non differant inter se essentialiter; sed tantùm accidentaliter, vt rectè declarat Filliuc. tom. 2. qq. moral. tract. 35. de censib. & camb. c. 7. q. 1. num. 408. Vndè sicut de alijs cambijs in d. q. 1. phylosophati fuimus, & probauimus, quòd cambium in genere cùm sit contractus respectiuus exigit pluralitatem personarum, ita vt celebrari nequeat, nisi ad minus inter duas personas, & quòd aliquando ad constituendum cum concurrant tres personæ, & quandoque quatuor, eodem modo phylosophari

losophandum est de cambio ad nundinas; atque ideo in eo aliquando interueniunt quatuor personę, nempe campsor, campsuarius, & amborum procuratores: quandoque concurrunt três tantùm personæ, nempe campsor, campsuarius, & campsoris procurator, seu socius, qui duplicem personam repræsentat, campsoris scilicet, & campsuarii: siquidem vna, & eadem persona potest plures personas repręsentare: & quod in duabus personis recipitur, hoc in eadem persona recipi potest, vt in l. singularia, ff. si cert. petat. atque ideo diuersis respectibus potest vnus diuersas personas repręsentare, l. in tribus, ff. de iudic. c. ex litteris, de probat. Et quòd à semetipso possit aliquis exigere, est tex. in l. si negotia, & ibi Glos. ff. mand. l. si pupilli, §. fin. & l. qui sine, ff. de negot. gest. & latè habetur ex Molf. p. 2. suæ sum. tract. 12. cap. 7. num. 51. & Filliuc. loco citato, q. 1. Denique in cambio nūdinali possunt concurrere duæ tantùm personæ, vt quia tàm campsor, quàm campsuarius vellent ad nundinas accedere, & campsuarius ipsi campsori cambium soluere: quo casu mutantur litteræ quoad personam, quæ deberet soluere, & scriberet sibimet ipsi, vt declarat Scac. de commerc. & camb. §. 1. q. 5. sub num. 75. Item duæ tantùm personę concurrunt in cambio, quod vulgò dicitur, *delle cantationi*, de quo habetur per Filliuc. loco citato, cap. 8. q. 5. & 6. vbi huiusmodi cambii duas esse species ait. Et deniquè duæ tantùm personæ possunt concurrere in cambio, quod vulgo dicitur *con la ricorsa*, seu con ricapitare le lettere sopra il datore, de quo Scac. de cōmerc. & camb. §. 6. Glos. 1. de quorum omnium, & singulorum iustitia infra, Deo duce, suo loco dicemus.

De cambio de loco ad nundinas, in quo quatuor personæ concurrūt, & frequenter hodie fit à Genua ad nūdinas Placentię. Q. XXXI.

S V M M A R I V M.

1 *Cambij de loco ad nundinas, in quo quatuor personæ concurrunt, praxis refertur.*
2 *Forma litterarum cambij ad nundinas traditur.*
3 *Forma litterarum de auiso ponitur.*
4 *Litteræ cambij ad nundinas declarantur.*
5 *Marcharum scuti pretium est variabile.*
6 *Litteræ de auiso, declarantur.*
7 *Hęc verbo.* v'hò tratto, *quid denotent, explicatur.*
8 *Forma litterarum, quas campsor scribit ad suum procuratorem, traditur.*
9 *Litteræ, quas campsor scribit ad procuratorem suum, declarantur.*
10 *Verba hæc,* vi rimetto, *quid significent, ostēditur.*
11 *Campsuarius per acceptationem litterarum eximitur ab obligatione campsoris, & efficitur debitor eius, qui litteras acceptauit.*
12 *Verba illa,* con stare per il credere, *declarantur.*
13 *Forma litterarum recambij traditur.*
14 *Forma per litterarum procuratoris campsuarij, explicatur.*
15 *Cambium de loco ad nundinas quando in eodem loco soluitur, in quo celebratur est siccum.*
16 *Mutuatio sub vsuris affert magnum incommodum mutuo accipienti.*
17 *Cambium, in quo non seruatur æqualitas, est iniustum.*
18 *Cambium à loco ad nundinas, ad sui iustitiam exigit commutationem pecuniarum loco diuersarum.*
19 *Cambium de loco ad nundinas, est licitum.*
20 *Pecunia præsens plus valet, quàm absens.*
21 *Cambium de loco ad nundinas, essentialiter non differt à cambio de loco ad locum; sed tantùm accidentaliter.*
22 *Pecunia si soluatur in loco celebrati contractus primi cambij per viam recambij, non ob id dicitur cambium in eodem loco solui, in quo fuit celebratum.*
23 *Vsura ex eo damnatur, quia indebita est mutuanti.*
24 *Marcharum scutum licèt non sit in rerum natura; eius tamen solutio fit in pecunia existente.*

1 AD tituli q. explicationem ponamus casum, Titius dat mille aureos ad cambium Sempronio Genuæ per Placentiam ad primas nundinas hoc modo videlicet.

cet. Dat, inquam, Sẽpronio Genuę solidos aureos 66. vt det illi in nundinis scutũ vnũ marcharum, quod in nundinis valet solid. 67.4. Et quoniã scutum Genuæ valet 68. solid. hinc fit, quòd Titius dando Sempronio ad cãbium 1000. scuta Genuæ, quorum singula ęstimãtur solid. 68. recipiet in nũdinis scuta 1030.6. marchar. & sic in hoc cãbio Titius pro scutis 1000. datis Genuę recipit scuta 1010. Placentiæ iusti ponderis, seu quinque stamparum; atque ideo lucratur scuta 10. in circa, quæ sunt ad rationem vnius, & paulò plus pro centenario. Facta conuentione, scribuntur litteræ à Sempronio cãpsuario ad Pamphilum suum correspõsalem: & à Titio campsore ad Caium similiter suum correspõsalem, seu procuratorem existentes Placentiæ, sub hac forma.

Al Magnifico Pamfilo, Da Genua in Piacenza.

A pagamenti di fiera prossima de Santi pagarete per questa prima de cambio al Mag. Caio scuti 1030.6. di marche per la valuta hauuto nel cartulario de cambij da Titio, e ponete à conto mio, à Dio.

Vostro Sempronio.

2 ISte litteræ dicuntur de cãbio, & scribit Sempronius, qui accipit à Titio ad cambium, ad Pamphilum suum procuratorem, seu correspõsalem, ad quem habuit recursum in nundinis, vt pro se soluat Caio, qui nomine Titij debet exigere in nundinis: & deinde idem Sempronius scribit alias litteras eidem Pamphilo; quæ dicuntur, *De auiso.* atque ideò in hoc cambio concurrunt quatuor personæ, nempe Titius campsor, Sempronius campsuarius, Caius procurator Titij, & Pãphilus procurator Sempronij. Litteræ autem sunt tenoris sequentis.

Al Mag. Pamfilo, da Genua, à Piacenza.

Mag. & honorando, vi hò tratto in messer Caio scuti 1030.6. de marche, conti con Titio. fa-
3 *rete contento compirli, e con vostre spese proueder uene qui da me. A Dio.*

Vostro Sempronio.

4 CIrca primas litteras, quæ sunt de cambio, sunt primò notanda illa verba, *Al Mag. Pamfilo.* siquidem Sempronius campsuarius cùm non habeat domum in nundinis, habet recursum ad Pamphilum, vt pro eo soluat. Secundò sunt notanda illa verba, *Da Genua à Piacenza.* quoniam huiusmodi cambium fit Genuę per nundinas Placentiæ. Tertiò dicitur, *à pagamenti di fera.* ad demonstrandũ quòd cambium est de loco ad nundinas, ad differentiam cambiorũ quę fiunt de loco ad locum, in quorum litteris scribitur, *A lettera vista, ò vero à otto, diece, o vinti, giorni, più ò meno, secondo la cõuentione di cõtrahenti.* Quartò nota dictionẽ illam, *Proxima.* Nam cambia per nundinas ex vi nostræ Extrauag. non possunt celebrari nisi ad proximas nundinas. Quintò scribitur *de Santi:* quoniam nundinę, vt diximus supra, q.26. celebrãtur Placentiæ quater in anno de trimestre ad trimestre, quarum primæ dicuntur, de Apparitione: Secũdę, de Pascha. Tertiæ, d'Agosto: & vltimæ, de Santi, vt supra d. q.26. declarauimus. Quintò dicitur, *Per questa prima de cambio.* quoniam solent plures litterę concedi, vt si primæ perdantur, possint aliæ pręsentari, iuxta ea, quæ d. q.26. adnotauimus. Sextò scribitur, *A Caio.* quoniã Titius campsor similiter non hebet domum in nundinis, & ideo habet recursum ad Caium, vt pro eo pecuniam datam ad cambium exigat, vndè ipsi Caio facienda est solutio. Septimò dicitur, *scuti 1030. 6.* Etenim Titius dedit ad cambium Genuæ scuta 1000. quolibet solid. 68. & recipit in nũdinis scuta marcharũ 1030.6. quodlibet solid. 67. & 4. empta solid. 66. & sic Titius campsor plus accipit in nundinis, quàm dedit: nam dedit ad cambium scuta 1000. auri iusti ponderis Genuæ, & exigit Placentię scuta 1010. iusti ponderis, & sic lucratur scuta 10. quæ sunt ad rationẽ vnius, & paulò plus pro singulis 100. vndè licèt scutum
5 marcharũ semper valeat in nundinis solid. 67.4. & pluris, & raro minus; in hoc tamen cambio fuit valutatum solid 66. & hæc valutatio variatur: siquidẽ interdum plus ęstimatur, & interdum minus, & sic nõ semper pari modo, & pari pretio cambitur. Octauò dicitur, *Per la valuta hauuta qui nel cartulario de cambij.* quia extat vnus scriba, qui adnotat singula cambia in quodam libro, vt exigantur gabellæ, quæ à Repub. Ianuen. impo-

impositæ sunt cambijs: nam gabella soluitur à dante ad cambium, & pro ea soluũtur duo solidi aurei pro quolibet centenario, vt rectè declarat Scac. de commerc. & camb. §.3. Glos.4. num.4. Et quia in ipso libro, seu cartulario fiunt solutiones, ideo dicitur, *quì nel cartulario de cambij*. Nonò scribitur. *Da Titio*, quoniam Titius dedit ad cambium illa scuta 100. Decimò scribitur, *Et mettete à mio conto*, nam suo nomine debet soluere, & ipsum facere debitorem de solutis pecuniis in suo libro, seu cartulario, quem vulgariter campsores appellant, *scartafaccio*.

Circa secundas litteras nuncupatas, *de*
6 *auiso*, in primis in eis scribitur, *Al Mag. Pamfilo*, siquidem litteræ diriguntur ad Pāphilum suum correspõsalem. Secundò dicitur, *Genua ad Piacenza*, quoniam litteræ diriguntur à Genua in Placẽtiam, per quam fuit celebratum cambium. Tertiò dicitur, *v'hò tratto*, siquidem hic est loquendi modus apud mercatores, & nihil aliud denotat, quàm committere alicui per litteras cambij, vt soluat, & id dicitur, *trare*, vndè dum scribitur, *v'hò tratto*, idem est, ac si di-
7 ceretur, *commisi tibi per litteras cambij vt solueres Caio*. Quartò dicitur *scuti*, 1030.6. *conti con Titio*, vt indicaret, quòd à Titio Sempronius accepit ad cambium dictam pecuniam, & ideò facienda est solutio Caio in vtilitatem Titij. Quintò scribitur, *& con vostre spese prouedeteuene quà da me*, vt demonstraret, quòd Pamphilus non habet apud se pecunias Sempronij; sed quòd soluar de suis proprijs, vel alterius; atque ideò, vt debitum extinguat, accipit pecuniam illam ad cambium pro Genua, vt Sempronius soluat danti ad cambium in nundinis. Denique dicitur, *con vostre spese*, nam Pamphilo propter famulatum, & obsequium debentur prouisiones, ideò accipit ad cambium tantò plus, & in litteris cambij, quas scribit Sempronio Genuam, vt soluat connumerabit omnia, & sic cùm ipse soluerit tantùm scuta 1030.6 mandat Sempronio, vt soluat scuta 1033. 38. Hæ sunt litteræ, quas scribere debet accipiẽs ad cambium; quarum prior dicitur ad cambium: & posterior de auiso.

Titius campsor, qui dedit cambio scribit
8 etiam litteras suas ad Caium suum correspõsalem, qui est illud exacturus, vt sciat, quid debeat exigere, & quid facturus sit post quam exegerit; quæ sunt tenoris sequentis.

Al Mag. Caio, Da Genua in Piacenza.

Mag. honorando, vi rimetto per mio conto, come vedete per l'inclusa de cambio in Pamfilo scuti 1030.6. *de marche, ne procurarete promessa, e pagamento, & dedutte le vostre spese, mi rimetterete quà il resto, con stare per il credere. A Dio.*

Vostro Titio.

9 Circa has litteras est adnot. quòd scribitur primò, *Al Mag. Caio*, quia litteræ diriguntur ad Caiũ correspõsalem Titii. Secundò dicitur, *Da Genua in Piacenza*, quoniam à Genua in Placentiam mittũtur, per quam fuit data pecunia ad cambium. Tertiò sunt adnotanda verba illa, *vi rimetto*, quoniam idem est, ac si diceret, Destino te exactorem pro me. Quartò dicitur, *per*
10 *mio conto*, quia illa verba significant, quòd pecunia exigenda pertinet ad ipsum Titium campsorem. Quintò sunt ponderanda verba illa, *Per l'inclusa de cambio*, nã significant, quòd is, qui accepit pecuniam ad cambium scribit litteras cambii, quas tradit danti pecuniam ad cambium, & ipsas litteras suo procuratori, seu exactori mittit, vt possit præsentare, & exigere. Sextò dicitur, *In Pamfilo*, vt ostenderet, à quo in nundinis sit exacturus, nempe à Pamphilo. Septimò dicitur, *Ne procurarete promessa, e pagamento*, quia denotat, quòd prima die in nundinis sunt præsentationes litterarum, quas, acceptationes vocant, & si is, cui debent præsentari, acceptat, ex acceptatione factus est
11 debitor, & suo tempore soluit, & is, qui litteras scripsit, non dicitur amplius debitor, quia dicitur iam soluisse, iuxta ea, quæ supra adnotauimus, q.1. vers. Declarantur supradictæ litteræ. Si verò non acceptaret, tunc fiunt protestationes, & remittuntur litteræ cum protestatione: vndè qui accepit, soluit omnia damna, & interesse. Octauò dicitur, *Et dedutte vostre spese, rimetterete quà il resto.* Pro istorum verborum explicatione sunt tria notanda. Primum, quòd procuratori
12 exigenti debetur salarium, quod appellantur

tur prouisiones à Mercatoribus: est enim merces debita, & solet dari tertia pars vnius scuti pro singulis 100. Secundum post quam exegerit debet recābire per Genuam, & dare ad cambium rursus nomine Titij principalis. Tertium, quòd sicut dicit, cambiat per Genuam, ita etiam potuisset mandare, vt cambiret pro alio loco. Dicitur denique *constare per il credere*, quoniam his verbis exigit non modo recambium, sed etiam assecurationem. Vndè Caius tenetur Titio duplici contractu, vno tanquam procurator ad exigendum, & cambiendum: alterum tanquam assecurator: si enim is, qui accipit ad cambium à Caio in nūdinis non esset soluendo, Caius ratione assecurationis teneretur Titio. Hæ sunt litteræ, quæ mittuntur de loco ad nundinas tàm ex parte campsoris, quàm ex parte campsuarij.

Deinde à nundinis vbi fiunt secunda cā-
13 bia, & Caius, qui nomine Titij exigit pecuniam, iterum illàm tradit ad cambium pro Genua; sed in primis deducit suam prouisionem, & gabellam. Qua propter ipsa scuta 1030.6. remanent 1025. 48. Supponamus modò, quòd hæc donet ad cambium Meuio secundum quantitatem computi, quod fit ad rationem solid 67. 8. tunc ipse Caius scribit Titio in hanc formam.

1628. *Al nobile Titio, à Genua.*

Mag. honorando, in risposta della vostra hauuta in questa sera, dirò d'hauere dato conto de scuti 1030.6. *di marche; che m'hauete rimessi, hauutone promessa, e pagamento, e debito di* 1025. 48. *rimessoui à Francesco Raggio per lettera inclusa de Meuio, ne procurarete pagamento, con estinguere il conto, il quale con la prouisione, & gabella resta pari. A Dio.*

Vostro Caio.

Qualiter autē gabella soluatur pro cābio, & cur dicatur vndecena, vide Scac. de commerc. & camb. §. 3. Glos. 4. num. 4.

14 Meuius deinde, qui accipit in nundinis dictam pecuniam ad cambium suas litteras scribit, sub hac forma.

Al nobile Francesco Raggio, in Genua.

1628. *à* 23. *di Nouembre in Piacenza scuti* 1025.48. *à sold.* 67.4.

Alli 13. *di Decembre prossimo, pagate per questa prima de cambio à Titio scuti* 1025.48. *à sold.* 67.8. *per scuto in scuti d'oro in oro di sold.* 68. *per la valuta hauuta da Caio. A Dio.*

Vostro Meuio.

Simili modo Meuius, qui in nundinis soluit pro Sempronio de pecunia sua, vel aliena facit cambium, & scribit litteras Genuam, quæ præsentantur Sēpronio, & Sempronius soluit integrum debitum.

Quæritur modo, an huiusmodi cambium sit licitum.

15 In hac re videtur prima facie negatiuè respondendum esse. Probatur primò, quoniam pecunia data ad cambium redditur cambita campsori in eodem loco, in quo cābij contractus fuit celebratus: id autem tanquam vsurarium per nostram Extrauag. damnatur: ergò cambium, de quo agitur nō est licitum. Maior patet. Probatur minor ex nostro §. in illis verbis, *Pecunia ibi denique cum interesse reposcitur, vbi contractus fuerat celebratus.*

16 Secundò mutuatio sub vsuris nulla alia ratione tanquam vsuraria reprobatur, nisi quia accipienti mutuo sub vsuris, magnum incommodum infertur: sed cambium huiusmodi est magis incommodum campsuario, quàm sibi esset mutuatio sub vsuris; ergo, &c. Maior patet. Probatur minor; quia mutuatarius non cogeretur vltra vsuras soluere prouisiones, & gabellas, sicut cogitur, qui accipit hoc modo ad cambium.

17 Tertiò in hoc cambio nō seruatur æqualitas: siquidem campsor dat solidos 66. auri Genuę, recepturus scutum marcharum Placentiæ, quod valet solid. 67. 4. Et id non prouenit ex eo quòd moneta sit diuersa, cùm sit eadem, & scutum marchar. Genuæ valeat tot solidos, quot Placētiæ; ergo cùm in hoc cambio non seruetur æqualitas, proculdubio est iniustum.

Denique adhoc vt cambium sit licitum,
18 & verum, debet in eo interuenire commutatio vnius pecuniæ cum altera, loco diuersa,vt supra probauimus, quæst.43. Sed in hoc cambio non interuenit commutatio:ergo non est licitum, nec verum cambium. Minor patet; quia Titius campsor pecuniam præsentem dedit Sempronio,qui non habebat pecuniam absentem in nundinis:qua propter permutatio cum re,quæ nō extat,non potest dici vera permutatio.Cōfirmatur,quoniam illa pecunia Titius campsor in nundinis non indiget; ergo non videtur habere animum permutandi, sed potius mutuandi cum lucro.

Oppositis tamen non obstantibus, con-
19 trariam sententiam arbitror de iure veriorem esse, atque adeò dictum cambium esse licitum. Probatur hæc sententia ex eo quòd in huiusmodi cambio cōcurrunt omnia requisita ad veritatem,& iustitiam veri, realis,ac iusti cambii. Concurrit enim vera, & realis permutatio diuersarum monetarum ex vno loco in alium, habita ratione diuersitatis pecuniæ, & valoris monetarum. Etenim Titius campsor dum dat pecuniam ad cambium Sempronio Genuæ per Placentiam,verè, ac realiter commutat pecuniam præsentem cum scuto marcharum absente,quòd licèt non sit in rerum natura; nihilominus eius pretium est definitum in hoc cambio ad rationem solid.67.4. cuius solutio fit in moneta aurea scutorum quinque stamparum, quæ extant, & sunt in rerum natura. Et quamuis ipse campsor videatur plus recipere, quàm dare; nam dat solid.66. Genuæ, & Placentiæ recipit solid. 67. 4. nihilominus re vera non plus recipit; quia pecunia præsens plus valet, quàm absens; & insuper ipse campsor
20 dat operas, & alia exhibet,quibus meretur lucrum illud vnius solidi, & quatuor denariorum,iuxta ea,quæ supra diximus, quæst. 11. vers. Nec obstat, quòd campsor vsque in finem. Et re vera secundum communem æstimationem scutum marchar. 66. solidis æstimatur; & propterea seruatur æqualitas inter datum, & acceptum, atque ideò nulla in hoc cambio committitur iniustitia; sicut in emptione cuiuscunque rei, quæ pretio currenti emitur, iniustitia allegari non potest. Denique cambium de loco ad locum, in quo campsor prius dat pe-
21 cuniam recepturus in alio, est licitum, vt supra probauimus d.quæst.11.ergo licitum est cambium,de quo agitur: quoniam cambium istud essentialiter non differt ab illo, vt habetur ex Nauar. in suo Man. cap.17. num.283.littera M.Filliuc. tom.2. qq. moral.tract.35.de censib. & camb. cap.7. q.2. Romoal. Col. de camb. cap.10. Ioan. de Salas, eod. tract. dub.16. & alijs. Etenim in vtroque cambio eadem personæ conueniunt, & in taxando pretio habetur ratio longinquitatis temporis per accidens, & per se habetur ratio copiæ, vel inopiæ pecuniarum,campsorum,& campsariorum, vt rectè declarat Filliuc.loco citato.

Restat modo vt contraria soluamus.

22 Ad primum respondetur, quòd in cambio,de quo agitur, pecunia data ad cambium, non redditur cambita in eodem loco,in quo fuit celebratus contractus: quoniam pecunia illa fuit cambita in nundinis, ibique fuerunt solutæ litteræ per correspondalem Sempronij campsarij, qui quidem correspondalis, quia dictas litteras soluit de propria pecunia, vel de aliena accepta ad cambium, per viam recambij, & sic per nouum cambium scribit litteras Genuam, quæ præsentantur Sempronio, & sic Sempronius soluit integrum debitum Titio campsori iuxta litterarum seriem, ita vt per accidens, facta in loco contractus solutione recambitur cum eodem Titio; atque ideò verè sunt duo contractus distincti, & duo cambia, alterum à Genua ad Placentiam,& alterum à Placentia, & sic à nundinis Genuam.

Ad secundum negatur antecedens: nam
23 non ex eo damnatur vsura,quia per eam incommodum infertur mutuatario; sed quia est indebita mutuanti, cùm recipiatur in pretium vsus rei mutuatæ, qui vsus non est, cùm vsus rei mutuatæ sit ipsa rei consumptio. At cambium,de quo agitur,cùm non sit vsuraria mutuatio; sed realis, ac licitus contractus, vt supra probauimus: quod ex

eo

eo prouenat incommodum campsuario, non attenditur, tum quia illud incommodum compensatur cum commodo,quod ex dicto cambio cāpsuarius accipit;tum etiam quoniam incommodum ipsum sequitur naturam talis negotiationis in compensationem operum campsoris, maioris valoris pecuniæ datæ ad cambium, cùm pecunia præsens plus valeat, quàm absens, & aliorum,de quibus supra diximus, q. 11.

Ad tertium patet responsio ex dictis. Non enim antecedens est verum;quoniam, vt sæpe diximus, pecunia præsens plus valet,quàm absens:& licèt hæc non esset causa sufficiens;tamen subintrat ratio stipendij, & aliorum, de quibus supra diximus, d.q. 11. quæ iustificant contractum; quamuis campsor minus det, quàm sit accepturus.

Ad vltimum negatur minor; quoniam
24 Sempronius,qui accipit ad cambium, quāuis actu non haberet pecuniam absentem in nundinis;habebat tamen virtute: & scutum marcharum etsi non extet in rerum natura; solutio tamen illius fit in pecunia existente,vt supra diximus. Ad confirmationem dicitur, quòd si re vera mala intentio campsoris concurreret peccaret quidem campsor;non tamen contractus in se esset illicitus, si intentionem non manifestauerit, & conditiones ad legitimum cambium requisitæ concurrant.

An correspondalis, qui in nundinis pro soluendis litteris campsuarij, accepit cambio ab alio cum minori interesse, quàm sit pretium fori, id cedat in emolumētum ipsius campsuarij, vel correspondalis. Q. XXXII.

SVMMARIVM.

1 *Mandatarius qualiter à procuratore differat, declaratur.*

2 *Mandatarij, & procuratores tenentur fideliter, ac diligenter exequi eorum mandatum.*

3 *Mandatum quantumuis sit generale, debet intelligi, vt executioni sit demandandum citra dolum mandatarij, & dissipationem bonorum mandantis.*

4 *Mandatarius se debet gerere in administratione rei mandantis, tanquam bonus paterfamilias.*

5 *Mandatarius dicitur esse in dolo, si non exigit quantum valet credita mandantis.*

6 *Artifex si in exercitio suo malè se gerat, tenetur conductori ad interesse.*

7 *Mandatarius rem mandantis fideliter non administrans, latroni æquiparatur quoad infamiam.*

8 *Mandatarius iustè sibi appropriare potest lucrum, quod vltra commune pretium fori ex cambio consequitur, ex eo quòd sit, vt vulgo dicitur,* Buona lettera.

9 *Quilibet rei suæ est moderator, & arbiter.*

10 *Famulus recipiens à Domino suo pecunias ad emendas fruges, si illas cambiat, lucrum, quod ex tali cambio consequitur, iustè sibi appropriare potest.*

11 *Donatio facta procuratori, non cedit in vtilitatem Domini, sed procuratoris.*

12 *Mandans si est æquè diues, ac mandatarius, ipse mandatarius non potest iustè sibi appropriare lucrum cambij supra commune pretium cambij.*

PRo tituli quæstionis explicatione ponamus casum, quòd Titius mille aureis indigens acceperit eos ad cambium Genuæ à Sempronio, soluendos Placentiæ ad primas nundinas, & dederit litteras cāpsori directas Meuio mercatori ditissimo pro solutione dicti cambij:qui quidem Meuius cùm vulgò dicatur, *Buona lettera*, accepit eosdem ad cambium ab alio cum minori interesse, quàm sit pretium fori, atque ideo vendidit scutum marcharum pluris,& vltra pretium taxatum;quæritur,an lucrum illud cedat Titio,vel sibi appropriare possit Meuius.

Similem casum ponit P. Iustin. noster in suo tract.de contin.camb.q.8.num. 2.in prima editione, & in secunda, q. 11. & pro Titio contra Meuium videtur respondere. Probatur hæc sententia primò; quia Meuius infideliter diceretur agere negotia Titij,

1 siue mandatarius sit, siue correspondalis, si lucrū illud sibi appropriaret. Etenim quāuis in eo differat mandatarius à procuratore, quòd prior gratuitò; posterior verò, mediante aliquo stipendio, alterius negotia gerit, vt in l. 1. ff. mand. & l. litem, C. de pro-
2 cur. vterque tamen tenetur exequi cōmissionem mandantis fideliter, ac diligenter, & in eiusdem vtilitatem: siquidem ersi ante susceptum mandatū, mandatarius sit liber ad illud acceptandum, vel recusandum; attamen post ipsius acceptationem cogitur mandatum exequi iuxta eiusdem cōtinentiam, & tenorē, l. 3. ff. mand. & §. is, qui exequitur, in Inst. eod. tit. Quòd Meuius infideliter se gereret in hac re, paret: quia cùm mandatum exequi cogatur iuxta ipsius tenorem, l. diligenter, ff. mand. c. cùm dilectis, de rescript. c. cùm venisset, de eo qui mittit. in possess. & c. Pisanis, vbi Panor. & alij, de restit. spoliat. & procurare vtilitatem mandantis; si lucrum, de quo agitur, sibi, & non potius Titio applicaret, infideliter proculdubio se gereret.

Secūdò probatur dicta sentētia pro eun-
3 dem P. Iustinianum, ibi, ex ijs, quæ docet Natt. cons. 115. num. 8. vol. 1. vbi habet, quòd mandatum quantumuis generale, ac illimitatum, debet intelligi, vt executioni sit demandandum citra dolum mandatarij, & dissipationem bonorum mandantis, iuxta tex. in l. creditor, §. Lucius, ff. mand. At proculdubio Meuius dolosè diceretur se gerere, & bona ipsius mandantis dissipare, si cùm possit mandantis vtilitati consulere in negotio sibi commisso, suam potius vtilitatem respiceret.

Tertiò dicitur esse in dolo mandatarius,
4 si non exigit quantū valet credita mandantis, vt in l. dolus, ff. mand. ergò pariter in dolo dicitur esse, si res mandantis desinit vendere quantum potest. At Meuius in casu nostro non vendit scutum marcharum quantum potest, dum lucrum prædictum sibi, & non Titio applicat; ergo est in dolo, peccat, & ad restitutionem compellitur.

Quartò Mandatarius se debet gerere in
5 administratione rei mandantis tāquàm bonus paterfamilias se gereret in re propria administranda, arg. tex. in l. 1. ff. de solut. l. hæres, §. nō tantùm, ff. famil. ercisc. l. si solus, l. si constante, §. si maritus, ff. pro soc. & l. 1. §. is quoque, de action. & obligat. sed si Meuius scutum marcharum vendat minoris, cùm vendere potuisset pluris, non ita se gerit: ergò, &c.

Quintò Artifex locans operas suas, si in
6 artificio malè se gerat, tenetur conductori ad interesse, l. in lege, l. opus, l. ea lege, §. locaui, & l. maritus, ff. loc. ergò idem dicendū est de mandatario, de quo agitur, qui potuisset vendere scutum marcharum pluris, vendidit minoris. Etenim mandatarius prædictus nō potest dici simplex mandatarius, sed potius se habet ad instar procuratoris locantis operas suas; postquàm ex negario mercedem consequitur, quamuis à Doctoribus mandatarij nuncupentur homines huiusmodi, vt habetur ex Molin. de contr. disp. 551. num. 5. Paris. cons. 47. & cons. 91. vol. 1.

Denique mandatarius rem mandantis fi-
7 deliter non administrans, & latro æquiparantur quoad infamiam, vt in l. furti, §. mandati, ff. de his, qui notant. infam. Sed Meuius in casu, de quo agitur, infideliter se gessit, per ea, quæ supra diximus: ergò vt latro notatur infamia, atque ideo peccat, & restituere tenetur omne lucrum, quod ex negotio mandantis fuerit consecutus, iuxta tex. in l. idemque, §. si procures, l. ex mandante, l. si verò, §. mandatarius, & l. si negotia, ff. mand.

His tamen non obstantibus, contrariam
8 sententiam puto veriorem esse, atque adeò Meuiū licitè appropriare sibi posse lucrum, quod vltra pretium fori ex dicto cambio fuit consecutus, nec illud teneri Titio restituere. Probatur, quoniam lucrum illud non consequitur vt procurator, & mandatarius Titij; sed vt Meuius mercator ditissimus, qui vulgariter dicitur, *Buona lettera*. ob quam causam pluris vendit scutum marcharum; quàm alius mercator, qui non esset talis: & propterea ipsi cedit lucrum illud vltra pretium taxatum, & non Titio.

Secundò probatur ex communi campso-
9 rum, ac mercatorum consuetudine, qui lucrū, de quo agitur, mandatarijs concedunt, non mandanti: ergò interpetrantur, illud prouenire ex propria persona mandatarij, vt talis persona est, & non ex persona mandantis,

dantis, & ex eiusdē mandato: ergò mandatario debetur, & nō mādanti: eò magis, quia cùm sint correspondales, & mandans sciat cōditionem mandatarij, & consuetudinem prædictam inter mercatores, perceptioni talis lucri per mandatarium censetur consentire, eidemque remittere, cùm quilibet dicatur moderator, & arbitrer rei suę, l. in re mandata, C. mand.

Tertiò si Dominus pecunias aureas de-
10 derit suo famulo, & mercedes operarijs soluat, & res emat victui necessarias: & ipse famulus cambiet eas cum argenteis, & aliquid lucretur, illud lucrum non cedit Domino, sed ipsi famulo: eo quòd lucrum illud efficit non vt Domini famulus, sed vt talis persona industria, vt latè habetur ex Molin. de contract. disp. 402. Less. lib. de Iust. & iur. cap. 23. dub. 2. num. 17. & ex alijs; ergò idem dicendū est in casu nostro, vt lucrum, de quo quæritur, cedat mandatario, non mandanti, cùm illud non fuerit assecutus tanquam mandatarius; sed vt talis persona diues, & opulenta, atque ideo, vt est, *Buona lettera.* nā huiusmodi personæ semper vendunt scutum marcharum pluris quàm alij, qui non sunt tales, cùm eadem ratio militet in vtroque casu: arg. tex. in l. illud, ff. ad leg. Aquil.

Quartò pretiū taxatum in foro pro singulis scutis marcharum, est iustum, vt supra probauimus: ergo si mandatarius aliquid aliud consequitur, id non prouenit ex valore scuti mandantis; sed ex persona mandatarij, & credito, quod magis habet, quàm ipse mandans, ergò lucrum illud cedere debet in vtilitatem mandatarij, & non mandantis.

Denique pro hac sententia rectè faciunt
11 ea, quæ docent Doctores, quos refert, & sequitur Say. lib. 12. clau. Reg. cap. 24. de procuratore, num. 5. tom. 2. dicētes, quòd commodum, seu obsequium factum procuratori, seu amico alicuius, nō vt talis est; sed vt est amicus obsequentis, seu commodum conferentis; tale commodum spectat procuratori, seu amico, non autem principali: ergò idem dicendum est in casu nostro, cùm non possit assignari diuersitatis ratio, cur hoc casu debeatur huic commodum, & non mandatario, de quo agitur.

Nec obstat id, quod ex aduerso respondetur; nempe in posteriori casu fuisse collatū illud procuratori, seu amico propter affectum, quo conferens eum prosequebatur: at in priori casu fuit ortum lucrum illud propter creditum, quod cōsequi solent omnes mercatores diuites eiusdem conditionis: Quoniam respondetur, impertinens esse ad rem nostram, quòd commodum huiusmodi proueniat ex affectu, quo mandatarium, seu procuratorem quis prosequatur: aut ex eo quòd diues est, & maximum creditum habeat, aut alia ex causa ad constituendam rationem differentiæ in casibus prædictis; sed satis est, quòd commodum illud sit collatum mandatario, non vt mandatarius est Titij; sed vt persona talis est, & gratia ipsius; eo quòd magnas opes habeat, & propterea campsor sit securus de habendo scutū marcharum, quod emit.

Limitandam puto tamen hanc senten-
12 tiam, nisi Titius mandans esset similiter mercator diues valdè, atque adeò, *buona lettera.* sicut ipse Meuius mandatarius: nam tunc cum ipse mandans eodem pretio scutum marchatum vendidisset, lucrum ipsi videtur deberi, non autem mandatario, cùm mandatarius repræsentet personam mandantis, & omne id debeat exequi, quod posset, & vellet ipse mandans, quando potestas sibi non est limitata, iuxta ea, quæ habentur ex Molin. de contr. disp. 552. num. 2. & seq. Dummodo è conuerso Titius idipsum verisimiliter egisset erga Meuium: & id videntur probare rationes Iustiniani, si rectè perpendantur.

Restat modò, vt ad contraria respondeamus.

AD primùm negatur minor; quia Meuius dicitur fideliter se gerere erga Titium dum scutum marchatum sibi computat iuxta pretium fori, nec ad aliud tenebatur, vt supra diximus.

Ad secundum negatur quoque minor: nam non dicitur dolosè agere, qui quod sibi de iure, & de communi mercatorum cōsuetudine debetur, consequitur.

Ad tertium, ad minorem respondentes

dicimus, quòd Meuius vt mandatarius Titij vendidit rem illius quantum potuit, dum pro pretio fori scutum eius marcharum distraxit: illud autem, quod supra vendidit, non vendidit, vt mandatarius Titij; sed vt talis persona diues, atque ideo, *buona lettera*.

Ad quartum negatur minor: siquidem Meuius, vt Titij mandatarius se gerit vt bonus paterfamilias, dum scutum marcharum vendidit pretio fori; illud tamen, quod vltra vendidit, non distraxit vt mandatarius Titij; sed vt talis persona est, nempe diues, & magnum creditum habens.

Ad quintum negatur consequentia; quia mandatarius vt mandatarius est, vendidit scutum marcharum iusto pretio, & non minoris.

Ad vltimum negatur minor: non enim Meuius infideliter dicitur se gerere, dum scutum marcharum vendit pretio fori in beneficium mandantis. Hæc de ista quæstione, restat modo, vt S. huius particulas per proprias quæstiones explicemus.

In tex. ibi, *Litteras quidem suas cambij tradunt*. An cambium semper dicatur siccum, vbi litteræ traduntur, & ad nundinas, aut alium locum non mittuntur. Q. XXXIII.

SVMMARIVM.

1 *Cambium, in quo litteræ non traduntur, semper dici siccum, qui doceant, recensentur.*
2 *Cambia, in quibus litteræ traduntur, sed non mittũtur, vi nostra Extrauag. damnãtur.*
3 *Cambium reale, in quibus à sicco differat, declaratur.*
4 *Cambium, in quo litteræ traduntur, sed non mittuntur, habent conditiones cambij sicci.*
5 *Nomina non habent vim mutandi rerum substantias.*
6 *Cambium, in quo litteræ traduntur, sed non mittuntur, esse mutuum vsurarium, qui velint referuntur.*
7 *Cambium, in quo campsor dat pecuniam, sibi restituendam infra tres menses cum lucro cambiorum Lugduni, vel alterius fori, est siccum.*
8 *Cambium, in quo litteræ traduntur, sed non mittuntur, non semper est siccum.*
9 *Litteræ non sunt de iustitia cambij, sed tantùm fiunt ad ostendẽdum iustitiam cambij.*
10 *Litteræ non sunt de essentia cambij.*
11 *Cambium, in quo litteræ non mittuntur, potest esse validum; etiam si non concurrat recta cambientium intentio.*
12 *Iustum, & iniustum non consistit in bonitate, aut prauitate animorum, ac intẽtionum; sed in rerum, & operum externorum æqualitate, & inæqualitate.*
13 *Vi nostræ Extrauag. non damnantur omnia cambia, in quibus litteræ dantur, sed non mittuntur; sed ea, quæ sicca sunt, in quibus litteræ dantur, & non mittuntur.*
14 *Lex datur rebus, & non verbis.*
15 *Cambium non vitiatur ratione maioris, vel minoris periculi, cui campsor exponitur; sed ratione inæqualitatis pretij.*
16 *Periculum maius, vel minus substantiant iustitiam illorum contractuum tantùm, qui exponuntur fortunæ, ac periculo.*
17 *Litteræ etiam si non mittantur, cambium solui potest in loco condictæ solutionis.*
18 *Vi nostra Extrauag. non damnantur omnia cambia, in quibus interesse reposcitur vna cum sorte, vbi contractus fuerat celebratus; nisi ab initio ita fuerit conuentum.*
19 *Cambium, in quo sors cum interesse soluitur in loco celebrati contractus, nulla praua conuentione, non est illicitum.*
20 *Intentio recipiendi sortem cum lucro in loco celebrati contractus, qualiter vi nostra Extrauag. damnetur, explicatur.*
21 Cambium ad sui iustitiam exigit, quod cãpsor sciat, vel probabiliter credat, campsuarium habere pecuniam, vel creditum in loco condictæ solutionis.
22 *Exemplum de vendente bouem, quem non habet, non potest accommodari cambio, in quo litteræ traduntur, sed non mittuntur.*
23 *Litteræ non sunt de substantia, nec de iustitia cambij.*
24 *Cambium reale dari potest, etiam si litteræ non mittantur.*
25 *Cambium, in quo litteræ dantur, sed non mittuntur, potest esse licitum tàm quoad forum interius, quàm exterius.*

26 Vi

26 *Vi nostra Extrauag. damnantur ea cambia sicca, non missis litteris, quæ ex sui natura sunt talia; non autem ea, quæ sicca sunt ex iuris præsumptione.*

27 *Cambia ficta, in quibus litteræ non mittuntur, sunt illicita in vtroque foro.*

28 *Census, attento solo iure naturali, ac Diuino; posset iustè coram Deo constitui, non obstãte Extrauag. Pij V. de censib. si constituatur in alia re, quàm in pecunia numerata.*

29 *Cur lucrum, quod percipitur ex cambio reali, quamuis campsuario magis oneroso sit licitum: & lucrum, quod percipitur ex mutuo, licèt mutuatario minus oneroso, sit illicitũ, ratio redditur.*

IN hac re P. Iustinian. de contin. camb.
1 q. 3. contra quosdam campsores, asserentes idem esse quoad iustitiam cambij mittere litteras ad nundinas, vel eas retinere, & cambia celebrare in cubiculo, & in eorum libris, acerrimè pugnat, & indistinctè, ac irrefragabiliter tenet esse sicca cambia illa, in quibus litteræ non mittuntur; atque adeò acri reprehensione dignos esse putat mercatores illos, qui de hac re tractatus ediderunt, & typis dederunt audentes de iustitia cambij disputare, ac determinare cùm litteras ignorent. Et recusantes Theologorum, & Canonistarum iudicio se submittere, ex eo quòd ita adsit consuetudo apud insignes, ac intelligentes campsores, timorataeque conscientiæ: & sæpe sæpius in nundinis litteræ non plus operantur, ac si non mittantur.

Probat ipse Iustin. suam sententiam pri-
2 mò ex nostro §. in quo sicca, & vsuraria declarantur cambia, in quibus litteræ cambij dantur, sed non mittuntur, vt patet ex illis verbis, *Primùm igitur damnamus ea omnia cambia, quæ sicca nominantur, & ita confinguntur, vt contrahentes ad certas nundinas, seu ad alia loca, cambia celebrare simulent; ad quæ loca ij qui pecuniam recipiunt, litteras quidem suas cambij tradunt, sed non mittuntur, &c.* Et ne daretur campsoribus dicendi occasio, huiusmodi cambia non esse ex sui natura iniusta, ac illicita, sed mala, quia prohibita, subdit Romanus Pontifex in eodem §. *Quæ omnia nos vsuraria esse declaramus, & ne fiant, districtius prohibemus.* Etenim qui declarat nihil noui facit, l. adeò, §. cum quis in fin. ff. de acquir. rer. domin. & l. hæredes palam, §. si quid post, C. de testam.

Secundò probat suam sententiam ex dif-
3 ferentijs, quæ conspiciuntur inter cambium reale, & cambium siccum. Nam in cambio reali campsor dat pecuniam præsentem, liberam ab omni expensa, ac periculo pro pecunia loco absenti exposita multis periculis, & expensis, quæ ob id minus valet, quàm præsens. At in cambio sicco, cùm pecunia in eodem loco exigatur, in quo datur, nec transeat per alienas manus, non subiacet periculis, & expensis; & propterea, quod vltra sortem ex eo recipitur, non potest percipi alio titulo, nisi ratione mutui impliciti, & ratione temporis, quod est manifesta vsura. Præterea in cambio reali mutantur debitores, & campsor compellitur credere pluribus personis, & subiicitur varijs decoctionis periculis: quæ omnia non conspiciuntur in cambio sicco. Denique in cambio reali fiunt in nundinis veræ, ac reales solutiones, & completur cambium iuxta dispositionem nostræ Extrauag. At quando litteræ cambii
4 non mittuntur, concurrunt in huiusmodi cambio cõditiones cambii sicci dumtaxat; non autem realis; ergò cambium, in quo litteræ non mittuntur, est siccum, & non reale. Minor probatur ab eodem Iustin. primò ex eo quòd in tali cambio restituitur pecunia in eodem loco, in quo datur, cùm campsuarius non habeat pecuniam in loco destinatæ solutionis: & sic in illo habetur ratio temporis, non loci: quod est vsura, non secus, ac emptio eius, qui emit à rustico boues, quos non habet. Nec obstat si dicatur, quòd vsurarius exigit promissionem vsurarum determinatarum; non sic campsor in casu, de quo agitur, sed tantùm exigit incremẽtum illud magnum, vel paruum, quod reddent cambia realia; quoniam respondetur dari vsurarium, quamuis non intendat, aut paciscatur vsuras determinatas, vt cùm quis mutuat alicui, vt veniat ad molendum in suo molendino, ad laborandum in sua vinea, &c. vt latè habetur ex D. Thom. 2. 2. q. 78. ar. 2. quem Doctores communiter sequuntur. Neque demum valet dicere, quòd vsurarius dat mutuo sub incremẽto aliquo: cam-

campsor verò in casu nostro dat ad cābium: nam campsor hoc casu re vera dat mutuo, sicut vsurarius, sub nomine tamen cambij:
5 at nomina non habent vim mutandi rerum substantias, l. pediculis, §. labco, ff. de aur. & arg. legat.

Tertiò confirmat suam opinionem idem
6 Iustin. auctoritate Caiet. in suo opusc. de camb. c. 1. Syl. in sum. ver. vsura, 4. num. 9. §. Quintum quoties: Salon. 2. 2. q. 78. art. 2. contr. 9. Caluar. & aliorum, dicentium, huiusmodi contractum esse mutuum vsurariū, & signanter Salon. ait, dictum contractum esse in vsu Flandriæ, & appellatur, *Dare à finanza*, & Viparam refert idem Iustin. illum similiter damnantem, dum figurādo casum in suo tract. de camb. manu scripto, ait, *Andreas mutuat Petro scuta* 2000. prout dantur ad cambium, & secundum fori pretium, cum pacto, vt litteræ non mittantur, sed in regressu à nundinis restituat capitale cum illo lucro, quod reddent cambia sub hac forma. 1586. *à 9. di Nouembre in Genua, io Pietro del Forno prometto di pagare ad Andrea scudi* 2060. 12. *di marche al prezzo, termine, e modo, che renderanno li cambij de fiera, prossima de Santi, in scudi d'oro in oro d'Italia per la valuta hauuta da detto Andrea in contanti, & obligo mia persona, e beni: & in fede hò firmata la presente. Io Pietro del Forno.*

Vltimò ad suam sententiam comprobandam
7 dam adducit ipse Iustin. Ioan. Bapt. Lup. in c. nauiganti, §. 2. num. 66. de vsur. se habentem, iniustum esse cambium illud, in quo campsor dat pecuniam, sibi restituendam infra tres menses cum lucro cambiorum Lugduni, aut alterius fori, seu aliarum nundinarum, cùm huiusmodi cambium sit siccum, & ab omnibus damnatum, & vltimo loco à Pio V. sub pœnis vsurarijs constitutis, prohibitum. Ex dictis videtur sufficienter probatum, cambia per litteras, & ad nūdinas esse sicca, si in eis litteræ non mittantur.

His tamen non obstantibus, contrariam
8 sententiam arbitror de iure veriorem esse, quam tenet Nauar. in c. nauiganti, num. 21. vers. Decimoquinto, de vsur. & in Man. cap. 17. sub num. 289. Scac. de commerc. & camb. §. 1. q. 5. num. 10. & 11. & q. 7. p. 3. limit. 5. sub num. 6. & §. 6. Glos. 1. num. 76. dicētes, quòd litteræ in cambijs nō sunt præcisè, & simpliciter necessariæ: siquidē litte-
9 ræ nō sunt de iustitia cābij; sed tantum fiūt ad illius iustitiam ostendendam. Etenim potest dari cambium verum, & reale de loco ad locum, nullis datis litteris, quando fides haberetur campsuario sine litteris: quoniam compleri, & solui posset cambium per ipsummet campsuarium, si accedat ad locum destinatæ solutionis: vel si non accedat saltem per nuncium: siue cambium sit nundinale, siue de loco ad locum dumtaxat. Vndè litteræ non sunt de essentia cam-
10 bij; sed de eius essentia est iustitia, ad quam per litteras solet deueniri.

Imò Scac. d. §. 1. q. 7. par. 3. limit. 5. sub
11 num. 7. hanc conclusionem veram esse, ait, etiam si in huiusmodi cambijs, in quibus litteræ non mittuntur, non concurrat sinceritas intentionis cambientium circa speratam solutionem proximis nundinis: & propterea quamuis campsores vnanimiter sperarent, & desiderarent protēdi solutionem, saluo interesse campsorum, & postca fieri debere in eodem loco, nihilominus remaneret iustitia cambij: quia iustum, & iniustum non consistit in bonitate, aut prauitate animorum, & intentionum; sed consistit
12 in rerum, & operum externorum æqualitate, & inæqualitate, vt post Arist. & D. Tho. inquit Nauar. in c. si fœnerauer is, not. 16. num. 53. vers. Nam, vt supra, 14. q. 3. Vndè seruata æqualitate iustitiæ commutatiuæ, intentio deprauata contrahentis non est contra iustitiam contractus; sed tantùm esse poterit contra charitatem; atque ideò licèt peccaret; non tamen quęsita ex tali cambio teneretur restituere, vt rectè aduertit Scac. loco citato.

Restat modo vt contraria diluantur.

13 AD primum ex nostro §. respondetur, quòd in eo non damnantur cambia in vniuersum, in quibus litteræ dantur, & non mittuntur; sed illa cambia, quæ ficta sunt, & nomine tantùm talia, atque ideo sicca, & non realia: quia litteræ non sunt de essentia

sentia cambii; sed de substantia cambii est iustitia, vt supra diximus, ad quam per litteras solet deueniri: cæterum si ad eam fine litteris æquè deueniri potest, nostra Extrauag. litteras contemnit: siquidem lex datur rebus, & non verbis, vt habetur ex Scac. d.
14 §.6. Glos. 1. sub num. 76. & constat clarissimè non solùm ex mente; sed etiam ex verbis eiusdem §. ita se habentis, *Primùm igitur damnamus ea omnia cambia, quæ sicca nominantur, & ita confinguntur; vt contrahentes ad certas nundinas, seu ad alia loca, cābia celebrare simulent, ad qua loca ij, qui pecuniam recipiunt, litteras quidem suas cambij tradunt, sed non mittuntur*. Nota verba illa, *Sicca, confinguntur, & celebrare simulēt*, quoniam apertè denotant cambia ficta, & simulata; atque ideò illa tantùm damnantur, quę non sunt vera cambia, & in quibus litteræ non mittuntur: & de huiusmodi cambijs fictis, & simulatis arbitror intelligendum esse Iusfin. nostrum, vt ex eiusdem argumentis patet. At quando cambium verè, ac realiter celebratur, & soluitur in loco destinatæ solutionis, siue nundinale sit, siue non, potest consistere cum litteris, & sine litteris.

Ad secundum argumentum in primis ne-
15 gatur maior. Non enim differt cambium siccum à cambio reali, ex eo quòd in priori campsor exponitur minori periculo perdēdi pecuniam, & sic decoctionis: & in posteriori, maiori: siquidem cambium non viriatur, aut iustificatur ratione maioris, vel minoris periculi, quo campsor exponitur; sed dicitur licitum, aut illicitum ratione æqualitatis, vel inæqualitatis pretij: quia periculum cùm sit accidens, quod potest esse, & abesse, supponit cambium iam celebratum, vt rectè docet Scac. de commerc. & camb. §.6. Glos. 1. sub num. 80. Etenim maius, & minus periculum substantiant iustitiam il-
16 lorum tantùm contractuum, qui exponuntur fortunæ, & periculo, de quibus idem Scac. de commerc. & camb. §. 1. q. 1. num. 84. & seq. & p. 2. ampl. 19. sub num. 5. vers. Infero secundò, & seq. & vers. Intellige: & §. 3. Glos. 3. sub num. 12. extens. 1. Secundò
17 respondetur negando minorem: nam estò, quòd litteræ non mittantur, cambium potest solui in loco destinatæ solutionis, & sic non in eodem loco, vbi celebratur, sed in distanti conuento per ipsum campsuarium, si eo se conferat, vel per nuncium iuxta ea, quæ supra diximus. Et si aliquando contingat, cambium solui in eodem loco, vbi fuit celebratum, id contingere potest, vel ratione recambij, vt patet in cambio cum recursa, de quo tractabimus infra: vel id cōtingere potest per accidens, vt quia campsuarius in loco destinatæ solutionis non potuit deferre pecuniam, qua cambium cōpleat per se, vel per nuncium, aut quocunque alio modo: hoc autem non attenditur in moralibus, sed id tātùm, quod est per se.

Nec id est contra nostrā Extrauag. quia
18 in hoc §. damnat cambiū fictum, per quod pecunia ibi cum interesse reposcitur, vbi contractus fuerat celebratus ex contrahentium consensu à principio, vt constat ex illis verbis, *Aut etiam nullis huiusmodi litteris traditis, pecunia ibi denique cum interesse reposcitur, vbi contractus fuerat celebratus: nam inter dantes, & recipientes vsque à principio ita conuenerat*. Etenim huiusmodi cambium damnatur tanquam fictum, & siccum non solùm à nostra Extrauag. sed communiter à Doctor. vt habetur à Boninf. de camb. c. 7. vers. Ma quāto poi: & in latina lingua translato, sub num. 2. 3. 4. & 5. Rota Diuers. decis. 775. Dubitatum fuit, num. 1. in fin. in Mediolan. pecuniaria, Mercurij 27. Martii, 1602. coram Litta. impressis Lugd. anno 1612. & ex aliis, quos refert, & sequitur Scac. de commerc. & camb. §. 1. q. 7. p. 3. limit. 5. vbi tanquam siccum, & vsurarium decernitur cambium sine litteris, inito pacto, quòd accipiens cambio, teneatur soluere lucrum veri cambii, prout soluitur Placentiæ, aut alio in loco, vbi cambiorum nūdinæ celebrantur.

Cæterum si cambium citra omnem cō-
19 uentionem præcedentem ibi soluatur cum lucro, vbi fuerat celebratum ad libitum cāpsuarii, & campsoris, non ob id redditur iniustum; etiam si tàm campsor, quàm campsuarius sperarent, solutionem fieri in eodem loco: quia vt supra diximus, hæc intentio posset esse contra charitatem; non autem contra iustitiam: siquidem sinceritas intentionis cambientium circa speratam solutionem in proximis nundinis, non est necessaria ad iustitiam cambii; quia iustum,

vel

vel iniustum, vt diximus, non consistit in bonitate, aut prauitate animorum, & intentionum; sed consistit in rerum, & operum externorum æqualitate, ac inęqualitate. Nec
20 obstat si dicatur, quòd vi nostræ Extrauag. expressè damnatur intentio percipiendi solutionem cambij in eodem loco, vbi fuerat celebratū, vt patet ex illis verbis. *Aut etiam nullis huiusmodi litteris traditis, pecunia ibi denique cum interesse repescitur, vbi contractus fuerat celebratus: nam inter dantes, & recipientes vsque à principio ita conuenerat: vel certè talis intentio erat, neque quisquam est, qui in nundinis, aut in locis supradictis, huiusmodi litteris receptis, solutionem faciat.* Quoniam respondetur, illam intentionem damnari vi nostræ Extrauag. quæ à principio contractus erat recipiendi solutionem cambij cum lucro in loco celebrati contractus: eo quòd cāpsuarius in loco destinatæ solutionis non habebat, nec habiturus erat, nec pecuniam, nec creditum, nec eò erat se collaturus cum pecunia ad complendū cambium, neq; e nuncium aliquem missurus, vt constat ex illis verbis nostri §. *vel certè talis intentio erat, neque quisquam est, qui in nundinis, aut locis supradictis, huiusmodi litteris*
21 *receptis, solutionem faciat.* At si à principio contractus talis intentio non erat, & campsuarius re vera decreuerat se conferre ad locum destinatę solutionis cum pecunia ad complendum camb.ū, vel mittere nuncium vt supra; si deinde postea cambium soluat in eodem loco, vbi fuerat celebratus contractus, atque ideo mutet intentionem, id non damnatur ex dispositione nostrę Extrauag. nec ob id cambium redditur iniustum cum per accidens soluatur in eodem loco, mutata intentione contrahentium post celebrationem contractus. Pręterea quicquid sit de intentione contrahentium, satis est ad iustitiā cambij, quòd campsor sciat, vel saltem probabiliter credat, campsuarium habere, vel habiturum pecuniā in loco destinatæ solutionis, qua cambium compleat, & soluat: quòd deinde soluat in loco celebrati contractus; non ob id tamen camb ū redditur iniustum, nec campsor aliquam culpam contra charitatem contrahit. Posset autem contra charitatem peccare ipse campsor si haberet desideriū, & intentionem recipiendi solutionem cambij in eodem loco ab initio celebrati contractus iuxta ea, quæ supra
22 diximus. Nec exemplum allatum à Iustiniano de emente à rustico boues, quos non habet, facit contra nostram sententiam: quia nos supponimus, campsuarium saltem virtute habere pecuniam in loco destinatæ solutionis: at rusticum supponimus non habere, nec habiturum boues, quos vendidit, atque ideo nec actu, nec potentia.

Ad tertium argumentum patet respon-
23 sio: siquidem Doctores illi loquantur de cambijs fictitijs, ac siccis, in quibus nō dantur litteræ, eo quòd à principio fuit cōuentum inter contrahentes, vt ibi pecunia cum lucro reposcatur, transacto tempore, vbi contractus fuerat celebratus, contra dispositionem nostrę Extrauag. & contra ius naturale, cùm lucrum huiusmodi sit vsurariū, tanquam ex vsurario, & sicco cambio perceptū. Verùm non ob id sequitur non posse dari verum, ac reale cambium absque eo quòd litteræ mittantur, cùm litteræ non sint de substantia, ac iustitia cambij, iuxta ea, quæ supra adnotauimus.

Vndè his reiectis, firma, ac indubitata re-
24 manet nostra conclusio, quòd non semper cambium est dicendum siccum, ex eo quòd litteræ non mittantur: sed aliquando potest dari verum, & reale cambium, etiam litteris non missis.

Ampliatur hæc cōclusio, vt vera sit non
25 solùm quoad forum interius; sed etiā quoad forum exterius: quia si in foro exteriori sufficienter probatur, cābium fuisse solutum in loco destinatæ solutionis per ipsum campsuarium, per eiusdē nunciū, aut per quemcunque alium, id satis erit, etiam si litteræ non mittantur: quia scriptura, vt diximus non est de iustitia, nec de essentia cambij; sed requiritur solùm ad probationē iustitiæ cambij, & celerem cōtractus executionem in foro exteriori, vt rectè docet Scac. de commerc. & camb. §. 1. q. 5. num. 10. in fin. Vndè si per testes, aut alias legitimas probationes constet, cambiū fuisse completum in loco destinatæ solutionis, quamuis litteræ datæ non fuerint, nec transmissæ, non potest campsuarius pro dicto cambio, & eius
26 lucro amplius molestari. Nec ex eo quòd nostra Extrauag. damnat cambia, non missis

litteris, videtur negare campsori hanc actionem in foro exteriori, quasi non missis litteris, sit præsumptio iuris, & de iure, cambia huiusmodi esse sicca; quoniam ipsa Extrauag. vt supra diximus, damnat illa cambia, quæ ex sui natura sunt ficta, & vsuraria, non missis litteris; non autem illa, quæ ex iuris præsumptione talia dicuntur, cùm ea omnia sicca esse declaret, dicens, *Quæ omnia nos vsuraria esse declaramus, & ne fiant, districtius prohibemus.* At qui declarat, nihil noui facit, vt supra ostendimus. Vndè sub nostræ Extrauag. prohibitione non comprehenduntur cambia realia, licèt in eis litteræ non mittantur; sed tantùm cambia sicca, & vsuraria, quæ cõfinguntur à principio, vt litteræ non mittantur, sed solutio cambij fiat cum incremento ratione temporis tantùm, non autem ratione loci.

Sic ampliata limitatur eadem conclusio,
27 vt locum sibi non vendicet in cambijs siccis, & fictis supra relatis, non solùm in foro exteriori, & vi nostræ Extrauag. sed etiam in foro interiori: siquidem huiusmodi cambia sunt vsuraria, atque ideo contra ius naturale: & propterea non solùm in foro externo; verùm etiam quoad forum interius prohibentur, cùm in foro interno seruetur ius naturale, vt habetur ex Panor. in c. quia plerique, num. 7. de immunit. Eccles. latè Scac. de commerc. & camb. S. 1. q. 1. num. 213. confir. 1. & q. 7. p. 2. ampl. 19. sub num. 57. Vndè ob hanc rationem Nauar. in cap. si fęneraueris, sub num. 88. vers. Est tamen quęstio, & num. 121. q. 31. & sub num. 105. in fine, quem refert, & sequitur Scac. loco citato, sub num. 213. ait, quòd attento solo
28 iure naturali, & Diuino, census posset iustè coram Deo constitui, soluto pretio in alia re, quàm in pecunia numerata, si illa res coram Deo esset venditori census æquè vtilis, vel vtilior, quàm pecunia numerata, nõ obstante Pij V. Extrauag. de censib. quia corã Deo, & sic in foro conscientiæ attenditur tantùm æquitas, & ius naturale: quibus adde, quę cumulauimus in Commentarijs nostris in d. Extrauag. S. 2. q. 2. per totam.

Sed dices, missio litterarũ ad nũdinas, &
29 ad locum destinatæ solutionis, est onerosa potius campsuario, quàm vtilis, & campsori prodest: postquàm ipsi campsuario causat

damnum

damnum expensarum pro prouisionibus, & gabellis, ac proxenetis: & quoad contractus iustitiam, & iniustitiam, quæ principaliter attenditur in cambijs, litterarum missio est inutilis; quoniam respondetur, quòd nõ ob id est licitum cambiũ fictum, & vsurarium, nomine tantùm tale, non autem reale: siquidem licèt in cambio vero, & reali ad rationem sex pro centenario, v. g. plus, minusue, pro vt erit cursus cambiorum, campsuarius maius sustineat onus, quàm in cambio sicco ad rationem duorum pro singulis centum; nihilominus lucrũ, quod percipitur ex cambio reali percipitur ex iusto titulo, at lucrũ, quod sumitur ex cambio sicco, accipitur ex titulo iniusto, cùm ex mutuo implicito, ac palliato pallio cambij sumatur contra illud Domini, *Mutuo date, nihil inde sperantes.* c. cõsuluit, de vsur. Ita Bonins. de camb. cap. 7. vers. Ma quanto poi: & Scac. d. q. 7. p. 3. lim. 5. num. 5.

Ibi, *vel ita mittuntur, vt transacto tempore, vnde processerãt, inanes referantur.* An cambium semper reddatur siccũ, ex eo quod litteræ referãtur inanes. Q. XXXIV.

SVMMARIVM.

1 *Cambium, in quo littera mittuntur, sed referuntur inanes, esse semper siccũ, qui doceant, referuntur.*
2 *Littera cambiorum quando mittuntur quatuor ex causis referri solent inanes.*
3 *Cambium, in quo campsor probabiliter putat, litteras esse acceptandas in loco condicto solutionis: & campsarius scit esse referendas inanes non est siccum.*
4 *Littera, qua referuntur inanes, ad hoc vt habeant executionem paratam, debent referri cum protestatione de interesse, &c.*
5 *Cambium, in quo campsor probabiliter putat, litteras esse acceptandas; si campsarius certò sciat, esse referendas inanes, est siccũ: Verùm campsarius tenetur ad interesse.*
6 *Cambium, in quo tàm campsor, quàm campsarius putabant litteras esse acceptandas in loco condicto solutionis, est reale, quamuis*

uis ex defectu mandatarij referantur inanes.

7 *Litteræ, si referantur inanes ex inopinato euentu in persona mandatarij, qui non voluit illas soluere, campsuarius excusatur à solutione interesse; nisi ipse obligauerit se, etiam de casu fortuito.*

8 *Cambium, in quo campsor probabiliter credit, litteras referendas esse inanes: & campsuarius probabiliter putat esse soluendas, non est siccum quoad forum exterius.*

9 *Cambium, in quo campsor probabiliter opinatur, campsuarium non habere pecuniam, nec creditum in loco condicta solutionis: & campsarius putat litteras esse soluendas, est validum quoad forum exterius.*

10 *Cambium, in quo campsor probabiliter putat, litteras referandas esse inanes: & campsarius esse soluendas, si cum effectu soluantur, cambium est validum in vtroque foro.*

11 *Campsor si sciat, vel probabiliter credat, cãpsuarium habiturum pecuniam, vel creditum in loco cõdicto, licèt deinde certò sciat, litteras esse referendas inanes, cambium erit validum.*

12 *Campsuarius in cambio cum recursu, per vim recambij licitè soluit sortem cum lucro in loco celebrati contractus.*

13 *Cambium, in quo tempore celebrationis contractus partes conueniunt de solutione cambij in loco, vbi celebratur, est siccum.*

14 *Cambium, in quo campsor probabiliter putat, litteras esse referendas inanes, licèt campsuarius putet esse soluendas, est inualidum quoad forum interius, si litteræ maximè referantur inanes.*

15 *Restitutio locum habet ratione violationis iustitiæ commutatiuæ; non autem ratione violatæ charitatis.*

16 *Cambium, in quo tàm campsor, quàm campsuarius sciunt litteras esse referendas inanes, est siccum in vtroque foro.*

IN hac re videtur prima facie affirmatiuè respondendum esse. Probatur ex nostro §. 1. in supradictis verbis, *Vel ita mittuntur, &c.* vbi inter alia illa cambia sicca declarantur, in quibus literæ ita mittuntur, vt transacto tempore, vndè processerant, inanes referantur: ergò cambium semper dicitur siccum, in quo litteræ mittuntur, sed inanes referuntur vndè processerant: quia lex generaliter loquens generaliter debet intelligi, & quando non distinguit, nec nos distinguere debemus, l. 1. §. generaliter, ff. de legat. præst. Hanc eadem sententiam tenet Azor. p. 3. Inst. moral. lib. 10. tit. de cãb. c. 10. vers. Præterea quando: & vers. Secundo quando, dum ait esse cambiũ vsurarium, seu siccum quando re ipsa mittuntur litteræ ad locum, vbi pecuniæ sunt soluendæ, sed remittuntur inanes. Idem docent Nauar. in Man. c. 17. num. 298. Molina de contr. disp. 404. num. 6. vers. Doctores cõueniũt, Molf. p. 2. suæ sum. tract. 12. cap. 7. num. 58. cum alijs, quos allegant.

Pro determinatione huius difficultatis
2 est adnot. quòd quando litteræ cambij mittuntur ad locum destinatæ solutionis, vna, vel altera ex quatuor causis referri solent inanes, vndè processerant. Primò quando qui dat cãbio, serio cõtrahit, ita vt verè opinetur, litteras esse acceptandas, & earum vigore probabiliter speret, solutionem cambij esse faciendam in loco destinato: vel si campsuarius certò sciebat, in loco destinatæ solutionis non habere, nec habiturum pecuniam, nec creditum, sed cambium esse soluturum in loco celebrati contractus. Secundò contingit, vt tàm campsor, quàm campsuarius opinentur probabiliter, litteras habituras effectum in loco condicto; sed litteræ referuntur inanes ad locum, vndè processerant; ex eo quòd mandatarius ad quem litteræ dirigebãtur, noluerit eas acceptare. Tertiò contingere potest, vt campsor verisimiliter credat, litteras esse remittendas inanes, & campsuarium opinari, & verisimiliter credere habituras effectum in loco destinatæ solutionis, verùm ex defectu mãdatarij, vel ex alio accidenti fuisse remissas inanes. Quartò contingere potest, vt tàm campsor, quàm campsuarius certò sciant, ipsum campsuarium non habere, nec habiturum pecuniam, nec creditum, nec aliquem, qui pro eo soluat, sed dum simulant cambire, litteræ ita mittuntur, vt transacto tempore, referantur inanes, vndè processerant, & pecunia ibi cum interesse reposcitur, vbi contractus fuerat celebratus. His breuiter sic adnotatis, sit

Prima

Prima Conclusio.

3 NOn dicitur cambium, in quo litteras trāsmissas campsor probabiliter putat esse acceptandas; quamuis campsuarius firmiter teneat referendas esse inanes, cùm certò sciat non habere, nec habiturum pecuniam in loco destinatæ solutionis, nec aliquē, qui pro eo ibi soluat. Probatur, quia ad hoc vt cambium dicatur iustum, satis est vt campsor sciat, aut saltē probabiliter credat, campsuarium habere actu, vel potentia pecuniā in loco destinatæ solutionis; atque ideo creditum, & aliquē, qui pro eo soluat, vt habetur ex Azor. p. 3. Inst. moral. lib. 10. de camb. cap. 9. q. 2. vers. In hac re: Scac. de commerc. & camb. §. 1. q. 7. p. 2. ampliat. 17. sub num. 7. & p. 3. limit. 5. num. 2. Quòd autem campsarius certò sciat, non habere, nec habiturum pecuniam, vel creditum, & sic aliquem, qui pro eo soluat in loco conuento, id non officit, quin campsor possit exigere interesse cābij; quia dolus, & fraus, nemini patrocinari debent, c. ad nostram, de empt. & vendit. Vndè quando litteræ referuntur inanes habent executionē paratam contra ipsum campsuarium non solùm pro capitali, vt latè probat Scac. de commerc. & camb. §. 7. Glos. 2. num. 3. & Glos. 4. num. 2. sed etiam campsori debetur interesse tàm damni emergentis, quàm lucri cessantis, nō tantùm primum, secundum, & deinceps, verùm etiam secundum aliquos interesse, interesse, vt per Cagnol. in l. vnica, num. 145. in 2. dub. C. de sent. quę pro eo, &c. Gabr. lib. 3. concluf. tit. de solut. concl. 10. in fine, limit. 3. sub num. 6. Ioan. Bapt Lup. in l. curabit, §. 6. sub num. 19. vers. Sed cōtrarium: & num. 20. vers. Sed aduertendum: C. de action. empt. Latè probat idē Scac. d. Glos. 2. num. 21. cum plur. seq.

4 Est tamen verum, quòd ad hoc, vt litteræ, quæ referuntur inanes habeant executionem paratam, debent referri cum protestatione, ita vt quando mandatarius campsuarij litteras non acceptat, seu non soluit, mandatarius campsoris protestetur contra ipsum campsuarium de interesse, damnis, ac impensis: & litteras cum protestatione remittat ad campsorem, qui tunc poterit agere contra campsuatiū, vt rectè probat idem Scac. loco citato, num. 3. & 12. vbi etiam num. 13. ponit formam protestationis. Pos-
5 set autem in hac re quis dicere, cambiū esse siccum, cùm deficiat intentio cambiendi ex parte campsuarij certò scientis, se non soluturum cambiū in loco destinatæ solutionis. Verùm ne ipsi campsuatio patrocinari videatur eius dolus, & fraus, eum teneri ad interesse lucri cessantis, & damni emergentis, quatenus ratione talis contractus campsor fuerit ea passus, iuxta ea, quæ habentur ex Romoal. Col. de cāb. cap. 14. in fin. Bonac. de contr. disp. 3. q. 5. pun. vnico, propos. 5. cum alijs quos allegat. quibus adde etiam Fabian. Genuen. de camb. p. 1. in prin.

Secunda Conclusio.

6 NOn dicitur siccum cambium, in quo tàm campsor, quàm cāpsuarius opinabantur, litteras esse soluendas in loco conuento, quamuis postea ex defectu mandatarij litteræ fuerint relatę inanes. Etenim in hoc casu concurrit vtriusque, cōtrahentis intentio celebrandi verū, ac reale cambium. Quòd autem postea ex defectu mandatarij ipsius campsuarij litteræ non habuerint effectum; debetur tamen campsuari interesse cambij vna cum sorte iuxta ea, quæ adnotauimus in præcedenti conclusione.

7 Verum tamen est, quòd si defectus mandatarij proueniat ex casu aliquo fortuito, vt quia improuisa morte pręuentus, aut incendio, ruina, vel naufragio, bonis omnibus deperditis, non potuerit litteras soluere, tunc campsuarius non tenebitur ad interesse saltem primum; nisi campsuatius obligauerit se, etiam non obstante casu fortuito: quia de casibus fortuitis nemo tenetur, cùm eis resisti non possit, nisi ad eos quis voluerit teneri, vt habetur ex Rot. Diuers. decis. 208. sub num. 1. & 2. quā refert, & sequitur Scac. de cōmerc. & camb. §. 1. q. 1. sub num. 139. & 140. cum plur. seq. vbi latè tractat, an, & quando assecurantes naues excusentur propter casus fortuitos, seu finistros: & rectè declarat, an casus finister, cui prouidētia humana prouideri non potest, dicatur tàm ille, cui nec antequam veniret, nec dum veniebat, nec postquam venit, poterat pręuideri,

deri, quàm ille cui potuit prouideri postquam venit: & plures assecurationis formas recenset.

Tertia Conclusio.

8 CAmbium nõ dicitur siccum quoad forum exterius, in quo campsor verisimiliter credit, litteras esse remittendas inanes, & campsarius verisimiliter putat, eas habituras effectũ in loco destinatę solutionis. Probatur, quia cambium est licitum, quamuis accipiens cambio sit rusticus, vel pauper, quem campsor verisimiliter credere debeat non habiturum in loco destinatæ solutions, facultatem soluendi cambium, vt habetur ex Boninf. de camb. cap. 7. vers. Sono alcuni: Azor. p. 3. Inst. moral. lib. 10. tit. de camb. cap. 11. q. 6. & clarius Scac. de commerc. & camb. §. 1. q. 7. p. 2. ampl. 17. num. 1. cum plur. seq. ergò idem dicendum est in casu, de quo agitur: quia sicut rusticus, vel pauper, qui mutuo indiget, & nõ cambio, posset inuenire mercatorem, qui pro ipso rustico, seu pauper acciperet cãbio, & pauper promitteret de cõseruando indemnem ipsum mercatorem, iuxta ea, quæ habentur ex Nauar. in c. nauiganti, num. 29. vers. Vtile tamen, de vsur. & hac via omnes essent in vtroque foro securi, vt per eũdem Scac. loco citato, num. 6. ita etiam campsuarius, de quo agitur.

9 Ampliatur hæc cõclusio, vt vera sit quoad forum exeterius nõ solùm quando campsor probabiliter putat posse campsuarium soluere cambium in loco destinatæ solutionis; atque ideo posse litteras habere suos effectus, quamuis probabiliter opinetur referendas esse inanes ad locum celebrati contractus, ibique cambium soluendum; verùm etiam si probabiliter sciat, campsuarium nõ posse soluere cambium in loco conuento: & propterea litteras referendas esse inanes, & solutionem cambij esse faciendam in loco celebrati contractus, vt habetur ex Scac. d. ampl. 17. sub num. 16. in fine, vbi hanc esse rationem ait; quia Lex fori exterioris nõ iudicat de occultis. Etenim campsor semper dicere posset, quòd ipse opinabatur, cãpsuarium posse soluere cambium in loco condicto, & probabiliter sperabat ibi fore soluẽdum: & quòd nisi ita sperasset, ei non dedisset cambio.

10 Secundò ampliatur hæc cõclusio, vt vera sit in vtroque foro si sequatur realis litterarum solutio: quia dato quòd campsor deprauatam habuerit intentionem; nihilominus, campsuarium animum rectum celebrandi verum cambiũ supponimus habuisse, & in eo seruatur æqualitas iustitiæ commutatiuæ; atque ideò remanet iustum cambium. Vndè licet campsor peccauerit contra charitatem; non tamen peccauit contra iustitiam: & propterea nõ tenetur restituere quæsita ex huiusmodi cambio: quia, vt probauimus q. præcedenti, iustum, & iniustum non consistit in bonitate, vel prauitate animorum; sed in rerum, & operum exernorum æqualitate, ac inæqualitate.

11 Imò si cãpsor probabiliter sciat, cãpsuarium posse habere pecuniam pro solutione cambij in loco destinatæ solutionis: vt quia iure alterius cambij possit pecuniam consequi, aut quocunque alio modo, quamuis probabiliter sciat, campsuarium non esse soluturum cambium ibi cum effectu, sed litteras referendas esse inanes ad locum celebrati contractus, cambium erit licitum in vtroque foro, & campsor excusabitur etiam à culpa: siquidẽ ad validitatem, bonitatem, ac iustitiam cambij tàm in foro conscientiæ, quàm in foro externo, satis est si campsuarius habeat, vel habere queat aliqua licita ratione pecuniã pro soluẽdo cambio in loco destinatæ solutionis, vt post Syl. in sum. vers. Vsura, 4. q 9. docet Azor. loco citato circa finem: quòd deinde culpa, seu libera voluntate campsuarij litterę referantur inanes ad locum vndè processerant, & ibi fiat cambij solutio vna cum interesse ex mera ipsius voluntate, id nõ attenditur; quia volenti, & patienti nulla fit iniuria. Et eo magis, quia in contractu cãbij post datas litteras, licita est pænitẽtia ex consensu vtriusq; partis. Nam sicut contractus cambij fit ad vtriusque cõtrahentis vtilitatem, ita distrahitur, concurrente vtriusque voluntate, vt habetur ex Bald. cons. 348 seu 349. vol. 1. cum alijs relatis à Scac. de commerc. & camb. §. 2. Glos. 5. sub num. 447. cum plur. seq. vbi ponit quæstionem, an in contractu

seq.

cambii post datas litteras sit licita pænitentia, altero contrahente inuito, & pro parte negatiua sententiam protulit, quam multipliciter ampliat, & limitat.

Confirmatur, quia in cambio cum recur-
12 sa campsuarius per viam recambij licitè soluit cambium in loco celebrati cõtractus, vt infra dicemus, de cambio cum recursa tractantes, & rectè declarat Scac. post alios de commerc. & camb. §. 1. q. 7. p. 3. limit. 11. num. 13. & campsor licitè, ac iustè percipit interesse talis cambij: siquidem illud tantùm interesse, & illa recambia damnantur, quæ per vim à campsuarijs extorquentur, vt habetur ex Salon 2. 2 post q. 78. disp. de camb. q. 4. ar. 2. contr. 14. num. 2. & seq. Azor. p. 3. Instit. moral. lib. 10. tit. de camb. c. 11. q. 8. & Scac. d. q. 7. p. 1. num 98. cum plur. seq. Ergo multo magis potest campsuarius soluere cambium primum in loco celebrati contractus, si campsor post celebratum contractum consentiat, & ipsi campsuario magis expediat, nempe ad euitandum interesse cambii. Dixi, *Post celebratum*
13 *contractum*, quia si in celebratione contractus, vel antea conuentio fiat inter contrahentes soluendi cambium in loco celebrati contractus, vel campsor probabiliter credat, campsuarium non posse soluere in loco destinatæ solutionis; & ideo esse soluendum in loco, vnde litteræ processerant, tunc cãbium esset siccum: & ita intelligendus est Azor. d. cap. 10. q. 6. in fine: & hoc modo posse conciliari cum Scac. d. q. 7. p. 2. ampl. 17. num. 1. & p. 3. limit. 11 num. 5.

Sic ampliata limitatur supradicta con-
14 clusio quoad primam ampliationem, vt locum habeat in foro exteriori tantùm, vt ibi diximus: secus autem quoad forum conscientiæ: quia dum campsor probabiliter scit, campsuarium non posse soluere cambium in loco destinatæ solutionis; & propterea litteras referendas esse inanes ad locum celebrati contractus, in rei veritate, quæ sola attenditur in foro conscientiæ, iuxta ea, quæ habentur ex Panorm. in cap. quia plerique, sub num. 18. & 20. de immunit. Eccles. & Scac. de commerc. & camb. §. 1. quæst. 1. num. 529. campsor intendit mutuare sub lucro; non autem cambire: & ideò cambium est siccum, illicitum, & vsurarium, si litteræ maximè cum effectu referantur inanes, vt habetur ex Sylu. in sum. ver. vsura, 4 §. 9. Sot. lib. 6. de Iustit. & iur. quæst. 13. artic. 1. conclus. 3. colum. 3. Nauar. in Man. cap. 17. sub num. 301. not. 2. & in cap. nauiganti, num. 25. de vsur. Hieron. de Luc. tract. de camb. vers. Pro decisione, num. 43. Fabian. Genuen. eodem tract. sub num. 46. vers. Decima: Ioan. Bapt. Cauat. de camb. de danie, versic. Quæro an campsor, Romoal. Col. eod. tract. c. 19. & 22. Azor par. 3. Instit. moral. tit. de camb. lib. 10. c. 9. q. 2. vers. In hac re.

Dixi, *Si litteræ maximè reddantur inanes*,
15 quia si in effectu soluantur, vel acceptentur, stante bona fide campsuarii, non officit mala intentio campsoris quoad iustitiam cambii: siquidem seruata æqualitate iustitiæ commutatiuæ, intentio deprauata contrahentis, non reddit contractum iniustum, vt supra diximus; atque ideò campsor licèt hoc casu peccet contra charitatem; non tamen peccaret contra iustitiam: & propterea non teneretur restituere lucrum ex tali cambio perceptum, cùm omnis restitutio sit debita ex violatione iustitiæ debitæ proximo. Vndè vbi sola est violatio charitatis non habet locum restitutio: aliàs Iudex ex odio, inuidia, vel ex ira iubẽs malefactores interfici iuxta legum, & iurium sãctiones, esset restitutioni obnoxius, quod est falsum, vt benè declarat Azor. par. 3. Instit. moral. lib. 4. cap. 17. de mutuo, quęst. 2. vers. Cæterum: & est communis omnium sententia.

Quarta Conclusio.

Cambium dicitur siccum, in quo cam-
16 psor, qui dat cambio, est conscius, quòd litterę, quas à campsuario accipit pro loco destinatę solutionis, sũt inanes, & fictę; atque ideò tàm cãpsorem, quàm campsuarium certò scire, litteras non esse soluendas in loco destinatæ solutionis; sed referendas esse inanes ad locum celebrati contractus: quoniam hi re vera non cambium, sed mutuum dicuntur celebrare, cùm intendant solutionem cambij in eodem loco, in quo fuit celebratus contractus,

& datæ litteræ. Hæc conclusio clarè colligitur ex nostro §.in illis verbis, *Vel ita mittuntur, vt transacto tempore vndè processerant, inanes referantur, &c.* Et eam saltem in foro conscientiæ veram esse docet Scac. de commerc. & camb. §.1. quæst.7. par.2. ampliat.17.sub num.16. & par.3. limit.11. num.3. vbi hãc esse rationem ait, quia cambium licèt reducatur ad contractum emptionis, ac venditionis, vt latè probat idem Scac.d.§.1.quæst.4.num.21.29.& 30. quapropter licitum esset emere alias merces, anticipata solutione, tradendas eodem loco, iuxta futuram fori æstimationem, vt per eundem Scac. d.§.1. quæst.7. part.1. num. 56. nihilominus iustitia pretij huius emptionis, atque ideò cambij per litteras consistit ex distantia locorum ratione locorum, expensarum, periculorum, &c. Vndè si Titius daret Meuio centum aureos Placentiæ in nundinis apparitionis, vt eosdem ipsi restituat ibidem in sequentibus nundinis Paschatis cum lucro cambij iuxta fori æstimationem, huiusmodi cambium esset vsurarium: siquidem non fit de loco ad locum, & ideò lucrum non potest prouenire aliunde, quàm ratione temporis, vt per Romoal.Col.de camb. c.27.

Ampliatur hæc conclusio, vt non solùm cambium, de quo agitur, sit siccum; sed multo magis erit tale, si addatur; quòd restituatur cum lucro ad rationem cambij Lugduni, vel alterius loci, vbi probabiliter creditur, lucrum fore maius, vt habetur ex Ioan.Bapt.Lup.in cap.nauiganti. §.2.num. 24. in fin. versic. Ex quo sequitur, de vsur.

Sic ampliata limitatur eadem conclusio, vbi solutio fiat in loco celebrati contractus per viam recambij; quoniam tunc contractus est licitus; nam hoc casu concurrunt duo cambia; itaut primum cambium soluatur in loco destinatæ solutionis; & secundum in loco celebrati contractus; gratia tamen, & ad petitionem cãpsuarij, vt declarat Scac. d.q.7.p.3.limit.11. num.13.

Ad contraria modo patet responsio ex dictis.

An cambium, in quo campsor litteras cambij probabiliter putat esse acceptandas in loco destinatæ solutionis ab eo, ad quem diriguntur, sed non soluendas, dicatur siccum. Q. XXXV.

SVMMARIVM.

1 *Litterarum cambij acceptatione est facta nouatio, ac solutio.*

2 *Titius debitor Sempronij, & creditor Meuij, si præcipiat Meuio, vt soluat Sempronio, si Meuius promittat soluere, Titius liberatur.*

3 *Titius debitor Sempronij, si mandat campsori, vt pro eo soluat, & ipse campsor promittat soluere, statim liberatur.*

4 *Delegationis natura ea est, vt liberet delegantem.*

5 *Cambium, in quo campsor scit litteras acceptandas, sed non soluendas, est siccum.*

6 *Acceptatio sola litterarũ cãbij non est solutio.*

7 *Acceptatio litterarum cambij tũc habet vim solutionis, quando is, cui scribitur, offert soluere, & paratam habet pecuniam, itaut per eum non stet: vel in libro rationum scribatur creditor is, qui eas præsentauit ex eiusdem voluntate.*

8 *Nouatio inducitur per viam cessionis, seu delegationis debiti.*

9 *Acceptatione tantũ cedulæ per Bancharium, non liberatur debitor.*

10 *Delegatio debiti liberat delegantem.*

11 *Cambium, in quo campsor scit litteras esse acceptandas, sed non soluendas, si dolus absit ex parte ipsius campsoris, non erit siccum.*

12 *Litteræ si acceptentur, & culpa campsoris non soluantur, ipsi campsori damnum imputatur.*

IN hac re videtur prima facie negatiuè
1 respondendum esse. Probatur, quia per solam acceptarionẽ litterarum cambij cẽsetur facta eiusdem solutio: eo quòd est tacitè facta nouatio, cùm sit facta debitoris permutatio, vt habetur ex Petro de Vbald. in suo tract.de duob.fratribus.p.8. prin.q.32. num.33. Alex.cons.94.viso puncto, num.3. vol.3. Maran.in suo speculo p.6.act.6.num. 50.Sebast.Medic.tract.de fort.casib.q.10. num.

num.79.tom.7.Surd.conf.145.sub num.9. & 10.lib.1.Ioan.Bapt.Cauat.de camb. tit. De dante, verf. Quæro campsor, & ex aliis cumulatis per Scac.de commerc. & camb. §. 2. Glof.4. num.11. & latius Glof. 5. sub num. 244. ergo cambium, de quo agitur, non est siccum: quoniam ad hoc vt cãbium sit reale, satis est, vt campsor probabiliter credat, campsuarium habere aliquem, qui pro eo soluat in loco destinatæ solutionis,& per acceptationem litterarum iam censetur facta solutio.

Secundò probatur eadem sententia ex
2 eo quòd si Titius debitor Sempronij, & creditor Meuij, præcipiat Meuio, vt soluat Sempronio, & Meuius promittat Sempronio Titij debitum soluere, ipse Titius mox censetur liberatus à debito Sempronij: siquidem hoc casu censetur facta cessio cum consensu debitoris, cuius nomen creditur; atque ideo delegatio, vt colligitur ex ijs, quæ habentur ex Io.Andr.in addit.ad Specul.tit.de cess.action. §. 1. in fine, verf. Defunt,lib.2. Paul. Castren. in l.qui vsufructũ, sub num. 3. vbi etiam Alex. num.5. ff. de verb. obligat. & ex aliis, quos refert, & sequitur Scac. de commerc. & camb. §. 2. Glof. 5. sub num.280. cum plur. seq. ergo cambium, de quo agitur, non est siccum: quoniã ad realitatem cambii satis est, quòd campsor probabiliter credat, cambium esse soluendum in loco condicto:& per delegationem debiti fit vera solutio, nam delegatio fit per nouationem, & nouatio æquiparatur solutioni, vt per Glof.in rub. de solut. & delegans dicitur soluere, Surd. decif.23. num.1. & Scac. post alios, loco citato, sub num.282.

Tertiò, si Titius Sempronii debitor man-
3 det Meuio campsori, vt debitum pro eo promittat,& promisit, Titius mox liberatur à debito Sempronii: quia promissio mercatoris facta creditori ad instantiam debitoris, de stylo mercatorum cedit loco solutionis pecuniæ,& debitorem liberat,vt per Bart.in l.singularia,num.19.ff.si cert.petat. Et quòd de consuetudine postquam campsor promisit creditori,& creditor acceptauit, debitor liberatur ipso iure, habetur ex Afflict. decif.353. num.5. Strac. de Decoctor.par.5. sub num.5. Et quòd promissio mercatoris habeatur pro solutione ex consuetudine totius Italię,habetur ex Rot.Genuen. decif.4. num. 9. Rota Diuerf. decif. 285.num.7.& ex aliis apud Scac.loco citato,sub num.63. Idem dicendum est, si Titius debitor Sempronii mandauit Meuio suo debitori vt debitum solueret ipsi Sempronio,& Meuius non soluit, sed promisit soluere, tunc Meuius per talem promissionem statim est liberatus à Titio, & Titius à Sempronio: siquidem ea est delegationis
4 natura, vt liberet delegantem, & remaneat sola obligatio delegati erga eum, cui est delegatus, vt per Bart. in d.l.singularia, sub num. 19. ff. si cert. petat. relatum ab ipso Scac. in d. Glof.5. §.2. sub num.300. verf. Prima opinio. Ergo cambium,de quo controuertitur, nõ potest dici siccum: quoniam promissio est litterarum acceptario: & acceptatio est litterarum solutio: & campsor probabiliter sciebat,litteras esse acceptandas,& cum effectu fuerunt acceptatæ;quod deinde non fuerint solutę;sicut probabiliter sciebat ipse campsor, id non attenditur,& sibi imputatur.

His tamen non obstantibus, oppositam
5 sententiam puto veriorem esse; atque ideo cambium,de quo agitur,esse siccum, & illicitum. Probatur,quia campsuarius,qui cãbio accepit,si fecerit litteras directas alicui mercatori, vt soluat in loco condicto cambium campsori, vel eius correspondali, seu procuratori,si mercator campsuarii litteras acceptet in loco destinatæ solutionis, sed eas non soluat, tunc campsor habet regressum cõtra suum campsuarium;eo quòd non remanet liberatus: siquidem acceptatio illa
6 non est nouus contractus inter ipsum acceptantem,& creditorem, cui facienda est solutio;sed est pars contractus litterarum cãbii: neque creditor censetur acquiescere acceptationi, nisi quatenus sequatur solutio. Ita Rota Diuerf. decif.445. & de consuetudine mercatorum seruari, testatur Rota Genuen.decif.1.sub num.6. & 21. decif. 2.num.40.& 41.decif.4.num.7.& 8.decif. 8. num.17. & 18. & decif.50. num. 1. cum aliis cumulatis per Scac. de commerc. & camb.§.2.Glof.5. num.322.& seq. quibus adde,quæ supra adnotauimus in proœm.q. 8. in resp. ad 3, si igitur hæc ipsa vera sunt;

ergò camb. ũ, de quo agitur est siccum: quia campsor probabiliter nouit, non esse faciẽdam cambii solutionem in loco destinatæ solutionis, contra dispositionem nostrę Extrauag. & cõtra ea, quæ requiruntur ad realitatẽ cambii, iuxta ea, quæ supra diximus; sed cambium esse soluendum in loco celebrati contractus.

Ad contraria facilè respondetur.

7 AD primum dicitur, quòd tunc litteræ cambiorũ acceptatę habent vim solutionis, quando is, cui scribitur offert soluere, & paratam habet pecuniam, itaut per eum nõ stet: siquidem eo casu est facta nouatio primæ obligationis: & si correspõsalis decoxerit, damnum non imputatur campsuario, sed cãpsori, vt patet ex iis, quæ habentur ex Tusch. ver. cambiator, concl. 12. num. 2. 3. & 8. ex iis, quæ supra adnotauimus d. q. 8. in proœm. in resp. ad 3. Item tunc litteræ cambiorum acceptatæ habent vim solutionis apud eum, qui scripsit illas, quando is, cui pręsentãtur litteræ cambii, vt eas soluat pręsentati, scribit in suo libro, ipsum pręsentãtem sic volentem pro creditore ipsius scribentis: secus autem si litterę sint tantùm acceptatę, & retentę ab eo, ad quem missę sunt: nam hęc acceptatio, & retentio habent quidem vim promissionis, vt acceptans reputetur sponsor; non tamen dicuntur habere vim solutionis, ita vt campsarius, qui litteras fecit, sit liberatus: quoniam ex illa sola acceptatione, & retentione litterarum non colligitur animus creditoris, quòd voluerit retentionem illam habere pro solutione, vt habetur ex Hieronym. Gabr. consil. 155. num. 23. & 24. lib. 1. quem refert, & sequitur Scac. de commerc. & cãb. §. 2. Glos. 5. num. 244. vbi num. 246. & 315. ex hoc infert, quòd si debitor faciendo litteras cambij, campsori soluẽdas ab alio cãpsore, qui vel antequam acceptet, vel post acceptationẽ decoquat non intelligitur liberatus, cùm vana redderetur litterarum acceptatio; & propterea potest compelli ad debiti solutionem; dummodo ipse campsor statim scribat ad campsuarium cũ protestatione, quòd nõ poterit creditum exigere ab eo, ad quem erant directæ litteræ, vt habetur ex Io. Bapt. Lup. in c. nauiganti, §. 2. sub num. 20. de vsur. Scac. d. §. 2. Glos. 5. num. 246. & 322. vbi refert statutum Genuen. lib. 4. cap. 15. de camb. quo disponitur, quòd si cãbium soluendum non acceptatur, vel non soluitur, teneatur creditor, seu ille, cui cambium soluendum esset protestari. Quomodo autem facienda sit protestatio, & de eius forma, vide eundẽ Scac. eod. tract. §. 7. Glos. 2. sub num. 16. & an si nõ fiat talis protestatio, creditor possit agere cõtra debitorem, rectè explicat idem Scac. d. §. 2. Glos. 5. num. 316. cum plur. seq.

8 Ad secundum respondetur, quòd casus in argumento relatus, est diuersus à casu nostro: nam illo casu fuit facta cessio, seu delegatio, & sic commissio fuit facta Meuio per viam delegationis, per quam inducitur nouatio: nam qui delegat dicitur verè soluere, cùm det nomen debitoris in solutum, si tria copulatiuè concurrant; nempe quòd delegatus sit debitor delegantis: quòd delegatus promittat per stipulationem de mandato ipsius delegantis: & denique, quòd promittat tãquam debitor, vt post alios rectè explicat Scac. loco citato, num. 281. vbi etiam num. 283. ex Ioan. Andr. in addit. ad spec. tit. de cess. action. §. 1. num 22. ver. Tutores, versus fin. litt. B. Bec. cons. 105. num. 13. 18. 19. & 35. probat, quòd vendens, dans in solutum, seu delegans nomen debitoris, non tenetur pręstare debitorem locupletem; sed solùm eum esse verum debitorem, & efficaciter obligatum, non autẽ esse soluendo, iuxta ea, quæ habentur ex Surd. cons. 452. num. 14. in fin. & num. 15. lib. 5. At per solam litterarum cambij acceptationem non censetur facta nouatio, & consequenter liberatio debitoris cedẽtis; nisi debitor campsuarij in libro faciat campsorem creditorem, eidemque id significet, & acceptet, vt supra diximus, & habetur ex eodem Scac. ibidem, sub num. 284. vndè ex diuersis nõ fit illatio, l. Papinianus exuli, ff. de minor. Quod verum est, nisi delegans fuerit conscius fugæ, vel decoctionis delegati: quoniã tunc diceretur fuisse in dolo, & ideo non erit liberatus, iuxta ea, quę habentur ex Surd. cons. 145. sub num. 10. lib. 1. & Scac. de commerc. & cãb. §. 2. Glos. 5. num. 299.

Ad Tertium, quoad primum casum dicimus,

9 mus, quòd opinio probabilior est in contrarium, vt habetur ex Angel. in l. qui vsufructum, num. 2. ff. de verb. obligat. dum ait, falli eos, qui se liberatos existimant ab obligatione, cùm per Bancherium, seu campsorem promitti faciunt illam pecuniam creditori: quia cùm hæc secunda promissio non contineat plusquam prima, non intelligitur ab ea recessum in dubio: & hanc eandem sententiam tenet Bart. sibi contrarius cons. 99. lib. 2. dum inquit, quòd si tertius promittit mihi, quod Titius dare debebat, ipse tertius censetur fideiussor; qui propterea conveniri non potest, nisi excusso prius Titio principali: quia per huiusmodi tertij promissionem non censetur sublata prima actio, nisi expressè dicatur. Idem docet Paul. Castr. in d. l. qui vsufructum sub num. 3. q. vlt. maximè si promittens habebat pecuniam Titij, & alij apud Afflict. decis. 303. sub num. 2. & 3. Mant. de coniect. vltim. volunt. lib. 11. tit. 17. in fin. sub num. 35. & ante eum Bald. cons. 348. seu 349. sub num. 3. lib. 1. vel secundò, & melius respondetur ex Scac. d. §. 2. Glos. 5. num. 296. quòd in casu in argu-
10 mēto relato est facta delegatio; atque ideò debitor est liberatus: siue qui promisit pro Titio erat eius debitor, siue non: quia si debitor censetur liberatus, quasi facta nouatione quando campsor obtulit pecuniam creditori: ergo idem dicendum est in casu dicti argumenti: siquidem de consuetudine semper campsor cēsetur habere promptam pecuniam, & oblatam creditori: & propterea ille casus est diuersus cùm per solam acceptationem litterarum cambij non censeatur facta nouatio, seu delegatio. Idem respondet Scac. ibidem quoad posteriorem casum; quoniam in eo censetur facta delegatio, & sic nouatio; quamuis non desint, qui contrariam opinionem doceant, quos refert ipse Scac. loco citato, num. 301.

Vnde his reiectis firma remanet conclusio, quòd cambium, in quo campsor litteras cambij probabiliter existimat esse acceptādas in loco destinatæ solutionis, ab eo ad quem mittuntur, sed non soluendas, est siccum, & vsurarium.

Limitatur hæc conclusio, vt vera sit,
11 quādo dolosè campsor dedit cambio, itaut probabiliter credens litteras esse acceptandas, & non soluendas cambium celebraret: aliàs non celebraturus, ad hoc vt solutionem cambij, facta deinde protestatione reciperet in loco celebrati contractus: quoniam tunc huiusmodi campsor diceretur habere intentionem mutuandi cum lucro, potiusquam cambiendi, secus si bona fide dederit cambio, existimans litteras esse acceptandas, & non soluendas: quia scilicet campsor, vel ipsius procurator esset ei ad quem directæ sunt litteræ, dilationem daturus ad eas soluendas; quoniam tunc cambium non esset siccum: eo quòd litteræ haberentur pro solutis: siquidem si durante dicta dilatione, mandatarius decoxerit, dānum erit eius, qui dilationem dedit, & is, qui litteras scripsit, erit liberatus. Idem erit
12 dicendum si campsor probabiliter sciat, suum procuratorem fore negligentem in exigendo cambio, & procurando, vt litteræ statuto tempore compleantur: quoniam si mandatarius decoxerit, damnum erit campsoris, vel eius procuratoris. Dixi, *Si decoxerit*, quia si non fuerit decoctus, tunc si finita dilatione, adhuc non soluerit, poterit habere regressum contra eum, qui litteras accepit, sed nullum poterit consequi interesse. Imò posset ipse teneri ad interesse, & quo non fuit protestatus, & non statim denunciauit illi, qui litteras scripsit. Etenim in cambijs factis pro Ciuitate Genuæ, & extra eius dominium, & in cambijs inter Genuenses, & extraneos, qui dedit cambio si litteræ receptę non fuerint solutæ, condicto tempore, in loco destinatæ solutionis, tenetur protestari infra 30. dies à die solutionis faciendæ, & certiorare eum, qui fecit litteras, remittendo eas cum protestatione, vt habetur ex Scac. d. §. 2. Glos. 5. num. 318. 319. 325. & 326.

An cambium dicatur siccū, in quo campsor probabiliter putat cāpsuarium reuocaturum litteras datas pro loco destinatæ solutionis, & cambium cum lucro soluturum in loco celebrati contractus. Q. XXXVI.

SV M-

SVMMARIVM.

1 *Cambium reale ad sui iustitiam exigit, vt campsor probabiliter saltem putet, campsuarium posse soluere cambium in loco cōdictæ solutionis.*

2 *Pœnitentia post datas litteras licita est in contractu cambij, vtriusque partis concurrente consensu: secus autem si alterius tantùm consensus accedat.*

3 *Cambium, in quo cāpsor probabiliter putat, campsuarium reuocaturum litteras, & cābium cum lucro soluturum in loco celebrati contractus, est inualidum.*

4 *Cambium reale exigit, vt non solùm campsor probabiliter sciat, campsuarium posse soluere in loco destinatæ solutionis; sed etiam quòd litteræ traditæ sint suum effectum habituræ.*

1 IN hac difficultate videtur negatiuè respondendum esse, atque ideò huiusmodi cambium non posse dici siccum. Probatur, quia ad iustitiam cambij satis est, quòd campsor probabiliter credat, campsuarium in loco destinatæ solutionis, se habere, vel habiturum pecuniam, creditum, & sic aliquem, qui suo nomine cambium possit soluere, vt post alios docet Azor. par. 3. Instit. moral. cap. 11. de camb q. 6. sed campsor in casu, de quo agitur, quamuis probabiliter putet, campsuarium reuocaturum litteras traditas, & cambium cum lucro soluturum in loco celebrati contractus; nihilominus nos supponimus, eum scire, vel saltem probabiliter credere, campsuarium in loco destinatæ solutionis habere, vel habiturum pecuniam, vel aliquem, qui suo nomine cambium possit soluere: ergo id satis est ad iustitiam prædicti cābij, nec aliud exigitur, cùm substantialia ad realitatem cambij concurrant: quòd autem deinde putet, campsuarium reuocaturum litteras, id non attenditur, cùm accidat cambio, & sit extra essentiam ipsius.

Secundò confirmatur hæc sententia, quia
2 nos supponimus, campsorem existimare, campsuarium reuocaturum litteras datas pro loco destinatæ solutionis liberè, non autem inuitum, & ipso campsore consentiente: ergo cambium, de quo agitur, non ob id potest reddi siccum, ac illicitum: quia in cōtractu cambij post datas litteras licita est pœnitentia, vtriusque contrahentis concurrente voluntate: esset enim illicita, altero contrahente inuito: quia cōtractus cambij, sicut fit ad vtriusque contrahentis vtilitatem; ita etiam distrahitur, vtriusque concurrente voluntate: nec rescindi potest, nisi amborum concurrat voluntas, vt habetur per Bald. consi. 348. seu 349. num. 2. in fin. & num. 3. lib. 1. Io. Bapt. Cauat. de camb. tit. de solutione in loco, ad quem, Socc. consil. 68. in princ. lib. 3. & alios, quos refert, & sequitur Scac. de commerc. & cāb. §. 2. Glos. 5. num. 447. cum plur. seq. vbi id ampliat, etiam si ageretur de rescissione non omnimoda, sed in parte, nempe quoad locum destinatæ solutionis: & non solùm si ageretur de litteris mandatorijs; sed etiam dispositiuis, & limitat multipliciter.

Oppositis tamen non obstantibus, con-
3 trariam opinionem puto veriorem esse. Probatur, quia ad iustitiam cambij non solùm expostulantur litteræ, & earum transmissio; sed exigitur etiam, vt is, qui dat cambio, opinetur, seu speret, illas non esse referendas inanes: aliàs si litteræ ita mittantur, vt eo vndè processerant inanes referantur, contrahentes essent in mala fide; atque ideò cāpsor in re intēderet mutuare potiusquam cambire, cùm solutionem cambij intendat in loco celebrati contractus vna cum lucro, vt habetur ex Caiet. de camb. cap. 1. num. 4. vers. Iniusta, Sot. lib. 6. de iustit. & iur. q. 1. ar. 1. concl. 3. & sic fieret contra dispositionem nostræ Extrauag. vt habetur ex Azor. p. 3. Instit. moral. lib. 10. tit. de camb. cap. 8. vers. Primum igitur, & Scac. de commerc. & camb. §. 1. q. 7. p. 3. limit. 5. num. 2. Sed in casu nostro dum campsor dat cambio sub hac spe, & probabilitate, vt campsuarius sit litteras sibi traditas reuocaturus, & cābium vna cum lucro soluturus in loco celebrati contractus, dicitur tacitè intendere lucrum ex mutuo, potiusquam ex cambio, & contractum mutui in re, & non cambij celebrare: ergo cambium, de quo agitur, non est reale, sed siccum.

Ad

Ad argumenta modò respondetur.

4 AD primũ patet solutio ex dictis: nam nõ solùm ad iustitiã cambij exigitur, vt campsor probabiliter credat, cãpsuarium habere pecuniam, & creditũ in loco destinatæ solutionis, sed etiam, quòd litteræ sibi traditæ suum effectum sint habituræ, & non referendæ inanes ad locum celebrati contractus vna cum lucro: aliàs lucrum intenderet ex mutuo, non autem ex cambio: quod est vsurarium.

Ad secundum argumentũ respondetur, quòd cõsequentia, vera esset quando campsor ex reuocatione litterarum intenderet tantùm rescissionem cõtractus cambij, concurrente vtriusque contrahentis voluntate: sed in casu nostro nos supponimus ex reuocatione litterarum intendere solutionem cambii vna cum lucro in loco celebrati cõtractus; & propterea cambium est siccum, & vsurarium.

Ibi, *Aut etiam, nullis huiusmodi litteris traditis, &c.* An cambium de loco ad locum, seu ad nundinas, semper dicatur siccum, si litteræ nõ tradantur. Q. XXXVII.

SVMMARIVM.

1 *Cambium potest esse reale, etiam si littera nõ tradantur.*

2 *Cambium de loco ad locum, cur dicatur per litteras, declaratur.*

3 *Cambium, in quo littera non traduntur, quia contrahentes intentionem non habent contrahendi, est siccum.*

IN hac difficultate videtur prima facie dicendum, cambiũ de loco ad locum, seu ad nundinas, semper dici siccum, si litteræ nõ tradantur. Probatur; quia huiusmodi cambium dicitur cambium per litteras, vt patet ex ijs, quæ supra adnotauimus, q. 1. & 10. ergò litteræ sunt de ipsius essentia; atque ideò si litteræ non tradantur, cambium non erit reale, sed siccum: quia in eo dificit vnum ex substantialibus. Secundò probatur ex nostro §. in illis, verbis, *Aut etiam nullis, &c.* in quo declarantur sicca illa cambia, in quibus litteræ non traduntur: ergo cãbium, de quo agitur, litteris nõ traditis, est nullius momenti: & ita siccum. Denique litteræ traduntur ad ostendendum cambium non fieri pro eodem loco; sed pro alio distanti, & ad ostendendam solutionem faciendam esse tempore nundinarum proximarum: ergò ipsis non traditis, saltem in foro exteriori cambium erit siccum, cùm non possit constare cambium fieri pro loco distanti.

1 His tamen non obstantibus contraria sentẽtia videtur verior. Probatur ex ijs, quę supra diximus, q. 33. dũ ostendimus litteras in cambijs non esse simpliciter necessarias quia litterę non sunt de iustitia cambij; sed tantùm fiunt ad ostendendam iustitiã cambii. Etenim potest dari cambium verum, & reale de loco ad locum, nullis datis litteris, quando fides haberetur, campsuario sine litteris; quoniam cõpleri posset per ipsummet campsuarium, si accedat ad locum cõuentum: vel si non accedat, saltem per nuncium.

Restat modo, vt ad contraria respondeamus.

2 AD primũ dicitur, quòd ideo cambium de loco ad locum, dicitur cambium per litteras; quia regulariter, & frequenter fit per litteras; non autem quòd litteræ sint de essentia cambii, vt post Nauar. & alios ait Scac. de cõmerc. & camb. §. 1. q. 5. num. 10. fieri autem solent litteræ cambii multis modis: quoniam scriptura cambii non habet certam, ac determinatam formam: quos modos, & litterarum cambii multiplicem formam recenset idem Scac. loco citato, num. 12. cum plur. seq.

3 Ad secundum ex nostro §. respondetur, quòd tunc cambium dicitur siccum, litteris non traditis, quando contrahentes non habent intentionem contrahendi cambium; sed fingunt cambium contrahere, cùm tamen vera contrahant mutuum vna cum lucro restituendum in loco celebrati contractus: quod quidem est vsurarium.

Ad

Ad vltimum respondetur, quòd licèt argumentũ concludat quoad forum exterius; nihilominus si litteris etiam non confectis, appareat verè, ac realiter fieri pro alio distanti loco,& cum sincera cambientium intentione, & sequatur solutio in proximis, nundinis, tunc nihil referret, an fieret cum litteris, vel sine litteris iuxta ea, quæ habentur ex Scac. de commerc.& camb. §. 1. q. 7. p. 3. limit. 5. num. 6. & 7.

An cambium sit siccum, vel saltem illicitum, in quo datis, trãsmissis, & solutis litteris, campsor plus iusto pretio exigit, eo quòd campsuarius sit in necessitate' accipiendi cambio Q. XXXVIII.

SVMMARIVM.

1 *Cambium, in quo campsor accipit lucrum ex cambio vltra commune pretium fori ex eo quòd accipiens cambio magna premitur pecuniarum indigentia, licèt non sit siccum; est tamen iniustum.*

2 *Vendere carius non potest quis ex eo quòd emens sit in magna necessitate emendi rem aliquam.*

3 *Emere vilius non potest quis, eo quòd emens sit in magna necessitate emendi.*

4 *Campsor non potest supra commune pretium fori dare cambio, eo maximè indigenti, non solùm in foro externo; sed nec etiam, attento foro interno.*

5 *Aduocatus prohibetur à Cliente emere, vel aliter eum eo contrahere, durante lite.*

6 *Campsor iustè supra iustum pretium fori dat cambio pauperi, si periculo se exponit perdendi etiam capitale.*

7 *Res quò magis est periculosa, eo minus valet.*

8 *Mercator subscribens litteras campsuarij pauperis, potest ab eo percipere tertiam partem vnius scuti pro singulis centum.*

9 *Fideiussor ratione periculi, cui exponitur, potest pacisci mercedem aliquam cum eo pro quo fideiubet.*

10 *Assecurantur naues, merces, &c. ad rationem quinque, sex, &c. plus, aut minus ratione periculi.*

11 *Campsor quoad forum exterius non potest dare cambio supra pretium à lege taxatum, pauperi, ratione periculi.*

12 *Pretium cambij, quod à Mercatorum Consulatu taxatur, licèt inuiolabiliter seruetur in liquidandis interessibus eorum, qui negotiantur in cambijs contra morosos debitores; nihilominus dicto pretio in multis non statur.*

1 AD hanc difficultatem respondetur breuiter, quòd huiusmodi cambium licèt non sit siccum; est tamen iniustum. Quòd non sit siccũ patet; quia non est vsurarium: eo quòd nõ est mutuum explicitum, nec implicitum; sed est verè, ac reale cambium: siquidem in eo concurrit vera, ac realis commutatio pecuniæ præsentis cum pecunia absenti in loco destinatæ solutionis, dantur litteræ, mittuntur, ac soluuntur iuxta dispositionem nostræ Extrauag. Non igitur cambium, de quo agitur, est siccum. Quòd
2 autem cambium ipsum sit iniustum probatur auctoritate Fabiani Genuen. tract. de camb. in initio, sub num. 38. vers. Septima; quẽ referet, & sequitur Scac. de commerc. & camb. §. 1. q. 7. p. 3. limit. 6. per totam. Etenim sicut quis vendere carius alicui nõ potest, eo quòd magnam habet necessitatem emendi, atque ideò est restitutioni obnoxius: siquidem pretium rei iudicandum est ex valore rei in se, nõ autem ex commoditate, quam res ementi in particulari est allatura, vt habetur ex Molina de contract.
3 disp. 386. num. 1. ita etiam si quis vendat rem suam vilius, vt redimat se, vel suos à captiuitate, vel vt se suosque alat in magna necessitate, tenetur vilius emens ad iusti pretii supplementum; atque ideò campsor, qui dat cambio, quando emit scutum marcharum minori pretio propter vrgentem campsuarii necessitatem, tenetur iustũ pretium supplere: quia vẽdens carius, & emens carius in supradictis casibus, non consentit simpliciter; sed quodammodo extorquetur sibi propter necessitatem: & propterea non censetur illud plus donare, iuxta ea, quæ habentur ex Anchar. in cap. peccatum, sub num. 21. vers. Primò, de regul. iur. in 6. & Franc. Aret. in cap. cùm causa, sub num. 27. in 2. concl. de testib.

Am-

Ampliatur hæc conclusio, vt non solùm
4 vera sit in foro conscientiæ; sed etiam quoad forum exterius, si de supradictis constaret: quoniam cambium posset dici nullum: siquidem necessitas habet vim cogendi, & consequenter excludit consensum, vt habetur ex eodem Scác. loco citato, sub num. 2. Non tamen huiusmodi cambiũ erit nullum ipso iure, sed venit rescindendum pro rata tantum pretij venditori debiti, arg. eorum, quæ habentur in l. 2. & ibi Doctor. C. de rescind. vendit. quia cõsensus campsuarij nõ deficit quoad substantiam contractus; sed tantùm quoad quantitatem pretij: sicut dicimus de venditione rei facta medico ab infirmo pro minori pretio, quæ rescinditur officio Iudicis, vt per Anton. Burgen. in c. cum causa, num. 52. de empt. & vendit. Hac
5 eadem ratione prohibitũ est etiam aduocato, durante lite à Cliente emere, seu aliter cum eo contrahere: quia de facili Cliens omnia daret, vt in l. quisquis, & ibi Glos. C. de postulat. & l. 3. ff. de var. & extraord. cognit. & Scac. de commerc. & camb. §. 1. q. 7. p. 2. ampl. 19. num. 124.

Sic ampliata limitatur eadem conclusio,
6 vt licèt nõ possit campsor plus iusto pretio ex cambio exigere propter necessitatem campsuarij, cambio indigentis, nihilominus licitè plus iusto pretio exigit à campsuario paupere, si exponat se periculo perdendi etiam capitale, non solùm quoad forũ interius, verũ etiã quoad forũ exterius: siquidẽ res quo magis est periculosa, eo minus va-
7 let, atque ideò potest minori pretio emi, vt habetur ex Sot. lib. 6. de iust. & iur. q. 12. ar. 2. concl. 4. At periculosius exigitur creditũ à paupere impotenti, quàm à diuite: ergò licitè campsor plus iusto pretio potest exigere à campsuario paupere. Ita Scac loco citato, sub num. 2. & §. 1. q. 1. num. 431. & 494. cum plur. seq. Confirmatur hæc ipsa limitatio, quia si pauper propter suã inopiam non inueniat, qui velit ei dare ad cambium pro nundinis, nec acceptare suas litteras; &
8 propterea coactus recurrat ad mercatorem aliquem, qui suas litteras subscribat, tunc mercator licitè potest subscribendo litteras accipere ab huiusmodi paupere tertiã partem vnius scuti pro singulis centum, cùm exponat se periculo soluendi pecunias in defectum pauperis, vt habetur ex Romoal. Col. de camb. cap. 19. eo quòd potest fide-
9 iussor ratione periculi, quod fideiubendo dicitur subire pacisci mercedem aliquam pro fideiussione, vt in l. hoc iure, §. Labeo, vbi Bart. ff. de donat. Med. de reb. per vsur. acquis. q. 4. corol. 3. vers. Sequitur amplius, Sot. lib. 6. de iust. & iur. q. 1. ar. 2. vers. Restat ergo: Nauar. in Man. cap. 17. sub num. 285. Azor. p. 3. Inst. moral. lib. 5. tit. de vsur. cap. 2. in fin. Couar. lib. 3. var. resol. cap. 2. num. 6. Lup. in c. nauiganti, §. 1. post præfationem num. 7. de vsur. Molina de contr. disp. 319. vers. Communis, Scac. loco citato, num. 4. & §. 3. Glos. 3. à num. 6. ad 13.

Et re verà hęc eadem limitatio clarè pa-
10 tet ex eo quòd pericula nauis, mercium, vitæ hominis, & similium, passim venduntur, & emuntur, ad rationẽ quinque, sex, decem, plus, & minus pro singulis centum; cùm assecuratio sit contractus emptionis, & venditionis, vt in l. periculi, ff. de naut. fœnor. latè Santer. de assecur. p. 5. sub num. 3. & seq. Strac. eod. tract. Glos. 27. sub num. 4. vers. Secunda facti, & Nauar. in Man. cap. 17. sub num. 285. ergò & campsor in casu, de quo agitur, iustè accipit illud pretij incrementum ratione periculi. Est tamen ve-
11 rum, quòd vbi pretium cambij esset à lege taxatum, in foro saltem exteriori campsor succumberet augendo pretium cambij modo prędicto ratione periculi: quia Lex fori contentiosi ad tollendas fraudes, & lites, æqualiter existimat nomen mali debitoris, ac nomẽ boni: & propterea sibi imputabit, qui malo credidit debitori, vt habetur ex eodem Scac. de commerc. & camb. §. 1. q. 7. p. 2. ampl. 10. num. 76. & seq. vbi etiam sub num. 75. vers. Nomen autem: declarans nomen boni, & mali debitoris, inquit, quòd nomẽ boni debitoris dicitur, quando debitor non solùm est facultatibus idoneus; verùm etiã pacificus, lealis, veridicus, timens Deum, & honorem, & è conuerso nomen mali debitoris appellatur, non solùm quando quis est pauper; sed etiam quando est mendax, infidelis, Dei, ac proprij honoris formidinem non habens.

Dixi, *vbi pretium cãbij esset à lege taxatũ*.
12 quia pretiũ, quod cãbijs imponitur à Mercatorũ Cõsulatu, licèt inuiolabiliter seruetur in liquidãdis interesibus eorũ, qui negotiãtur in cãbijs cõtra morosos debitores

tàm

tàm pro creditore, quàm pro debitore, & rarò cambientes contrahant eiusmodi pretio; tamen ex communi mercatorum consuetudine, quia tali pretio multoties non statur, vt infra latius, Deo duce, suo loco dicetur, campsuarius, eo quòd sit, *Buona lettera*, potest scutum marcharum vendere maiori pretio, vt supra probauimus in explicatione proœm. q. 32. Et è conuerso, campsor eo quòd campsuarius non sit, *Buona lettera*, possit idem scutum marcharum minoris emere, vt ibidem diximus, vt benè declarat Scac. loco citato, sub num. 73.

An cambium, in quo campsor dat cambio cum pacto, vt campsuarius sit obligatus quolibet anno soluere ad rationem sex, vel septem pro centenario, salua sorte, sit siccum, estò quòd litteræ dentur, mittantur, ac soluuntur. Q. XXXIX.

SVMMARIVM.

1 *Cambium, quò vtuntur Ligures, refertur.*
2 *Cambium, in quo campsor dat cambio cum pacto, vt campsuarius teneatur quodlibet anno soluere sex, vel septem pro singulis centum, salua sorte, an sit illicitum.*
3 *Cambium cum interesse taxato, non solùm est illicitum; sed etiam est vsurarium.*
4 *Cambium cum interesse taxato, est illicitum, etiam si fiat cum magnis Principibus.*
5 *Lucrum ex mutuo non est licitum percipere, nisi ratione lucri cessantis, vel dãni emergentis.*
6 *Cambium cum interesse limitato, est licitum si fiat sub titulo procurationis.*
7 *Campsor dans suam pecuniam ad societatem cambiorum, potest illam dare ad lucro taxato.*
8 *Viduarum contractus saluantur, cùm earum dotes dant mercatoribus, salua sorte, ad rationem quinque pro quolibet centenario.*
9 *Pactum de certo, ac determinato lucro constituendo in proximis nundinis, est licitum.*
10 *Pactum de lucro in cambijs, an, & quando sit licitum.*
11 *Pœna conuentionalis, iudicialis, & legalis, an, & quando debeantur.*

1 IN hac difficultate videtur prima facie negatiuè spondendum esse. Probatur, quia Genuæ, & per totam Liguriam iustum reputatur cambium, in quo campsor dat alicui suam pecuniam sub ea lege, quòd si cambia dabunt vltra sex pro centenario, illud plus sit accipientis cum obligatione dandi singulis annis sex firmè ipsi campsori, ac pecuniarum Domino; & nihilominus campsor dat cambio, vt campsuarius sit obligatus quolibet anno soluere ad rationem sex pro quolibet centenario: ergò huiusmodi cambium non est siccum; sed licitum: quia non est verisimile, quòd talis cõtractus sit illicitus, cùm palàm ab omnibus etiam timoratæ conscientiæ tanquam licitus exerceantur.

2 Oppositis tamen non obstantibus, contraria opinio est verior, quam tenet P. Iustin. de contin. camb. q. 10. sub num. 3. Scac. de commerc. & camb. §. 1. q. 7. p. 3. limit. 8. num. 2. & limit. 13. num. 1. & 2. Probatur ex nostra Extrauag. §. 2. in illis verbis, *Statuimus ne deinceps quisquam audeat, siue à principio, siue aliàs, certum, & determinatum interesse, etiam in casu non solutionis pacisci*, ex quo §. clarè constat, campsores non posse taxare lucrum futurum in cambijs: quòd si ita est, cambiũ, de quo agitur, est illicitum; estò quòd litteræ dentur, mittantur, ac soluantur.

3 Ampliatur hæc conclusio, vt huiusmodi cambium non solùm sit illicitum, sed etiam vsurariũ, cùm talia cambia sicca declarentur per supradictam nostram Extrauag. vt habetur ex Nauar. in Man. c. 17. num. 292. & cap. nauiganti, num. 77. de vsur. Io. Azor. p. 3. Instit. moral. lib. 10. tit. de camb. c. 10. vers. Sextò cùm pecuniæ, & Scac. d. limit. 8. & 13. Imò taxationem certi interesse ab initio illicitam esse simpliciter, tenent Soc. cons. 130. sub num. 9. volum. 4. Dec. cons. 111. num. 5. & 14. Rota diuers. decis. 331. vers. Ex quibus: & alij, quos refert idem Scac. de commerc. & camb. §. 1. q. 7. par. 2. ampl. 8. num. 27.

Se-

Secundò ampliatur eadem conclusio,
4 vt locum sibi vendicet, etiam si campsuarius, qui se obligauit ad huiusmodi certa, & determinata lucra diues esset, & magnus Princeps; quia huiusmodi cambium non tantùm præsumptiuè; sed apertè est vndique siccum, & vsurarium, & vsura ita committitur cum diuite, ac cum paupere, vt post Fabian. de camb. num. 38. vers. Septima: docet Scac. d. limit. 8. num. 4. & limit. 20. num. 3.

Tertiò ampliatur supradicta conclusio,
5 vt sit vera in quouis contractu, qui certum lucrum; & interesse parere non possit, nisi per viam vsuræ, vt patet in contractibus depositi, mutui, &c. Ex quibus non est licitum percipere lucrum, nisi ratione lucri cessantis, vel damni emergentis, vt per eūdem Scac. post alios, d. limit. 8. num. 3.

Sic ampliata limitatur primò hæc ipsa
6 conclusio, vt vera sit, quando campsor dat pecuniam prædictam sub titulo cambij, sub dicta conditione, ac determinato lucro: secus autem si sub titulo procurationis: quia tunc facta illi iusta assignatione mercedis, seu prouisionis, & de lucro spectante ad campsorem ratione assecurationis aliqua iusta portione, possent contrahentes transigere de certo cambij lucro, quod verisimiliter speratur: siquidem huiusmodi contractus continet iustitiam, & æqualitatem, vt habetur ex Azor. p. 3. Instit. moral. lib. 10. de camb. cap. 11. quæst. 10. & Iustin. loco citato.

Secundò limitatur quando campsor da-
7 ret suam pecuniam alicui ad solutionem cambiorum, vt si Titius det mille Sempronio exercenti campsoriam artem, vt cum suis pecunijs negotietur in cambijs sub illo pacto, ac certo lucro; nam tunc contractus huiusmodi erit licitus si concurrant conditiones societatis, assecurationis, & transactionis: idest, quòd concurrant saltem virtualiter tres contractus. Vnus societatis, in quo lucrum diuidatur pro æquali portione, iuxta regulas iustæ societatis. Etenim si Sempronij industria tantùm valeat, quanti sit lucri medietas, tunc lucrum debet æqualiter diuidi: si verò non tantùm valeat, sed pro tertia, vel quarta parte lucri dumtaxat, tunc illa tertia, vel quarta pars debetur Sempronio. Alius autem contractus est assecurationis, nempe quòd de illa parte lucri quæ spectabat ad Titium, detur aliquid Sempronio, quod sit iustum ratione assecurationis capitalis. vt si in casu proposito pars lucri spectans ad Titium probabiliter crederetur futura scutorum nouem, tria ratione assecurationis assignentur Sempronio. Et tertius denique contractus est transactionis, seu assecurationis lucri, vt de sperato lucro dentur sex, & si quid vltra lucrabitur ipse Sempronius, sit eiusdem Sempronij. Confirmatur quoniam hac ratione iustifi-
8 cantur contractus viduarum, & pupillorum, qui salua sorte, dant campsoribus, seu mercatoribus earum pecunias ad rationem quinque pro quolibet centenario, de qua re infra, Deo duce, dicemus, q. ampl. 2. & q. 14.

Tertiò limitatur eadem conclusio, vt li-
9 cèt non possit pacisci de certo, ac determinato lucro cambij quolibet anno, vt supra; potest tamen pacisci de lucro constituendo in proximis nundinis: quia huiusmodi lucrum licèt secundum quid dicatur certū; nihilominus est simpliciter incertum: quapropter iustum est cambium, in quo campsor dat Mediolani centum aureos soluendos Placentiæ cum lucro constituendo in proximis nundinis, vt habetur ex Sot. lib. 6. de Iustit. & iur. q. 12. art. 1. Salon. de camb. q. 4. contr. 15. & 17. Molin. de contr. disp. 403. Bonac. eod. tract. disp. 3. q. 5. pun. vnico, propos. 5. num. 18. Idem dicendum est de eo, qui dat centum aureos Mediolani soluendos Placentię cum lucro constituendo in primis nundinis; dummodo non excedat duo, vel tres pro quolibet centenario.

Quartò limitatur, vt licet non possit fie-
10 ri pactum de certo lucro, etiam in casu non solutionis; potest tamen fieri pactum, vt in casu non solutionis campsuarius soluat cāpsori interesse in confuso, quod ipse fuerit passus ex eo quòd nō fuerit subsequuta solutio præfinito tēpore: quoniam nostra Extrauag. illud tātùm interesse prohibet, quod est determinatum antequam lucrum cesset, vel damnum subsequatur, vt benè declarat Vega in sua sum. tit. de camb. casu 37. Mer-
11 cat. de contract. c. 10. & 12. & Lopez 2. p.

Instr. cap. 6. Imò cùm vi nostræ Extrauag. prohibeatur pactum de certo, ac determinato interesse lucri cessantis, vel damni emergentis, non ob id prohibitum censetur pactum de aliqua pecuniarum quantitate solvenda nomine pœnæ in casu non solutionis præfinito tempore, vt habetur ex eodem Vega ibidem casu 34. Etenim lucrum ex mutuo perceptum ratione pœnæ conuentionalis est licitum, & nullo pacto vsura dici potest, vt docet Scot. in 4. d. 15. q. 2. Medina q. de vsura, §. Quarta causa, Nauar. in suo Man. cap. 17. num. 215. Salon. in D. Tho. 2. 2. q. 78. ar. 2. contr. 11. concl. 2. Less. lib. 2. de Iust. & iur. c. 20. dub. 15. Syl. in sua sum. ver. vsura, 1. num. 28. & alij: siquidem debitor, qui est in mora, peccat contra iustitiam retinendo alteri debitum, & proinde efficitur pœna dignus; ergo ex conuentione partium potest illi pœna aliqua constitui. Confirmatur ex communi cōtrahentium consuetudine, qui in eorum contractibus pœnam sibi constituunt in casu contrauentionis: & pœnam huiusmodi exigi posse, etiam si creditor ex mora sui debitoris nullum interesse fuerit passus: nam rationes supradictæ concludunt de pœna sub ratione tantùm pœnæ, & punitionis moræ culpabilis in debitore, quem iustum est puniri; cùm re vera culpa sit, & infidelitatis species, promissa non adimplere. Est tamen verum, quòd pœna huiusmodi non debetur antequam à creditore petatur: quoniam in omnibus ferè contractibus apponuntur huiusmodi pœnæ, & vt plurimum non exiguntur ab honestis maximè viris, vbi nullum patitur incommodum, seu interesse: ad quod facit tex. in cap. suam, de pœn. & id, quod dicit Felin. in cap. 1. num. 43. vbi etiam Dec. num. 2. de constit. dum docet, quòd quando contrahentes vi pacti volunt, teneri debitorem morosum ad soluendam pœnam ipso facto, etiam si non exigatur, intelligendi sunt de pœna, quæ imponitur solùm in compensationem alicuius interesse. Hoc idem tenet Nauar. in Man. cap. 23. num. 67. & latè Salon. loco citato, concl. 3. & 4. & quando agitur de pœna legali, nemo tenetur eam subire ante Iudicis sententiam, vt rectè declarat Salon. d. q. 78. ar. 2. cōtr. 11. num. 6.

Imò pœna conuentionalis ita demum
12 debetur ratione moræ, quando est moderata; sicut de pœna iudiciali, ac legali quoque dicitur: aliàs iniquè ageretur, vt rectè ait Vega loco supra citato, qui in specie agit de pœna conuentionali constituta in cambijs: & talis pœna non posset peti qua parte iustum modum excedit: siquidem eadem ratione pactum legis commissoriæ in pignoribus, idest, vt pignus sit creditoris, si præfinito termino debitor debitum non exoluerit, est de iure damnatum, vt in cap. significante, de pignor. l. 1. & 2. de pac. pignor. & Less. lib. 2. de Iustit. & iur. cap. 20. dub. 15. num. 132. Adde, quòd si campsor tempore contractus probabiliter sciret campsuarium esse impotentem ad soluendum cambium condicto tempore, & nihilominus pœnam constitueret in casu moræ, pœna non deberetur: nam idem dicitur de mutuante, qui pœnam imponeret mutuatario, si condicto tempore mutuum non reddat, & probabiliter sciat eo tempore fore impotentem, vt habetur ex Tol. lib. 5. suæ sum. cap. 32. & Salon. d. contr. 11. sub num. 3. Ab eadem pœna conuentionali excusaretur campsuarius quoties citra culpam suam non solueret cambium constituto termino: siquidem pœna conuentionalis in mutuo ita demum exigi potest, cùm mutuatarius verè est in culpa non restituendo mutuum condicto tempore; quoniam pœna venit exigenda ratione culpæ, sicut & iudicialis, ac legalis: vbi autem nulla est culpa, nulla quoque debetur pœna. Vndè si campsuarius efficiatur impotens ad soluendum cambium præfinito termino, excusabitur à pœna, vt rectè docet Tolet. ibi Nauar. in Man. cap. 17. num. 215. & alij: quod tamen verum est, nisi culpa sua campsuarius sit factus impotens, vt quia aleis, luxu, commessationibus, vel negligentia non valeat soluere, vt indistinctè in omnibus debitoribus docet Less. lib. 2. de Iust. & iur. cap. 20. dub. 15. Idem dicendum est, vbi pœna huiusmodi esset imposita in contractu cambij in fraudem vsurarum; nam non deberetur; sicut non debetur talis pœna constituta in contractu mutui in vsurarum fraudem, vt habetur ex Nauar. in Man. cap. 17. num. 215. Salon.

in D.Thom.2.2.q.78.art.2.concr.11.num. 2.& 3.cum alijs quos allegat. Bene verum est, quod Less.lib.2.de Iustit. & iur.cap.20. dub.15.sub num.129.ait, quòd si constituta iam pęna, mutuans optet mutuatarium eam incurri, licèt peccet cõtra charitatem optãdo peccatum proximi ob suum commodũ; non tamen peccat contra iustitiam: nec inde fit, vt exactio pœnæ sit iniusta: quod quidem Nauar.& Salon. locis citatis non probatur: nam qui mallet debitorẽ esse in mora, & per illam pœnam impositam incurrere, potiusquam condicto tempore soluere, non tàm in pœnam moræ, & punitionem culpæ censendus est illud optare, quàm vt lucrum vltra sortem ex illo mutuo perciperet. Sicut Iudex cupiens delicta committi, quæ pœnis pecuniariis puniantur, vt illas percipiat, non tàm delictorum punitionem optare censeretur, quàm lucrum ex officio. Non tamen est recedendum à sententia Less. quoniam ratio conuincit, quòd talis peccaret contra charitatẽ, non autem contra iustitiam, & propterea restitutioni non esset obnoxius: siquidem iustũ, vel iniustum non consistit in bonitate, aut prauitate animorum, & intẽtionum; sed in rerum, & operum externorum æqualitate, vel inæqualitate, vt infra dicemus, q.54.num.6.

Ad contrarium modo patet solutio ex dictis: quibus adde ea, quæ habentur ex Azor.p.3.Inst.moral.lib.10.de camb.c.11. q.10.& Iustin.de contin.camb. q.10.

Ibi, *Pecunia ibi denique reposcitur, &c.* De cambio, quod vulgò dicitur, *con la ricorsa*, an sit licitum: et primò de eo, in quo liberè recurritur ad procuratorem campsoris: qui de propria ipsius procuratoris pecunia cambium soluat. Q. XXXX.

SVMMARIVM.

1 *Recursa quid sit, declaratur.*
2 *Cambium cum recursa multipliciter appellatur, sed vna tãtùm datur eiusdem species.*
3 *Cambium cum recursa dicitur liberum, seu liber recursus ad procuratorem campsoris multis modis.*
4 *Recursus ad procuratorem campsoris, mediãte obligatione, qualiter habeatur.*
5 *Litterarum solutio in cambio cum recursa quadrupliciter fieri contingit.*
6 *Cambij cum recursa praxis ponitur.*
7 *Litterarum forma in cambio cum recursa traditur.*
8 *Litterarum de auiso forma refertur.*
9 *Litteræ cambij cum recursa declarantur.*
10 *Verba illa,* Pagarete à voi stesso, *quid significent, explicatur.*
11 *Litterarum campsoris ad suũ procuratorem in cambiorum recursa forma traditur.*
12 *Litteræ campsoris ad suum procuratorem in cambio cum recursa, declarantur: & quid significent verba illa,* ve rimetto à voi stesso, *explicatur.*
13 *Verba illa,* con stare per il credere, *quid denotent, aperitur.*
14 *Cambium cum recursa reprobãtes, referũtur.*
15 *Cambio cum recursa ibi pecunia data ad cãbium cum interesse reposcitur, vbi contractus fuerat celebratus.*
16 *Nemo potest esse eiusdem creditor, & fideiussor. vide num.*24. *&* 28.
17 *Campsor in contractu cambij cum recursa spondet pro campsuario.*
18 *Cambium reale per litteras exigit quatuor personarum concursum.*
19 *Cambium reale expostulat, vt campsuarius in loco destinatæ solutionis habeat pecuniã, vel creditum.*
20 *Recipere aliquid ratione designati procuratoris, an sit augere pretium cambij.*
21 *Cambium cum recursa liberè ad procuratorem campsoris, qui de sua pecunia, vel alterius accepta ad cambium, cambium ipsum soluat, est licitum.*
22 *Cambium cum recursa ad procuratorem cãpsoris, vt supra, vbique ferè celebratur, & in eo tota ferè Nummulariorũ ars consistit.*
23 *Cambium reale exigit, vt pecunia in loco ad cambium accepta, actu, ac re ipsa soluatur cambita in alio diuerso, ac distanti.*
24 *Emptio alicuius rei vera est, in qua venditor rogat amicum, vt soluat pretium rei emptæ pro emptore, & apud amicum est pro eodem fideiussor.*

25 *Campsuarius in cambio cum recursa non tenetur ad duplicem prouisionẽ, sed ad unam tantùm, diuidendam inter campsorem, & eius procuratorem.*

26 *Declaratio Greg. XIII. ad instãtiam Regni Siciliæ circa cambium cum recursa una cum supplicatione, & litteris ad Archiepiscopum* Panormitanum, *ad verbũ refertur.*

27 Recambium *ad locum celebrati contractus primi cambij ad instantiam, & in gratiam campsuarij, per nostram Extrauag. non damnatur.*

28 *Campsor, qui dedit cambio, non interuenit, vt fit fideiussor suo procuratori in cambio cum recursa.*

29 *Cambium cum recursa licet formaliter constet ex tribus personis; virtualiter tamen constat ex quatuor.*

30 *Vnus potest diuersas personas repræsentare.*

31 *Campsuarium habere creditum in loco solutionis facienda verè dicitur, cùm habet à quo cambium verè, ac realiter persoluatur.*

32 *Campsor non recipit tertiam partem sicuti in pretium cambij, sed tanquam stipendium iustè sibi debitum.*

33 *Campsor potest exhibere campsuario suum procuratorem, qui ex pecunia eiusdem procuratoris, vel alterius soluat cambium.*

34 *Cambium dicitur reale, etiam si soluatur in loco condicto pecunia credita.*

35 *Campsuarius quando in loco solutionis faciẽda dicatur habere creditum.*

36 *Cambium cum recursa ad procuratorem cãpsoris, qui soluat de pecunia propria, vel alterius, vt supra, est validum, etiam si pluries repetatur.*

37 *Cõtinuationes cambiorũ realium sunt licitæ.*

38 Cambium *cum recursa, vt supra est validum in vtroque foro.*

39 Cambium *cum recursa est validum non solùm si recursus habeatur ad correspondentem, seu procuratorem campsoris, sed etiam ad ipsũ cãpsorem, qui soluat sibi ex pecunia alterius ad cambium accepta, vel mutuata.*

40 Cambium *cum recursa ad procuratorem campsoris si fiat, vt procurator non possit recambire alibi, quàm in loco vbi vult ipse campsor, est illicitum.*

1 AD tituli explicationẽ, est adnot. quod vt colligitur ex ijs, quæ habentur ex Nauar. cõs. 31. lib. 5. de vsur. Azor. p. 3. Iust. moral. lib. 10. de cãb. c. 9. q. 5. Romoal. Col. c. 21. 22. & 31. Io. de Salas, eod. tract. c. 17. Scac. de cõmerc. & camb. §. 1. q. 5. num. 85. & latiùs §. 6. Glos. 1. Molfes. par. 2. suæ sum. tract. 12. c. 17. num. 45. cũ plur. seq. Filliuc. tom. 2. qq. moral. tract. 35. de cãb. cap. 8. per totũ, & ex alijs, recursa nihil aliud est, quàm susceptũ onus debitũ soluendi pro cãpsuario in nũdinis, aut in alijs condictis locis. Id autẽ fieri cõtingit dupliciter: primò immediatè per ipsos scilicet cãpsores, vel campsuarios: Secũdò mediatè, nẽpe per eorum procuratores, seu respõdẽtes. In hac igitur quæstione agemus de cãbio, in quo pro eius solutione recurritur ad procuratorẽ cãpsoris; nõ autẽ ad cãpsorem, seu campsuarium.

2 Secundò est adnot. quòd huiusmodi cãbium cum recursa appellatur etiam vulgò cambium, *con recapitare le lettere sopra il datore*. Item nominatur cambium, *con le contationi*. Dicitur quoque camb. ũ Bisuntinum; quia Besuntij primùm celebrari cæpit. Et denique vocatur cãbium Placẽtinum; quoniam ab aliquot annis cæptum est celebrari Placentiæ ob maiorem Ianuensium vtilitatem, vt habetur ex Ioan de Salas loco citato, & Filliuc. d. c. 8. quęst. 1. Et quamuis aliqui velint, cambium cum recursa in hoc differre à cambio, *con ricapitare, &c.* & à cãbio, *con le contationi*, quòd per primum cãbium non recurritur liberè, & per tertium soluuntur duæ prouisiones; nihilominus Scac. de commerc. & camb. §. 1. q. 6. sub num. 83. hanc distinctionem cambiorum meritò reiicit; sed cambium cum recursa idem esse ait cum aliis supra relatis cãbiis. Etenim solutio vnius, vel duplicis prouisionis non potest habere vim mutandi speciem cambii: & eo magis, quia mercatores damnant illam duplicem prouisionem, vt latè habetur ex eodem Scac. eod. tract. §. 3. Glos. 3. num. 15. & 17. Et similiter damnant cambium cum recursa, mediante obligatione, vt mox videbimus. Vndè meritò vna tantùm datur species cambii cum recursa, quæ eadem est cum aliis supradictis, vt rectè inquit Scac. d. q. 6. num. 83. versic. Sed tota hæc doctrina.

Tertiò est adnot. quòd liberè dicitur haberi recursus ad procuratorem campsoris, quando campsor ad instantiam campsuarii affi-

assignat illi dictum procuratorem, seu correspondentem, ad quem habeat recursum pro solutione litterarum: pro quo recursu solet campsor exigere à căpsuario tertiam partem aurei pro quolibet centenario tatione mercedis prædicti eius procuratoris, quæ à mercatoribus vulgariter appellatur, *la prouisione*. Dicitur quoque huiusmodi recursus liber, si campsor roget campsuarium non habentem creditum in loco solutionis cambij, vt recurrat ad suum procuratorem, ad hoc vt possit lucrari dictam prouisionem ratione recursus: siquidem in hoc cambio campsor dicitur spondere pro campsuario. Mediante verò pacto, seu obligatione ali-
4 qua, habetur iste recursus, quando campsor dat ad cambium campsuario, quem nouit non habere creditum in loco condictæ solutionis, cum hac obligatione, vt recurrat ad suum procuratorem pro solutione litterarum. Hæc autem solutio fieri contingit
5 quadrupliciter: nam vel fit de pecunia ipsius procuratoris: vel de pecunia accepta ad cambium à tertio per eundem procuratorem: vel de pecunia eiusdemmet campsoris: vel demum procurator pro solutione cambij vtitur credito remissæ spectante ad eundem campsorem, quod debet ipse campsuarius. De his omnibus, Deo duce, per proprias quæstiones agemus. Verùm in hac controuersia tractabimus de cambio dumtaxat, in quo liberè habetur recursus ad dictum procuratorem, qui cambium soluat de pecunia propria ipsius procuratoris, vel de aliena ad cambium accipienda.

Quartò est adnot. quòd praxis in hoc
6 cambio est, quæ sequitur. Etenim in eo, vt supra diximus concurrunt tres personę, nẽpe campsor căpsuarius, & procurator campsoris. Supponamus modò, quòd campsor vocetur Titius: campsarius Sempronius, & campsoris procurator Caius. Titius dat 1000. aureos Genuæ Sempronio per Placentiam. Dat inquam Sempronio Genuæ solid. 66. aureos, vt det illi in nundinis scutum vnum marcharum, quod in nundinis valet solid. 67. 4. Et quoniam aureus Genuæ valet 68. solid. hinc sequitur, quòd Titius dando 1000. aureos Genuæ ad cambium, quorum singuli æstimantur solid. 68. recipiet in nundinis scut. 1030. 6. marcharum. Sed quoniam Sempronius campsuarius non habet aliquem, qui pro eo solua litteras in nundinis, recurrit ad eundem Titium campsorem, qui offert ei Caium suum procuratorem, qui soluat pro ipso Sempronio de proprijs pecunijs ipsius procuratoris, vel alterius ad cambium recipiendis. Et sic Sempronius scribit litteras Caio procuratori dicti Titij campsoris, tenoris sequentis.

Al nobile Caio, in Piacenza.
1628. *à 9. di Ottobre, in Genua scuti* 1030. 6. *de marche.*
A pagamenti de fiera prossima de Santi pagarete per questa prima de cambio à voi medesimo scuti 1030. 6. *per la valuta hauuta qui nel*
7 *cartulario de cambij dal vostro Titio, e ponete à conto mio. A Dio.*
Vostro Sempronio.

IDem Sempronius campsuarius scribit deinde alias litteras, quæ dicuntur *de auiso*, sub hac forma.

Al nobile Caio.
Mag. & honorando. In questa fiera de Santi v'hò tratto in voi stesso scuti 1030. 6. *di marche,*
8 *quali vi piacerà compire, e con vostre spese proueder uene quà da me.*
Vostro Sempronio.

NOtandum est circa has litteras, quòd
9 Caius gerit duplicem personam: siquidem est procurator Titij, qui dedit ad cambium: & est procurator Sempronij, qui accepit: & propterea in dictis litteris cambij dicitur, *Pagarete à voi stesso*, nam eadem persona gerit vicem campsoris, & campsua-
10 rij: & illa verba, *Pagarete à voi stesso*, idem denotant, ac si dicerent, *Pigliate à cambio in mio nome da voi stesso, ò da altri detti scuti* 1030 6. *e con essi pagate à voi il cambio fatto à Genua, come procuratore de Titio: & questo secondo cambio trahetelo quà à me in Genua, che lo pagarò.*

Titius deinde, qui dedit ad cambium scribit alias litteras Caio suo procuratori, vt à seipso exigat, & per recambij remittat Genuam, vel ad alium locum: quæ litteræ sub hoc tenore scribi solent.

Al nobil Caio. Da Genua in Piacenza.
Mag. & honorando vi rimetto per mio conto, come vedete per l'inclusa de cambio in voi stesso 11 scuti 1030. 6. di marche: ne farete pagamento, e dedutte le vostre spese, mi rimetterete qui il resto, con stare per il credere. A Dio.
Il vostro Titio.

12 HAe litteræ declarantur quoad illa verba, *ve rimetto à voi stesso*, quòd Caius, vt supra diximus, gerit duplicem personã, debitoris, .s. & creditoris; ac propterea quatenus gerit personã debitoris, & sic cãpsuarij soluit; quatenus verò gerit personã creditoris, atq; ideò cãpsoris, exigit. Et ita Caius in hoc cãbio soluit pecuniã, & exigit illã à se ipso. Et quoniam ipse Titius vi dictarum litterarum non solùm vult recam-
13 bium, sed etiam assecurationem, idcircò in ipsis litteris addit, *con stare per il credere*. Vndè Caius tenetur Titio duplici contractu: altero tanquam procurator exigendum, & cambiendum: & altero tanquam assecurator, ita vt si accipiens ad cambium à Caio in nundinis non fiat soluendo, Caius ipse ratione assecurationis tenetur Titio, vt aliàs diximus.

Tunc Caius, receptis litteris, sibi soluit de sua pecunia, vel alterius, accipiendo ad cambium pro Sempronio, vt soluat Titio, vel alteri, à quo accipit. Ita in praxi celebratur hoc cambium. Quæritur modo, an sit licitum?

In hac re pugnantes extant opiniones.
14 Nam prima sententia est Sot. lib. 6. de iustit. & iur. quæst. 10. ar. 1. in fin. & q. 13. ar. 2. concl. 3. Gomitul. lib. 3. q. 15. & 16. Mercat. lib. 4. de contract. cap. 7. Molinæ eod. tract. disp. 404. Gasp. Roder. in suo tract. de ann. redit. q. 5. num. 7. & aliorum existimantium, huiusmodi cambium non esse licitum, quin potius siccum, & vsurarium, atque ideò non posse campsorem exhibere campsuario suum procuratorem, qui non ex pecunijs eiusdem campsoris; sed ex suis proprijs, vel alterius soluat pecuniam per cambium acceptam: & tantò minus exigere posse lucrum illud, idest tertiam partem aurei pro huiusmodi officio, seu mercede.

Probatur hæc sententia primò: quia per
15 huiusmodi cambium ibi pecunia data cambio reposcitur, vbi contractus fuerat celebratus: siquidem remittitur soluẽdum cambium Genuæ, vbi fuerat celebratum. vt patet ex supradictis litteris Titij campsoris dati ad Caium eiusdem procuratorem, in illis verbis, *mi rimettete qui il resto*. At vi nostræ Extrauag. in hoc §. huiusmodi cãbium expressè damnatur, tanquam siccum, & vsurarium, vt constat ex verbis supradictis, *Pecunia ibi denique cum interesse reposcitur, vbi contractus fuerat celebratus, &c.*

16 Secundò, nemo potest esse eiusdem creditor, & fideiussor: siquidem hæc duo officia exigunt duo supposita omnino distincta: ergo campsor non potest campsuario assignare suum procuratorem, vt ipsius campsuarij litteras soluat in condicto solutionis loco: aliàs campsor esset simul campsuarij creditor, & fideiussor nam procurator campsoris in fide ipsius campsoris soluit pro cãpsuario cambium, aliàs non soluturus: atque ideò campsor spondet pro campsuario,
17 iuxta ea, quæ habentur ex Filliuc. tom. 2. qq. moral. tract. 35. de camb. c. 8. in prin. & ex alijs.

18 Tertiò in cambio reali debent interuenire quatuor personæ; nempe campsor, & campsuarius in loco celebrati contractus: & amborum procuratores in condicto solutionis loco; sed in cambio, de quo agitur, tres tantùm personæ interueniunt: ergo cãbium non est reale; atque ideò illicitum. Minor patet. Probatur maior, quoniam in vero, ac reali cambio in loco celebrati contractus cõcurrunt campsor, & campsuarius, & sic duæ personæ distinctæ; quarum altera dat pecuniam cambio, & altera recipit: ergo duæ pariter personæ distinctæ debent interuenire in destinato solutionis loco, nempe procurator campsoris, qui eius nomine pecuniam cambitam recipiat, & procurator campsuarij, qui eam soluat: siquidem eadem ratio militat in vtroque casu, cùm vterque sit actus iustitiæ commutatiuæ, quæ non potest esse eiusdem ad semetipsum, sed vnius ad alterum.

19 Quartò ad verum, ac reale cambium exigitur, vt campsuarius in condicto solutionis loco habeat pecuniam, vel creditum, quod sit verè creditum ipsius campsuarij, vt supra ostẽdimus, q. 12. At in casu, de quo agitur, cãpsuarius nullum habet creditum,

quod

quod fit verè ipsius; sed creditum illud est
eiusdem campsoris, qui prius dedit pecu-
niam: ergo huiusmodi cambium non est ve-
rum, & reale, sed omnino illicitum. Minor
patet; quoniam procurator campsoris non
soluit in fide campsuarij; cuius fortè nec no-
mē quidem nouit, sed in fide eiusdem cam-
psoris, vt supra diximus.

Denique recipere aliquid ratione desi-
20 gnati procuratoris, est augere pretium cā-
bij, quod in foro soluitur: id autem est illici-
tum; ergo illicitum pariter est cambium, de
quo agitur. Maior patet; quoniam incremē-
tum illud percipit campsor vltra commune
pretium fori. Minor probatur, quia non est
licitum recipere ex cambio vltra pretium
in foro à mercatoribus præfinitum.

His tamen non obstantibus, in contra-
21 rium est communis opinio, quam tenent
Syl. in sum. ver. vsura, 4. q. 9. Nauar. in Man.
cap. 17. num. 299. Garz. de contract. par. 2.
cap. 14. Less. lib. 2. d. Iust. & iur. dub 7. Sa-
lon. q. 4. de camb. ar. 2. contr. 9. Azor. par. 3.
Instit. moral. lib. 10. de camb. cap. 9. q. 2. Sà
verb. cambium, num. 8. Ioan. de Salas, de
camb. dub. 17. num. 4. Romoal. Col. eodem
tract. cap. 22. Molfes. p. 2. suæ sum. tract. 12.
cap. 7. à num. 42. ad 53. Sigis. Scac. de com-
merc. & camb. §. 1. q. 5. num. 83. & seq. Bo-
nac. de contr. disp. 3. q. 5. pun. vnico, propos.
5. sub num. 11. cum alijs, quos allegat.

Probatur primò hæc sententia ex com-
22 muni Mercatorum, & campsorum praxi.
Etenim Nauar. cons. 31. vers. Inter omnia,
lib. 5. de vsur. & Bonins. de camb. c. 4. vers.
Così anco, circa fin. testantur, huiusmodi
cambium esse in frequenti vsu: & Salon. d.
q. 4. art. 2. contr. 12. num. 2. inquit, hoc ge-
nus cambij vbique terrarum, & ferè ab om-
nibus exerceri, præcipuè in Italia. Imò te-
stantur Azor. & Scac. locis citatis, in hoc
cambio versari totam ferè Nūmulariorum
artem. Vndè non est præsumendum, quòd
tale cambium adeò frequētatum inter om-
nes ferè Nationes, sit illicitum.

Secundò probatur ex eo quòd ad verū,
23 & reale cambium illud tantùm exigitur, vt
pecunia in vno loco ad cambium accepta,
actu, ac re ipsa cambita persoluatur in alio
diuerso, ac distanti: id autem verè, ac re ipsa
præstatur per campsoris procuratorem, seu
correspondalem modo supra explicato; er-
go tale cambium est verum, ac reale, atque
ideò licitum. Maior patet ex ijs, quæ adno-
tauimus supra ex Filliuc. tom. 2. qq. moral.
tract. 35. de censib. & camb. cap. 7. quæst. 3.
num. 410. Molf. p. 2. suæ sum. tract. 12. c. 7.
num. 39. & ex alijs. Probatur minor, quo-
niam vera est rei emptio, in qua venditor
rogat amicum, vt soluat pretium rei emptæ
24 pro emptore; & apud amicum est pro eo-
dem fideiussor: ergo idem dicendum est in
casu nostro, vt verum, ac reale sit cambium,
quamuis campsor constituat suum amicum,
seu procuratorem, qui pro campsuario sol-
uat: & pro tali beneficio eum posse à cam-
psuario incrementum aliquod percipere;
nempe tertiam partem aurei pro singulis
centum, sicut & procuratorem ipsum testa-
tur Salon. quem refert, & sequitur Ioan. de
Salas, loco citato, sub num. 6. conclus. 3. in
fin. & Romoald. Col. de camb. cap. 21. vbi
25 tamen dicunt, non ob id campsuarium te-
neri ad duplicem prouisionem; sed ad vnum
dumtaxat, diuidendam inter campsorem, &
eiusdem procuratorem: quoniam vnum, &
idem officium est campsoris, & procurato-
ris.

Tertiò probatur ex declaratione Roma-
26 ni Pontificis Greg. XIII. seu eiusdem Sa-
cræ Congregationis facta ad instātiam Re-
gni Siciliæ, cuius meminit Scac. de com-
merc. & camb. §. 6. Glos. 1. num. 43. versic.
Demum hæc opinio: P. Iustin. de contin.
camb. q. 7. sub num. 4. P. Molf. p. 2. suæ sum.
tract. 12. cap. 7. sub num. 48. & alii, & est te-
noris sequentis.

Beatissimo Patre.

Il Regno de Sicilia doppo la publicatione della
Bolla de Pio V. di santa memoria, fatta sopra
li cambij, hà fatto dubio se sia compreso il mo-
do, che hoggi se fà per tutto della mercantia
del cambio, nel seguente modo. Sempronio hà
bisogno per cose sue priuate de mille scuti d'oro
in oro: & perche pensa, che li sia di minore in-
teresse prendergli à cambio, che trouarli per
qualsiuoglia altro modo, li prende à cambio
per la fiera di Leone, ò Bezansone secondo che
mercantilmente corre la moneta per la piaz-
za, e se suol cambiare. Il detto Sempronio non
hà in Leone, ò Bezansone danari suoi effettiui
per

per pagare detto cambio;ma paga in questo se-
guente modo, che il proprio mercante, che gli
dona à cambio li sudetti scudi mille d'oro gli
fà cortesia, che Pietro suo amico, e correspondē-
te in fiera accetti il cambio, e lo paghi: & poi
secondo vsano li mercanti, con le prouegioni
torna à mandare per cambio à pagare il mer-
cante datore, ò ad altri, come gli accommoda li
sudetti scudi mille per conto di Sempronio, il
quale paga detto cambio secondo viene dalla
fiera: & il dubio è stato, se questo cambio è
compreso in essa Bolla: perche ne il datore dona
li suoi danari per bisogno principale, ch'habbia
per scambiare per hauerli in esso luogo de Leo-
ne, ò Benzansone; ma lo fà per guadagnare, e
troua questa via de mercantia chiamata cam-
bio: ne manco Sempronio venditore hà danari
in fiera per pagare il cambio, saluo che l'hà nel
modo sopradetto, ch'il datore gli accommoda
del suo corrispondente, & amico; il quale accet-
ta la lettera del cambio, e la compisce, & al ri-
torno de fiera viene la tratta del cambio, e Sē-
pronio paga quel che deue. Et perciò se supplica
Vostra Santità, che se degni dichiarare, se la
Bolla de Pio V. comprehende detta sorte de
cambio.

Ad dictas litteras ita respondet Sacra Congregatio.

Reuerendissimo Domino Archiepiscopo
Panormitano vti fratri.

Reuerendissime Domine ijs, quæ Serenissimi Regis Philippi Catholici Regni Siciliæ vltra Pharum nomine nobis ex auctoritate Sanctissimi Domini Nostri Congregatis, proposuisti, re ad S.D.N. delata, quod eiusdem decreto, & auctoritate respondere censuimus, ex adnotatis post singulas propositiones, quæ cum his litteris ad te mittuntur, amplitudo tua cognoscet. Cui prosperam valitudinem, & omnia prospera optamus. Datum Romæ 27. Aprilis, 1574.

Tuæ amplitudini vti Fratres.
Marcus Antonius Cardin. Boba.
Marcus Antonius Cardin. Maffeus.
Frater Vincentius Cardinalis Iustinianus.

Congregatio S.D.N. censuit, huiusmodi cambium litteris Pij V. felicis recordationis minimè cōprehendi.

Cùm igitur Sacra Congregatio declarauerit, cambium de quo agitur, non comprehendi sub dispositione nostræ Extrauag. citra omnem controuersiam concludendum est, illud esse legitimum, verum, ac reale: aliàs sub prohibitione nostræ Extrauag. comprehenderetur, in qua damnantur cambia ficta, & vsuraria declarantur.

Denique probatur hæc sententia ex so-
27 lutione argumentorum. Etenim ad primum
respondetur negando antecedens. Non
enim primum cambium repescitur in loco
celebrati contractus; sed pecunia recambij,
seu secundi cambij, ex mera voluntate, & in
gratiam ipsius campsuarij, & citra omnem
obligationem celebrati: id autem per no-
stram Extrauag. non damnatur, vt infra mè-
lius declarabimus, limit. vnica.

Ad secundum dicitur, quòd nullum est
28 inconueniens, vt campsor, qui cambio pe-
cuniam dedit, offerat se ipsum fideiussorem
procuratori suo existenti in condicto loco
solutionis: sed esset figmentum, si campsor
offerat se fideiussorem sibi ipsi, cùm nemo
sibi ipsi debitor, vel fideiussor constitui
possit. In cambio autem, de quo agitur, cā-
psor constituit se ipsum in fideiussorem pe-
cuniæ, quam procurator ipsius soluet in
nundinis pro campsuario.

Ad tertium negatur minor, quoniam li-
29 cèt in hoc cambio tres tantùm personæ
realiter concurrant; virtualiter tamen con-
currūt quatuor: siquidem procurator cam-
psoris gerit in nundinis duplicem personam,
campsoris scilicet, & campsuarij: quoniam
non est nouum in iure, vt diuersis respecti-
30 bus possit vnus diuersas repræsentare per-
sonas, vt est tex. in l. singularia, ff. si cert. pe-
tat. l. in tribus, ff. de iudic. c. ex litteris, & ibi
Doctor. de probat. & in specie quòd possit
aliquis à se ipso exigere, habetur in l. qui si-
ne, ff. de negot. gest. ibi, *Quod à semetipso
exigere cùm oportuit*, l. negotia, vbi Glos. ff.
mand. cum alijs cumulatis à Molf. par. 2. suæ
sum. tract. 12. cap. 7. sub num. 51. Vndè si-
cut in hoc cambio in loco celebrati contra-
ctus concurrunt duæ personæ; nempe cam-
psor, qui dat pecuniam ad cambium, & cā-
psuarius, qui eam recipit; ita etiam in nun-
dinis, & in condicto loco solutionis duæ
censentur interuenire personæ; nempe tàm
campsoris, quàm campsuarij procuratores:
nā vnus, & idem procurator quatenus agit
partes campsoris ascribendo ei pecuniam
illam

illam in libro suarū rationum, constituitque se ipsum in eo debitorem illius pecuniæ, cuius simul facit campsore ipsum creditorem, proculdubio dicitur verè campsoris procurator. Et dum idem procurator soluit pro campsuario, subit pro eo onus, eidemque famulatum præstat; verè agit partes illius; atque ideò verè dici potest eiusdem procurator, stipendiumque tàm à cāpsore, quàm à cāpsuario nō immeritò exigit, vt habetur ex Ioanne de Salas de camb. dub. 17. in fin. & Bonac. de contr. disp. 3. q. 5. pun. vnico, proposit. 5. sub num. 11. vers. Verum: cum alijs, quos allegant.

Ad quartū negatur quoque minor: nam
31 campsuarius in hoc cambio dicitur verè habere creditum in condicto solutionis faciendæ loco, cùm habeat à quo cambium illud verè, ac realiter persoluatur: quemadmodum verè creditum diceretur habere, si litteris ab alio mercatore subscriptis, cambium illud celebraretur: siquidem habere creditum in loco solutionis nihil aliud denotat, quàm habere ibi aliquem, à quo solutio illa verè fiat; siue illud habeat campsuarius per se ipsum, siue per subscriptionem, & epistolam alterius mercatoris, siue opera, & interuentu ipsius campsoris, cum quo cambium exercet.

Ad vltimum negatur maior; quoniam
32 incrementum illud, nempe tertia pars scuti pro singulis centum, non percipitur à campsore in pretium cambij; sed tanquam stipēdium iustè debitum officio, quod ipse campsor in hoc casu præstat ipsi campsuario, exhibens illi procuratorem, à quo fiat debita solutio: quod officium pretio æstimabile est, & illo dignum.

Vndè his sic stantibus, firma remanet
33 conclusio, quòd licitum est campsori exhibere campsuario suum procuratorem, qui ex pecunia eiusdem procuratoris, vel alterius soluat pecuniam per cambium acceptam.

Ampliatur primò hæc conclusio, vt cam-
34 bium huiusmodi sit reale non solùm quando à procuratore, seu correspondente perficitur pecunia numerata; sed etiam cum pecunia debita, & credita: nam si secum deferret Diuersorum pecunias, posset realiter nomine illorum recipere credita eorum; ita efficere potest reali commutatione, quæ nō solùm talis est, cùm perficitur pecunia numerata, sed etiam cum pecunia debita, vt rectè declarat Filliuc. tom. 2. qq. moral. tract. 35. de cāb. c. 8 q. 4. & Bonac. de cōtr. disp. 3. pun. vnico, sub num. 11. vers. Ratio.

Secundò, ampliatur eadem conclusio, vt
35 dictum cambium sit licitum; etiam si campsor probabiliter sciat, campsuarium non esse soluturum cambium in loco destinatæ solutionis, nisi per aliam pecuniā ibi ad cambium recipiendam: siquidem eo casu campsuarius dicitur virtualiter habere pecuniā in loco, in quo facienda est cambij solutio, & campsor verè commutat suam præsentem cum absente. Ita Syl. in sum ver. vsura, 4. q. 4. Azor. p. 3. Instit. moral. lib. 10. de camb. cap. 11. q. 6. Rebel. p. 2. de obligat. iust. lib. 11. q. 4. sec. 6. Bonac. de contr. disp. 3. q. 5. pun. vnico, propos. 5. num. 12.

Tertiò ampliatur ipsa conclusio, vt præ-
36 dictum cambium sit reale, ac licitum, non solùm si semel fiat; verum etiam si pluries reperatur, & continuetur; nam si semel fieri licèt non potest assignari ratio, cur non possit fieri pluries, & continuari, atque ideò licitæ sunt continuationes cambiorum hu-
37 iusmodi, vt infra, Deo duce, latius explicabimus, q. 42. vbi ad verbum referemus non nulla decreta circa materiam cambiorum nouissimè lata per Sacrā Congregationem Eminētissimorum Virorum, quos ad id specialiter deputauit S. D. N. D. Vrban. Papa VIII. & inter alia circa cōtinuationes cambiorum adest illud tenoris sequentis, *Die quarta Iunij 1627. in eadem Cōgregatione diligenter perpenso tertio casu, Domini dixerūt, tertium casum, qui dicitur cambium continuatum, subsistere si Romæ, & Massa vera fiat solutio ex legitimo mandato* Didaci ab *habentibus vndè soluant ex proprijs, vel alienis pecunijs, quæ nō sint creditoris, cui fit solutio secundum eandem rationem banchariam permanentem; ita tamen vt continuatio semper permaneat libera, iuxta constitutionem felicis recordationis Pij Papæ V. in reliquis etiam omnibus seruandam*. Ex quo decreto clarè colligitur iustitia præsentis cambij, & eiusdem continuationis.

Quartò ampliatur dicta conclusio, vt lo-
38 cum habeat tàm quoad forum interius, quàm

quàm quoad forum exterius. Etenim prędictum cambium nullo iure prohibetur, vt patet ex dictis.

Sic ampliata limitatur prędicta conclu-
39 sio, vt vera sit, dummodo cambium, de quo
agitur, non fiat sub conditione, quòd procu-
40 rator campsoris nō possit recambiare alibi,
quàm in loco, vbi vult ipse campsor, qui
dedit ad cambium: siquidem videtur illici-
tū, cùm ex tali obligatione clarè colligatur
intentio recipiendi cambium in loco cele-
brati contractus, & nō in nundinis; quamuis
litteræ mittantur, & quasi per nouum cam-
bium remittantur pecuniæ soluendæ, vbi
fuerunt datæ ad cambium, vt videtur velle
Ioan. Bapt. Lup. in cap. nauiganti, de vsur.
com. 3. §. 2. num. 65. & Azor. p. 3. Instit. mo-
ral. lib. 10. cap. 9. q. penul. Hinc non rectè
contraheret campsor, qui dat Genuæ ad
cambium cum recursa ad procuratorem
suū Placentiæ, vbi facienda est solutio, cum
obligatione: vt Genuā remittat pecuniam,
& non aliò. Idem dicendum esse, ait Scac.
de commerc. & camb. §. 1. q. 7. p. 3. limit.
15. vbi campsor obligat campsuarium ad
recambiendum pro aliquo foro: vel scribe-
ret ad suum procuratorem, vt remitteret
cambium cum lucro ad locum celebrati
contractus; quamuis contrarium videatur
sentire Bonac. de contract. disp. 3 q. 5. pun.
vnico, propos. 5. num. 8. cuius sententia no-
bis videtur verior, quando id fieret, nulla
prę campsuarij obligatione, nec eo inuito.

De cambio cum recursa, mediante campsuarij obligatione, ad procuratorem campsoris, an sit licitum Q. XLI.

SVMMARIVM.

1 *Cambium cum recursa ad procuratorem dupliciter fieri contingit, liberè scilicet, & mediante obligatione.*

2 *Cambium cum recursa ad procuratorem campsoris, mediante obligatione, est illicitum.*

3 *Obligatio ad habendum recursum ad procuratorem campsoris pro solutione cambij cur sit illicita, declaratur.*

4 *Mutuanti non est licitum obligare mutuatarium ad celebrandum cum eo contractum assecurationis rei mutuatæ.*

5 *Obligatio, qua campsuarius obligatur ad recambiendum pro aliquo loco, est iniusta.*

6 *Obligatio, qua obligatur campsuarius ad recambiendum per locum celebrati contractus reddit cambium vsurarium.*

7 *Cambiū per litteras, ex quo recipitur lucrum propter distantiam temporis, non autem loci, est siccum.*

8 *Obligatio, qua obligatur campsuarius ad recurrendum ad procuratorem campsoris pro solutione cambij, licèt sit iniustum; non tamen est vsurarium.*

9 *Cambium ex pretij iniustitia non redditur vsurarium.*

10 *Vsurarius non potest dici contractus, in quo non interueniat mutuum explicitum, vel implicitum.*

11 *Obligatio, qua obligatur campsuarius ad recurrendum ad procuratorem campsoris pro solutione cambij, potest esse iusta, si ratione ipsius minuatur pretium cambij.*

12 *Obligatio, qua obligatur campsor non habens procuratorem in loco solutionis cambij, ad recurrendum ad procuratorem campsuarij, qui pro eo exigat cambium, non est iniusta, sed licita.*

1 Diximus superiori quæstione, not. 3. quòd cambium cum recursa ad procuratorem, seu correspondentem campsoris dupliciter fieri contingit: primò libere, & citra obligationem aliquam, vt quando campsor ad instantiam campsuarij assignat illi dictum procuratorem, seu correspondētem: Secundò mediante obligatione, vt cùm campsor dat ad cambium campsuario, quem scit non habere nec pecuniam, nec creditum in loco destinatæ solutionis, cum pacto, ac obligatione, vt recurrat ad suum procuratorem pro solutione litterarum. Cōclusimus licitè celebrari posse primum cambium, in quo libere recurritur. Et quoniam poterat dubitari de secundo, in quo habetur recursus ad procuratorem campsoris, mediante obligatione; idcirco de hac re hoc loco duximus discutiendum.

Breuiter igitur ad prędictā quæstionem re-

2 respondentes dicimus, cambium, de quo quæritur, esse illicitum. Hæc conclusio est communis: siquidem eam docent Sot. lib. 6. de iust.& iur.q.13.art.1.concl.3.Nauar. cons.31.lib.5.de vsur.Salon. de camb.q.4. ar.2.contr.11.in fin.Less.lib.2 de iustitia,& iur.cap.23.sub num. 62. Azor. p.3. Instit. moral.lib.10.de camb.cap.9.q.5. Romoal. Col.eod.tract.cap.21.in fin.Scac. de commer.& cãb.§.1.q.7.p.3.limit.15. sub num. 1.& §.9.num.10.& alii. Ratio autem huius conclusionis hęc est;quia dum campsor dat cambio obligando campsuarium ad recurrendum pro solutione cambii ad suum procuratorem, seu correspondalem, aliàs non daturus ad cambium, talis obligatio est pręter naturam contractus cambii: siquidem
3 campsuarius non potest ad aliud compelli, nisi ad solutionem cambii in loco destinatæ solutionis:ergo obligatio ista ad habendum recursum ad suum procuratorem pro solutione cambii,est iniusta. Confirmatur; quia
4 non est licitum mutuanti obligare mutuatarium ad celebrandũ cum eo contractum assecurationis rei mutuatæ, estò quòd illo indigeat,vt in c.nauiganti,de vsur.ergo neque in cambio licitum est obligare campsuarium indigentẽ aliquo, ad quẽ habeat recursum pro solutione cambii, vt recipiat illum ab ipsomet campsore trahente pecuniam;sed reliquendus est liber, vt procuratorem, aut creditum recipiat à quocunque alio.

Ampliatur hęc ipsa conclusio, vt nõ so-
5 lùm iniusta sit obligatio, qua campsuarius obligatur ad recurrendũ ad procuratorem campsoris pro solutione cambii in loco destinatæ solutionis; verùm etiam iniusta sit obligatio, qua campsuarius obligatur ad recambiendum pro aliquo foro: siquidem huiusmodi obligatio est etiã supra naturam contractus cambii,vt supra diximus, & habetur ex Scac.de cõmerc.& camb.§.1.q.7. p.3. limit.15. num.3. & §.9.sub num.10.

Secundò ampliatur, vt iniusta quoque
6 sit obligatio,qua obligatur campsuarius ad scribendum ad suum procuratorem, seu correspondalem, vt suis litteris remitteret ex nundinis cambium vna cum lucro ad ipsum campsorem in loco celebrati contractus: siquidem huiusmodi obligatio non solum redderet cambium illicitum ratione talis oneris,quod est supra naturam contractus;sed etiam redderet contractum ipsum cambij vsurarium: nam ex tali obligatione manifestè colligitur,quod campsor non habeat animum cambiendi; sed animum mu-
7 tuandi,& accipiendi ex eo lucrum non propter distantiam loci; sed propter distantiam temporis: quod est vsurarium iuxta ea, quæ supra adnotauimus, & habetur ex Azor.d. q.5.vers. Quæres an Titius:& Scac.loco citato, num.4. & num.7. vers. Secus in cambio,& infra latius, Deo duce dicemus,q.

Sic ampliata limitatur dicta conclusio,
8 vt quamuis obligatio de qua agitur sit iniusta;nõ tamen reddit contractum vsurarium: siquidem cambium ex pretij iniustitia non
9 redditur vsurarium; imò nec nullum,nisi deceptio sit vltra dimidiũ iusti pretij, vt rectè declarat idem Scac.eod.tract.§.1.q.7.p.2. ampl.10. per totam, & d.limit.15.num.7. vbi id ampliat in omnibus, oneribus, quæ vim habent augendi pretium cambij: quia vbi in aliquo contractu non concurrit mu-
10 tuum explicitum,vel implicitum,nunquam talis contractus dici potest vsurarius; & si dici pssit illicitus,ac iniustus, cùm vsura nihil aliud sit, quàm lucrum ex mutuo, idest pretium vsus rei mutuatæ,vt habetur ex Panor.& alijs in rub.de vsur.& in c.consuluit, eod.tit.

Secundò limitatur eadem conclusio, vt
11 si ratione talis obligationis minuatur pretium cambij ad arbitriũ boni viri,cambium non solùm nõ sit vsurarium;sed nec quidem iniustum,sed iustum,ac rationabile.Etenim non alia ratione obligatio, de qua agitur redderet cambium illicitum nisi;quia ratione talis oneris campsor perciperet ex eo lucrum immoderatum, & vltra commune pretium fori, quod quidem tale non esset, cum ratione talis obligationis ad arbitrium boni viri minueretur pretium cambij, ita vt ad iustitiam reducatur,vt habetur ex Azor. d.q.5.vers. Quęritur itaque, & ex Scac. d. lim.75.sub num.2.qui etiam ait,num.5.cõtra Nauar. & Azor prędictã obligationem posse reddere contractum cambij illicitum, etiam si ratione talis obligationis campsor remitteret cãpsuario octauam partem pretii cambii. Quibus adde quę habentur ex

Fil-

Filliuc. tom. 2. qq. tr. 35. p. 2. de camb. c. 8. sub num. 443.

Tertiò limitatur hæc ipsa conclusio, vt
12 quamuis huiusmodi obligatio recurrendi ad procuratorem campsoris pro solutione cambii sit iniusta; non tamen talis esset, si campsuarius obligaret campsorem non habentem procuratorem in nundinis, vbi facienda sit cambii solutio, vt recurreret ad procuratorem ipsius campsuarii, qui pro eo exigat cambium; dummodo lucrum cambii sit campsuarii. Etenim is, qui ex cambio lucrum percipit æquiparatur mutuāti, & ideò sicut mutuum, in quo mutuator obligatur ad aliquod onus non est vsurarium; ita etiā non est cambiū iniquum, si onus passiuè sit ex parte eius, qui lucratur ex cambio: nam licèt campsuarius in pretio cambii lędi non possit; potest tamen in eo lędi campsor. Sic etiam dicimus de contractu census, vt quāuis venditor census in pensione soluenda grauari non valeat; potest nihilominus grauari eiusdem Dominus, vt rectè explicat idem Scac. de commerc. & camb. §. 1. q. 7. p. 2. ampl. 10. num. 68. & 69. Dixi. *Dummodo lucrum cambij sit campsuarij.* quoniam secus esset si foret campsoris, atque ideò eius, qui dat cambio: & in hoc casu veram esse sententiam Azor. inquit ipse Scac. d. limit. 15. sub num. 6. in fine.

De cambio cum recursa ad campsoris procuratorem, qui non habeat nec pecuniam, nec creditum aliud, nisi remissæ, à campsuario debitum, & ad eundem campsorem pertinens, an sit licitum. Q. XLII.

SVMMARIVM.

1 *Cambij cum recursa ad campsoris procuratorem, qui non habet nec pecuniam, nec creditum aliud, nisi remissa à campsuario debitum, & ad eundem campsorem pertinens forma exposita à Serenissima Rep. Genuen. ad S. D. N. D. Vrban. PP. VIII. ad verbū refertur.*

2 *Cambij cum interesse limitato forma, à Rep. Genuen. exposita ad S. D. N. D. Vrban. PP. VIII.*

3 *Cambiorum continuationum forma à Rep. Genuen. delata ad S. D. N. D. Vrban. PP. VIII.*

4 *Cambium cum recursa ad procuratorē campsoris, qui non habet nisi creditum remissę à campsuario debitum, & ad ipsum campsorem pertinens, per Sacrā Congregationem à S. D. N. D. Vrban. PP. VIII. ad id specialiter deputatam fuit declaratum non subsistere.*

5 *Cambium cum interesse limitato, cum imitatur cābio cum recursa ad procuratorem campsoris, non habentem nisi creditum remissę, per eandem Sacrā Congregationem fuit declaratum non subsistere.*

6 *Continuationes cābiorum subsistere, si cambia, quæ continuantur subsistant, per Sacrā Congregationem fuit definitum.*

7 *Cambij cum recursa quartus casus propositus per Serenissimam Remp. Genuen.*

8 *Cambij cū recursa casum quarto loco à Rep. Genuen. propositum tanquam nouum, non receaere à primo, & ideò non subsistere, fuit per Sacram Congregationem determinatum.*

9 *Cambij cum recursa quintus casus à Rep. Genuen. vltimo loco propositus refertur, in quo recurritur ad Tertium, personam distinctam negotij, & crediti ab eo, qui dedit cambio, & interesse limitatur: & alia adduntur circumstantia.*

10 *Cambium cum recursa quinto, & vltimo loco per Rep. Genuen. propositum, fuit per Sacram Congregationem declaratum validum, & nihil in eo, & eiusdem circumstantiis, contineri, quo minus licitè practicari possit.*

11 *Ad Romanum Pontificem non solùm dare formam contractibus; sed etiam eos licitos, aut illicitos iudicare.*

12 *Cambium, in quo recurritur ad campsorē, vt de propria pecunia, aut ex credito remissa soluat cambium in loco determinatæ solutionis, est siccum.*

13 *Creditum remissæ spectans ad campsorem, est pecunia campsoris.*

14 *Cambium cum recursa cum interesse limitato ita demum est inualidum, si cambium ipsum*

sum non sit reale; secus autem si reale sit, ac licitum, quoniam non solùm validum esset cambium, sed etiam iustum esset eiusdem interesse limitatum.

15 *In contractibus ab initio permissa est certa, ac determinata fructuū seu interesse taxatio, dummodò sit probabilis, & contrahentes æquali se exponant periculo.*

16 *Cambij interesse limitatum, cur debeatur, ratio redditur.*

17 *Pecunia ex sui natura non est fructifera.*

18 *Cambium cum interesse limitato non probibetur vi nostra Extrauag.*

19 *Cambium cum interesse limitato expressè approbatur ex decisione quinti casus per Sac. Congregationem facta, quando cambium est reale.*

20 *Continuationes cambiorum licita sunt, si cambia sint realia: secus autem si cambia sint sicca.*

21 *Cambium primum per continuationem cambiorū nō soluitur in loco celebrati cōtractus.*

22 *Pactum de recambio in principio contractus cābij nō valet, nisi in casu cambij nō soluti.*

23 *Continuationes cambiorum impugnantes mouentur ex falsa facti intelligentia.*

24 *Interesse interesse cur non soluatur in continuationibus cambiorum, ostenditur.*

25 *Interesse conuerti in capitale non inconuenit in continuationibus cambiorum.*

26 *Census quamuis vi Extrauag. Pij V. non possit augeri nec de nouo creari ex pensionibus preteritis; id tamen de iure communi non est prohibitum.*

27 *Cambiorum cōtinuationes quoad fieri potest vitandas esse, omnes Doctores clamant.*

28 *Cambia in 1. 4. & 5. casibus in multis conueniunt, & in multis differunt.*

29 *Cambia 1. & 4. casuū, cur non subsistant, & cambiū quinti casus subsistat, explicatur.*

1 HOc cambium cùm fuerit in vsu apud non nullas nationes; & de eius iustitia maxima inter Doctores sit controuersia, per Serenissimam Remp. Ianuen. pro eo, & quatuor alijs determinandis S. D. N. D. Vrbano Papæ VIII. fuit supplicatū: qui quidē Sanctissimus Septem doctissimorū virorum Cōgregationem instituit, quorum determinationes, & casuum propositorum tenores sunt, qui sequuntur.

Hauendo l'anni passati sentito i Serenissimi Collegi le molte cōtrouersie, che se faceuano intorno la materia de cambij, anche fra persone Religiose, e di bontà, e dottrina; le quali in voce, & in scritto, & per mezzo della stampa ne parlauano diuersissimamente. E conoscendo l'importanza del negotio per trattarsi particularmente del seruitio de Dio, e della quiete delle conscienze in vn genere di negotiatione tanto vsitato nella Città, hebbero perciò per bene per mezzo de persone attissime far proporre alla Santità di Nostro Signore Papa Vrbano Ottauo li casi infrascritti, il quale anche con il mezzo d'vna Congregatione de Prelati, e persone Religiose doppò lungo essame, hauendo fatte le risolutioni di essi casi come in appresso, perciò li prefati Serenissimi Collegi affinche le predette cose venghino à notitia di tutti, e ciascuno possa regolarsi nella celebratione de contratti, e cambi conforme la dottrina infallibile della Santa Chiesa Cattolica Apostolica Romana, han cōmandato, che sian detti ordini dati publicamente alla stampa. Date in Palazzo adì 27. di Decembre 1631.

E li casi sono come in appresso.

Dante in Massa fiera di Pasqua dà à cābio à Pietro scuti 1000. per Milano con la ricorsa ad esso Dante, cioè, che l'istesso Dante habbia pensiero di far compire in Milano le lettere de Pietro à suo tempo, e ch' il debito sia de nouo tratto nella seguente fiera d'Agosto.

Pietro riceuuti in fiera li scuti 1000. fa le lettere dirette à Dante in Milano del tenor seguente.

1625. *à 3. di Maggio in Massa scuti 1000. à soldi 150. per scuto.*

Alli 25. del presente mese pagate per questa prima di cābio à voi stesso sc. 1000. à sol. 150. per scuto, valuta del vostro Dante di qui, e ponete à mio cōto, valēdoui del mancamēto nella prossima d'Agosto al cōto, che sarà posto. A Dio.

Pietro à Dante in Milano.

Dāte māda la sudetta lettera in Milano ad vn suo amico, ò agente, il quale in virtù de detto ordine, che gli da con sua lettera, ò procura, rappresenta la sua medesima persona, tanto per cōpire la lettera de Pietro diretta ad esso Dāte, quanto per riscuotere egli stesso da se medesimo li scuti 1000. che hà da hauere in virtù di essa lettera.

E per che il detto Agente nō ha altri danari, ne credito da pigliarli à cambio in Piazza per pagare à se stesso, si serue del credito della rimessa, spettante al medesimo Dante.

Venuto il termine del pagamẽto, l'Agẽte, che rappresenta la persona de Dãte, forma la scrittura, e fà debitore Pietro de fiera de lire 7500. valuta di scuti 1000. e creditore di essi Dante sudetto.

Poi estingue il cõto de Pietro, cõ farli tratta nella seguẽte fiera d'Agosto di scuti 1020. cãbiati à 147. che vagliono le medesime lire 7500. e ne dà debito à Dãte, al quale li rimette per lettera de cambio del tenor seguente.

1625. à 28. *di Maggio in Milano scuti 1020. di marche.*

A pagamenti prossimi de fiera d'Agosto pagate per questa prima di cambio al mio Dante scuti 1020 di marche in me cãbiati, e sono cõtra li scuti 1000. trattimi dalla passata di Pasqua, e ponete à conto vostro. A Dio.

Dante à Pietro in Massa fiera d'Agosto.

Cambio con interesse limitato.

Sopra il cãbio sodetto senza variare forma,
2 *ne sostãza s'è introdotto di assicurare cõ nuouo contratto, ò sia limitare l'interesse; cioè, che da vna fiera all'altra, nõ possa il dãno eccedere vn cẽto per cẽto, che s'accorda più, ò meno secondo l'abbũdanza, ò carestia del danaro; cõ cõditione però, che se il cambio respondesse meno, sia solamente quello, che haurà risposto.*

Forma della continuatione de debiti.

Diego *residẽte in Madrid dà sue lettere di*
3 *cãbio dirette ad Emilio in Massa fiera d'Agosto di scuti 10000. di marche, ordina, che li paghi, e li pigli à cãbio à suo dãno per Lione, ò altra Piazza, e che da essa se faccia Emilio di nuouo trare il debito in fiera de Sãti seguente, nella quale* Diego *prouederà l'estintione del capitale, spese, & interessi.*

Emilio in fiera paga li scuti 10000. e nel suo scartafaccio, ò sia libro ne fà debitore Diego cõ più scuti 33. per la prouisione, e trouãdosi esso Emilio cõ auãzo, nõ piglia altrimẽte à cãbio da terze persone, ma seruendosi del suo proprio fà tratta in Roma à Romolo di sc. 10033. à scuti 99. di stãpe per ogni scuti 100. di marche, assignando à se stesso la rimessa, e scriue gli ordini seguenti.

1625. à 4. *d'Agosto in Massa scuti* 10033.

Alli 25. d'Agosto pagate per questa prima de cãbio à voi stesso scu. 10033. à 99. per cẽto di stãpe in me cõti, e ponete come per lo spaccio.

Emilio à Romolo à Roma.

Ordine, ò sia spaccio di Emilio.

Da questa fiera d'Agosto vi hò tratto scuti 10033. à 99. per cẽto in voi stesso in me cõti, al suo tẽpo ne passarete la scrittura, cõ fare debitore Diego di Madrid sopra di me, e di quãto vi mãcherà, vi prouederete dalla prossima fiera de Santi da me stesso, & in mio conto corrente mi darete credito della rimessa di essi scu. 10033. rimettendomi parimente il mio auanzo in detta fiera de Santi.

Venuto il termine, Romolo cõforme l'ordine di Emilio *fa debitore Diego della valuta delli scuti 10033. di marche, e creditore il medesimo Emilio, e per agiustare tãto il debito, quãto il credito nella seguẽte de Santi fà la lettera di sc. 10235. di marche à 97. di stampe per ogni 100. di marche nel modo seguente.*

1625. à 28. *d'Agosto, in Roma scuti* 10235.
de marche.

In pagamẽti de fiera prossima de Sãti, pagate per questa prima di cambio à voi stesso scuti 10235. di marche in me conti, e ponete come per lo spaccio.

Romolo ad Emilio, in Massa fiera de Santi.

Spaccio di Romolo di Roma ad Emilio in Massa fiera de Santi.

In risposta del vostro spaccio di fiera d'Agosto passata dico d'hauer pagato li sc. 10033. di marche trattimi in me stesso, e datone debito à Diego de Madrid sopra di voi in scut. 9931. stãpe, e credito all'incontro delli medesimi scuti 10235. trattimi in quella de Sãti, conti à 97. per cẽto, & in vostro corrẽte v'hò dato credito di scuti 9931. stãpe, valuta delli sudetti scuti 10235. rimessimi da quella d'Agosto da me stesso, & estintone il cõto cõ la rimessa, che vi hò fatta nella prossima fiera de Santi da voi stesso per mia lettera, che à suo tempo compirete, e Nostro Sig. vi guardi.

In fiera de Sãti in Massa Emilio fà debitore Diego *delli sc. 10235. e se nõ li viene da esso Diego proueduto il debito, di nuouo torna à valersene sotto l'istessa forma, e cõtinua nel medesimo modo per più fiere, finche realmente* Diego *faccia la prouisione al suo debito.*

Die Sabbati, 3. *Octobris*, 1626.

In Congregatione habita de spetiali man-
4 *dato S.D.N.D. Vrbani Papa VIII. maturè considerato primo casu exposito, Dom. ni censuerunt non subsistere.*

Die 18. *Nouẽbris* 1626. *in eadẽ* Cõgrega-
5 *tione, discusso secundo casu, Domini pariter censuerunt, non subsistere, cùm imitatur primo.*

Die

Die quarta Iunij 1627. in eadem Congre-
6 *gatione diligenter perpenso tertio casu, Domini dixerunt tertiũ casum, qui dicitur cãbium cõtinuatũ subsistere, si Roma, & Massa vera fiat solutio ex legitimo mãdato* Didaci *ab habẽtibus vnde soluant ex proprijs, vel alienis pecunijs, quæ nõ sint creditoris, cui fit solutio secundũ eandẽ rationem banchariã permanentẽ; ita tamen vt cõtinuatio semper permaneat libera iuxta constitutionem felicis recordationis Pij Papæ V. in reliquis etiã omnibus seruandã. Nõ verò subsistere dũ cãbia, quæ cõtinuantur, fiũt secundum modum in primo casu propositum.*

Die Sabbati 17. Iunij 1627. R.P.D. Ioan. Baptista Coccinus *Sac. Rotæ* Decanus, *& R. P. Fr.* Hippolitus *Maria* Lancius *retulerunt, S.D.N.D. Vrbanũ Papã VIII. perlegisse hesterna die suprascriptas Theologorum sententias in materia cambiorum, easque approbasse, & ita seruari mandasse.*

Copia. Io. Baptista Coccinus *Rotæ* Decanus.

Fr. Hippolitus Maria Lancius Commis*sarius Generalis Sancti Officij.*

Dante in Genua *dà à cambio* 1000. *scuti à*
7 *Pietro per la prima fiera de Piacenza con la ricorsa à se stesso: e perche Pietro non hà in Piacenza ne danari, ne credito, ne corrispondente alcuno,* Dante *gli offerisce* Curtio *suo procuratore, il quale compirà in fiera per lui la lettera, e trarrà di nuouo il suo debito à* Genua. *Pietro spontaneamente accetta il partito, e dà l'ordine à* Curtio. *Questo riceuuto in fiera la lettera de Pietro, nella quale ordinãdogli, che paghi à suo nome, e se vaglia del debito con trarglilo in Genua; gli dà facultà di prenderli à cambio à suo conto: ilche potrebbe fare à nome de detto Pietro, venendo assicurato da* Dante, *e potrebbe prẽderli da qualsiuoglia altro, che hauesse auãzo in fiera: con tutto ciò li prende da se medesimo, secondo il credito, che hà* Dante *per la rimessa presente.* Dopò *questo* Curtio *ne fa con nuoue lettere per* Genua *la tratta à Pietro, e la rimessa à* Dante. *Pietro finalmẽte paga à* Dãte *à suo tempo del suo proprio denaro, e la ricorsa resta finita.*

Kalendis Septembris, 1629.

Domini deputati à Sanctissimo Domino
8 *Nostro pro materia cambiorum, censuerunt vnanimes casum quarto loco propositũ tanquã nouũ, nõ recedere à primo, & ideo nõ subsistere.*

Die 2. Septembris 1629.

RR. PP. Io. Baptista Coccinus, *& Frater Hippolitus Maria Lancius retulerunt, S. D. N. D. Vrbanum Papam Octauum, resolutionem à supradictis Theologis captam circa suprascriptum nouum casum quarto loco propositum in materia cambiorum approbasse.*

Caso proposto per ordine della Serenissima Republica di Genua dal Sig. Gio. Francesco Sceglia.

Gioanni *in fiera dà scuti* 1000. *à cambio à*
9 *Pietro per Milano, e conuengono insieme, che Pietro ne faccia la tratta ad Antonio persona distinta, e di negotio, e di credito in detta Città di Milano, al quale* Gioanni *ne fà anco la rimessa. Antonio in Milano passa scrittura di quella partita in debito de Pietro, & in credito de* Gioanni, *e non estinguendo* Pietro *tal debito con altra rimessa, ò pagamento, come potrebbe fare, riflette nella fiera seguente il suo credito à* Gioanni, *& il debito à Pietro, & in essa fiera s'estingue.*

S'aggiunge vna circonstanza, che Gioanni *promette à Pietro, che Antonio in Milano cõpirà la sua tratta.*

Se n'aggiunse vn'altra, che Pietro promette à Gioanni, *che in caso, che Antonio non rimetta il suo effetto alla fiera seguente à* Gioanni, *vuole essere obligato lui.*

Se n'aggiunge vn'altra, che Gioanni *promette à Pietro, che nella tratta, ch'esso fà à Milano, come sopra, l'interesse non ecceda vn tanto per cento, conforme essi s'accorderãno insieme; con conditione però, che s'il cambio rispondesse meno, sia solomente quello, ch'haurà risposto.*

Die Sabbati 27. Septembris 1631.

In eodem Congregatione post diligentem
11 *discussionem, Domini dixerunt, nihil in prædicto casu quinto, & vltimo, & circumstantijs contineri, quo minus licitè practicari possint.*

Die Iouis 2. Octobris 1631.

RR. PP. DD. Io. Baptista Coccinus *Sacræ* Rotæ Decanus, *& Fr. Hippolitus Maria Lãcius prædicti retulerunt* S. D. N. D. *Vrbano Octauo supradictam resolutionem, & sanctitas sua annuit.*

Io. Baptista Coccinus *Rotæ* Decanus.

Fr. Nicolaus Riccardus Sacri Palatij *Magister, & Prædicator.*

Fr. Hippolitus Maria Lancius Commissarius Generalis Sancti Officij.

Augustinus Oregius Theologus Sanctissimi.

Fr. Frãciscus Genu. Procurator generalis Capu*cinorum, & Sum. Pontificis concionator.*

Stephanus Bubalus societatis Iesu S.A. Pœnitent. Consultor Theologus.

In Genua per Gioseppe Pauoni, con licenza de Superiori.

Circa huiusmodi determinationes est
sciendum, quòd licèt determinationi præ-
fati vltimi casus non interfuerit R. Admo-
dum Fr. Nicolaus Rodulphus Ordinis
Prædicatorum Generalis vnus ex septem
doctissimis viris à S.D.N.D. Vrbano Papa
VIII deputatis, interfuit tamen determina-
tioni 1. 2. & 3. casuum dum esset Magister
Sac.Palatij, & definitioni quarti casus post
assumptum in Generalē præfati sui Ordinis.

Ex his igitur infertur primò, quòd cùm
11 per Sacram Congregationem fuerit de-
terminatum mediante S. D. N. D. Vrbani
Papæ VIII.confirmatione, ac approbatio-
ne, cambia in 1. & 4. casibus mentionata,
non subsistere; de eorum validitate, & subsi-
stentia non est amplius disputandum. Ete-
nim ad Rom. Pontificem spectat non so-
lùm dare formam contractibus, sed eos
etiam licitos, aut illicitos judicare, vt latè
ostendimus in nostris Commentar.ad Ex-
trauag.Pij V.de censib. §.2. q.21. num.11.
Idem dicendum est de cambio, in quo re-
12 curritur ad campsorem, qui non habeat
aliud creditum, vel aliam pecuniam præter
pecuniam, seu creditum, quod consequi ha-
bet à cāpsuario: siquidem huiusmodi cam-
bium non differt à cambijs in prædictis 1.
& 4. casibus contentis: nam siue soluatur
primum cambium cum credito remissæ per
procuratorem, & correspondalem campso-
ris, siue ab ipso campsore, semper solutio, &
ab vtroque dicitur fieri tanquam à procu-
ratoribus campsuarij: vndè stante supradicta
declaratione Sacræ Congregationis, sicut
non est amplius disputandum de subsisten-
tia illius cambij, ita etiam non est disputan-
dum de subsistentia istius, cum eadem ratio
militet in vtroque, arg. tex. in l.illud, ff. ad
leg. Aquil. Adde quod idem iudicium fe-
rendum est de cambio, in quo campsuarius
recurrit ad ipsummet campsorem, & scribit
litteras ad se ipsum campsuarium, vt soluat
sibi ipsi ex credito remissæ ad eundem cā-
psorem spectante. Etenim creditum remissę
13 spectans ad campsorem est pecunia cam-
psoris: & propterea idem est soluere cambiū
de pecunia campsoris, ac soluere cambium
de credito remissæ ad campsorem spectan-
te. Quæ omnia cambia omnino damnantur
in decisione tertij casus, in illis verbis, *Sub-
sistere si Romæ, & Massæ vera fiat solutio
ex legitimo mandato Didaci ab habentibus
vnde soluant ex proprijs, vel alienis pecunijs,
quæ non sint creditoris, cui fit solutio*, & in fine
decisiones præfati casus, *Nō verò subsistere
dum cambia, quæ continuantur fiunt secūdum
modum in primo casu propositum.* Vndè, stan-
te prædicta Sacræ Congregationis deter-
minatione, hęc omnia cambia non subsiste-
re firmiter est tenendum, & ab eorum cele-
bratione omnino abstinendum.

Secundò infertur ex determinatione se-
14 cundi casus, quòd ita demum cambiū cum
recursa sub interesse limitato non subsistit,
si cambium per se sumptum nō subsistat, vt
quia innitatur alicui ex supra relatis cam-
bijs in proxima illatione, vt patet ex deci-
sione dicti casus, in illis verbis, *Domini pa-
riter censuerunt, non subsistere, cùm innitatur
primo.* Vndè si cambiū per se consideratum
subsistat, suam subsistentiam proculdubio
retinebit cum interesse limitato, iuxta secū-
dum casum propositum. Etenim ab initio
15 in contractibus permissa est certa, ac deter-
minata fructuum, seu interesse taxatio, dum-
modo sit probabilis, & contrahentes æqua-
li periculo se exponant, vt patet ex traditis
per Dec.in c.cū venerabilis, num.65. vers.
Putarem tamen, de except. & facit tex.in c.
nauiganti, & ibi Doctor.de vsur. Paris.cons.
60. num. 33. & 34. lib.1. Surd. decis.159.
num.16. & alijs ergo licita est in cambio de
quo agitur, ab initio interesse limitatio: nam
cambiū verè contractū esse supra in proœm.
nostræ Extrauag.q.9.ostendimus. Nec ob-
stat si dicatur, quòd taxatio fructuum ab
initio de iure conceditur, quando res est de
sui natura fructifera, vt patet ex iis, quæ ha-
bentur ex Rolan.cōs.55.num.31.& 32.lib.
2.at pecunia, quæ datur ad cambium ex sui
natura non est talis; Quoniam respondetur,
quòd supradicta in cambiis limitatio non
16 sustinetur, nec debetur tanquam pro pecu-
niæ fructibus; sed ratione interesse passo ob
datam pecuniam, quæ addita industria mer-
catorum, quando stat actu exposita cam-
biis, campsoribus vtilitatem affert, vt ait
Nauar. in cap. nauiganti, num. 46. de
vsur. Molina de contractib. disput. 315.
num.

num.7 post D. Thom.2.2.q.62.at.4.ad 2. Salon.in eundē D.Thom.q.78.ar.2.contr. 9.vers. Tertia opinio est: & alij. Vnde licèt
17 pecunia ex sui natura fructus non afferat, iuxta illud Arist. *Haud pecus est pecunia, vt pariat.* Nihilominus quatenus est sub industria mercatorum, rectè dici potest fructus parere. Neque dici potest cambium huius-
18 modi esse prohibitum vi nostræ Extrauag. S.2. vt ibidem dicimus dum expressè in eo prohibetur in cambijs pactum de certo, ac determinato interesse, in illis verbis, *Statuimus;ne deinceps quisquam audeat, siue à principio, siuè aliàs certum, & determinatum interesse, etiam in casu non solutionis pacisci.* Quoniam interesse, de quo agitur, non potest censeri propriè, ac verè certum, ac determinatum, cùm minus quàm taxatum sit, possit esse, ob illam cōditionem campsuario, non autem campsori fauentem, *con conditione però, che se il cambio respondesse meno, sia solamente quello, che haurà risposto.* Et quamuis ex altera parte taxarum videtur, dum fit pactum, vt duo, vel vnum pro centenario soluantur, & non amplius, licet cambia pluris reddant; id tamen non est ad damnum; sed ad vtilitatem campsuarij factum censetur: & propterea cambium cum interesse limitato, de quo agimus, non comprehenditur sub dispositione, seu prohibitione nostrę Extra uag. loco supra relato; quæ edita fuit principaliter ad fauorem campsuariorum, & in specie fuit prohibitum pactum de certo, ac determinato interesse, ne campsuarij graua-
19 ti remaneant. Imò si decisio quinti casus rectè perpendatur, ex ea clarè colligitur approbatio cambij realis cum interesse limitato. Etenim vltima circumstantia pręfato quinto casui superaddita ita se habet, *Se ne aggionge vn'altra, che Gioanni promette à Pietro, che nella tratta, che esso fà à Milano come sopra, l'interesse non eccederà vn tanto per cento, con forme essi accorderanno insieme, con conditione però che se il cambio rispondesse meno, sia solamente quello che haurà risposto.* Et deinde immediatè sequitur determinatio dicti casus his verbis, *In eadem Congregatione post diligentem discussionem, Domini dixerunt, nihil in prędicto casu quinto, & vltimo, & circumstantijs contineri, quominus licitè practicari possint.* Vndè stante dicta declaratione, in posterum non est amplius elaborandum circa subsistentiam interesse limitati, quādo cambium cum tali interesse limitato est reale.

Tertiò infertur ex determinatione tertij
20 casu, absolutam remanere controuersiam eorum, qui volunt, continuationes cambiorum obsolutè, & secundum se sumptas esse illicitas: Etenim id est omninò falsum: nam si cambiū reale licitum est celebrati semel, nō potest assignari ratio cur non possit iterum, & pluries reperi, ac continuari; & cum tot mercatores timoratæ conscientiæ, & totus Terrarum Orbis huiusmodi continuationes exerceant, absurdum videtur eos condemnate, vt habetur ex Nauar. in cap. nauigāti, num.72.de vsur. Sunt igitur cambiorum continuationes illicitæ, quando cambia ipsa continuata ficca, & illicita sunt vt sunt cambia, quæ supra nos retulimus illatione prima: secus autem si cambia continuata licita sint, atque realia: quoniam eorum continuationes, & repetitiones licitæ pariter erunt. Quod quidem manifestè colligitur non solùm ex decisione pręfati tertij casus; sed etiam ex declaratione Pij V. in gratiam Bononiensium, cuius meminit P. Molf.in sua sum.p.2.tract.12.c.7. sub num. 48.& alij, ita se habente, *Et possa ogni persona ancora dare danari à cambio, e fare, che siano capitate le lettere sopra di essi datori, & cosi hauer li sù li cābij fino che saranno riborsati da chi haurà preso il danaro.* Qua quidē verba P.Iustin.de contin. camb. cap.7. sub num.2.intelligit de cambiorum continuationibus, in quibus habetur recursus ad procuratorem campsoris, qui cambium soluat de propria ipsius procuratoris pecunia, vel de aliena ad cambium accepta, quæ non sit eiusdem campsoris, iuxta decisionē prædicti tertij casus: siquidem illa verba, *& fare che siano capitate le lettere sopra di essi datori,* inquit, nihil aliud denotare, nisi quòd cum campsor scribit ad suum procuratorem, vt soluat vnam tractam vnius continuationis, quam facit cum suo campsuario, dum ipse procurator est soluturus nomine campsuarij, cui fidem non habet; quia fortè nec vnquam quidem illum nouerit; idcircò campsor scribit ad suum procuratorem, *Che recapiti le lettere sopra di esso datore.* Imò idem

P.Iustin. vt è medio tollat cambium cum recursa, in quo procurator campsoris soluit cambium cum pecunia ipsiusmet campsoris, respondet ad determinationem casus ab Archiepiscopo Panormitano delati ad Greg. XIII. & ait, determinationem illam esse intelligendam de cambio cum recursa ad procuratorē campsoris, qui soluit cambium de propria pecunia: secus si soluat de pecunia campsoris.

Nec obstat si dicatur, quòd per huius-
21 modi continuationes cambium soluitur in eodem loco, in quo celebratur contractus, atque ideò pecunia ibi denique cum interesse reposcitur, vbi contractus fuerat celebratus contra dispositionem nostræ Extrauag. quoniā respondetur, quòd nos suppo-
22 nimus nō fieri pactum de recambio ab initio cōtractus, nisi in casu cambij non soluti; aliàs non esset licitum, vt rectè declarat Filliuc. tom. 2. qq. moral. tract. 35. de camb. c. 8. q. 9. concl. 3. num. 446. & Scac. de commerc. & camb. §. 1. q. 7. par. 3. limit. 15. Et quādo datur pecunia ad cambium cum pacto iterum cambiendi concurrit diuersitas loci: siquidem primum cambium fit de loco ad nundinas: & secundum fit à nundinis ad locum. Etenim impugnantes continuatio-
23 nes cambiorum, ducuntur aliqui ex falsa facti intelligentia, & eius suppositione, vt habetur ex P. Nald. in sua sum. ver. cambiū: nam dum vident post multum tēporis spacium, solutionem cambij cum lucro fieri in eodem loco, in quo multò ante datæ fuerāt pecuniæ ad cambium, existimant solutiones illas esse illius primi cambij, non aduertentes decies, & fortè pluries, ac pluries illud idem cambium fuisse repetitum, & primum illorum fuisse solutum in loco, ad quem primæ litteræ directæ fuerant: in loco autem celebrati cōtractus solutionem fieri cambij nouissimi. Et licèt P. Nald. loquatur de quadam specie cōtinuationis cambiorum, quam nos non admittimus, & à præfata Sacra Congregatione non obscurè reiiciatur in d. tertii casus decisione; prædicta tamen eius verba deseruiunt, ac faciunt ad rem nostram, & ad continuationes, quæ fiunt cum recursa ad procuratorem cāpsoris, qui soluit primum cambium de sua pecunia, vel alterius ad cambium accepta: quas licitas esse supra ostendimus.

Neque præterea dici potest, quòd con-
24 tinuationes huiusmodi cùm interesse conuertant in capitale, ex tali interesse oritur aliud interesse per modum superfœnerationis; quod à iure fœnus improbum appellatur, & omnino damnatur in l. fin. C. de vsur. & l. placuit, ff. eod. tanto magis quoniā de iure interesse, interesse non debetur, vt per Rebuff. in l. vnica, & in Glos. ver. Dupli, sub num. 2. vers. Præterea interesse, vbi etiā Bologn. num. 20. & 21. C. de sent. quæ pro eo, &c. & Io. Bapt. Lup. in l. curabit, §. 6. sub num. 20. vers. Sed aduertendū, C. de action. empt. Rota Diuers. decis. 315. num. 8. p. 2. Rota Genuen. decis. 87. & latè Scac. de commerc. & camb. §. 7. Glos. 2. num. 39. Quoniam respondetur, quòd in hoc cambio nō soluitur interesse alterius interesse, quod à iure damnatur; sed soluitur interesse capi-
25 talis tantùm: quia non est inconueniens, vt in continuationibus cambiorum interesse conuertatur in capitale, cùm id iustè fieri possit, tribus concurrentibus; nempe quòd creditor re vera passus fuerit interesse: quòd quantitas interesse sit liquida: & denique quòd negotium, ex quo prouenit interesse sit eius qualitatis, vt semper quando dissolueretur, haberet promptam occasionem renouādi: & id estò quòd accessiones multis vicibus cōuertantur in capitale cambii; ita vt cambium primum impinguetur, & crescat per renouationem, vt rectè declarat Scac. de commerc. & camb. §. 1. q. 7. par. 2. ampl. 8. & §. 6. Glos. 1. num. 82. Hinc census
26 quamuis vi Extrauag. Pii V. de censib. non possit augeri, nec de nouo creari ex pensionibus præteritis; id tamen de iure communi, ac naturali non est prohibitum: siquidem eo casu non soluitur interesse pro interesse; sed interesse, seu pensiones soluuntur ex nouo censu creato ex pensionibus debitis tāquam ex pretio, & principali sorte, vt latè nos probauimus in nostris Commentar. in eandem Extrauag. §. 4. q. 38. à num. 3. vsque ad fin.

Et si denique diceretur, quòd cābiorum
27 continuationes, ac repetitiones sunt Reip. perniciosissimæ, cùm per eas breui tempore familiæ opulentissimæ cambiis, & recābiis exauriantur, in paupertatem redigan-

tur,

tur, & à campsoribus excorientur, fugantur, & vorentur; tunc nos diceremus, quòd continuationes cambiorum, quæ ficta sunt, de quibus egimus supra, illat. 1. sunt Reip. perniciosissimæ, cum vsuratiæ sint, & iniquæ: secus autem continuationes cambiorum, quæ sunt realia, ac iusta, aliàs idem dicendum esset de contractu censuali: quod nos negauimus in dictis nostris Commentar. in procem. q. vlt. in resp. ad vltim. primæ sententiæ. Est tamen verum, quòd cambiorum continuationes quoad fieri potest, vitandas esse, omnes Doctores clamant, tàm ij, qui eas tanquam illicitas, & vsurarias damnāt; quàm ij, qui defendi posse contendunt. Etenim Salon. in monitione ad campsores, post D. Anton. & alios, ait, quòd solent non nulli Nobiles, & Magnates ad ludendum, sollemnius epulandum, &c. Sæpe cambio accipere pecunias ab impijs campsoribus; imò vsurarijs, replicantes cambia per diuersa tempora eundo, & redeundo de nundinis ad nundinas, contrahēdo debita adeò ingentia, vt ditissimæ eorum domus, ipsis haud cogitantibus, consumptæ remaneant: cui damno si se opponerent Principes, rem Deo gratissimam facerent, Less. quoque lib. 2. de Iustit. & iur. cap. 20. dub. 14. num. 126. inquit, aliquibus videri cōsuetudinem Bursæ Antuerpiensis excusabilem, & magis seruandam, quàm illa deberet, quæ modo introducta est, qua multi nolunt cuiquam mutuare secundum morem Bursæ; sed tantùm dare ad cambium. Vndè fit, vt qui mutuādo solùm lucraretur 7. 8. vel 10. in 100. facile extorqueant 20. vel 30. per varia cābia, & recambia intra vnum annum. Et denique, cæteris prætermissis Scac. post alios, de commerc. & camb. §. 6. Glos. 1. num. 88. licèt admittat cambium cum recursa, & cambiorum continuationes; nihilominus, hanc opinionem temperandam esse monet: quia etsi in cambio cum recursa possit per noua cambia, & recambia cum eodem debitore fieri continuatio in infinitum; ita vt cambiorum interesse possit excedere capitale; attamen, quoniam Reip. multum interest, vt subditorum facultates non sint ab huiusmodi continuo interesse, crudeliter deuoratæ, dum creditores impiè anhelantes ad exhauriendas debitorum suorum diuitias cum calida quadam negligentia negligunt petere debitum: & debitorem ob ignorantiam, seu fatuitatem, nescientes à tali damno se liberare, proprijs facultatibus spoliati reducuntur ad extremam quādam miseriam: & propterea putat, valdè sanctam legem huiusmodi miseriæ succurrentem, & recambia tolerantem vsque ad certum terminum, & non vltra. Contra tales continuationes insurgit communiter cambium cum recursa damnantes: nam si tenent illicitam vnam cambij continuationem, multo magis censentur damnare plures, ac plures cambiorum circulationes, seu continuationes, vt ait P. Iustin. de contin. camb. q. 4. num. 6. vbi refert innumeros ferè Doctores cambium cum recursa execrantes.

Quartò infertur ex quinto casu, quòd
28 cambium in eo contentum cōuenit in pluribus cum cambijs in 1. & 4. casibus supra relatis, & in pluribus ab eisdem differt. Etenim prædicta cambia conueniunt primò inter se; quia in his omnibus recurritur ad ipsummet campsorem, qui dedit cambio pro cambij solutione, condictis loco, & tempore. Siquidem in primo casu ita habetur, *Dāte in Massa fiera di Pascha dà à cābio à Pietro scuti 1000. per Milano con la ricorsa ad esso Dante; cioè, che l'istesso Dante habbia pensiero di fare compire in Milano le lettere de Pietro à suo tempo*. In quarto dicitur pariter, *Dante in Genua dà à cambio scuti 1000. à Pietro per la prima fiera di Piacenza con la ricorsa à se stesso*. Et denique in quinto casu ita legitur, *Giouanni in fiera di Santi da scuti 1000. à cambio à Pietro per Milano, e conuengono insieme, che Pietro ne faccia la tratta, &c.* Secundò conueniunt dicta cambia inter se, quòd sicut campsor in primo casu cōstituit certam personam, ad quam mittantur litteræ à campsuario solutione cambij; ita etiam in quarto, & quinto casu. Etenim primus casus inter alia hæc verba continet. *Dante manda la sudetta lettera in Milano ad vn suo amico, ò Agente, &c.* In quarto casu habetur, *Dante gli offerisce Curtio suo procuratore, il quale compirà in fiera per lui la lettera*. Et demum in quinto ita legitur, *E conuengono insieme, che Pietro ne faccia la tratta ad Antonio*. Tertiò conueniunt, quòd sicut campsuarius in primo casu non habet in loco

co

co destinatæ solutionis in principio contractus nec pecuniam,nec creditum,& ideò pro solutione cambij recurrit ad cãpsorem; ita etiam campsuarius in quarto, & quinto casu, vt ex supradictis, & ex ipsis casibus clarissimè constat. Quartò conueniunt,quia in omnibus prçfatis casibus campsor remittit creditum ad ipsum spectans,exigendum à persona illa constituta. vt patet ex primo casu,in illis verbis, *Si serue del credito della rimessa,spettante ad esso Dante*. Et in quarto, *Con tutto ciò li prende da se medesimo secondo il credito, che hà di Dante per la rimessa presente*. Et in quinto casu, *Al quale Gioanni ne fà anco la rimessa*. Quintò conueniunt,quoniam in omnibus illis tribus cambijs persona illa destinata à cãpsore refert duplicem personam campsoris scilicet, & campsuarij. Sextò conueniunt inter se primum, & quintum cambium, quia tàm in primo, quàm in quinto persona illa destinata, seu Agens, adueniente termino solutionis format scripturam, & facit debitorem campsuarium scuti 1000. seu lir. 7500. quæ sunt eorum valor, & eorundem creditorem campsorem, vt constat ex primi casus verbis, ita se habentibus, *Venuto il termine del pagamento, l'Agẽte che rapresenta la persona de Dante forma la scrittura, & fà debitore Pietro de fiera lir. 7500. valuta di scuti 1000. creditore di essi Dante sudetto*. Et patet ex quinto casu, ibi, *Antonio in Milano passa scrittura di quella partita in debito de Pietro, & in credito di Gioanni*. Imò quamuis in quarto casu nulla fiat mentio de supradicta scriptura; nihilominus tacitè in eo intelligitur, dum se habet, *Con tutto ciò li prẽde da se medesimo, &c.* quod communiter fit per formationem prçfatæ scripturæ, vt patet in cambio primi casus, à quo non differre ipsum quartum Sacra Congregatio declarauit. Septimò conueniunt; quia tàm in primo, quàm in quarto, & quinto casibus reflectitur per personam illam destinatam creditum campsori ad sequentes nundinas: & debitum campsuario, vt constat ex illis verbis primi casus, *Poi estingue il conto de Pietro con farli la tratta in la seguente fiera*. Quarti verò, *Doppo questo Curtio ne fà con nuoue lettere la tratta à Pietro, e la rimessa à Dante*. Et demum quinti, *Et non estinguendo Pietro, &c.*

Differunt autem inter se prædicta cambia primò, quoniam in quinto casu campsor, & campsuarius conueniunt de constituenda persona, quæ compleat litteras, distincta negotij, & crediti in loco solutionis faciendæ, vt constat ex quinti casus verbis, *Conuengono, che Pietro ne faccia la tratta ad Antonio, persona distinta e di negotio, e credito in detta Città di Milano*. At in quarto, & primo casibus de distinctione prędictç personæ vt supra nihil agitur, sed satis est, quòd persona illa sit campsoris procurator, Agẽs, vel amicus: siquidem in quarto casu ità legitur. *Dante gli offerisce Curtio suo procuratore*. Et in primo, *Dante manda la sua lettera in Milano ad vn suo amico, ò Agente*. Secundo differunt, quia in primo, & quarto casibus soluitur cambium cum credito remissæ spectante ad ipsum campsorem, vt patet ex primo casu, in illis verbis, *Et perche il detto Agente non hà altri danari, ne credito da pigliarsi à cambio in Piazza per pagare à se stesso, si serue del credito della rimessa spettante al medesimo Dante*. Et ex quarto casu, ibi, *Con tutto ciò li prende da se medesimo secondo il credito, che hà di Dante*. At in quinto casu non fit solutio cambij cum credito præfatæ remissæ, sed ex pecunijs proprijs illius personæ destinatæ, ac distinctæ, vt supra, vel de alienis, quæ non sint creditoris, & sic campsoris, vt patet ex tertio casu, in illis verbis, *Domini dixerunt, tertium casum, qui dicitur cambium continuatum subsistere, si Romæ, & Massæ vera fiat solutio ex legitimo mandato Didaci ab habentibus, vnde soluant ex proprijs, vel alienis pecunijs, quæ non sint creditoris*. Tertiò differunt, quia in primo casu nõ potest extingui aliter primum cambium, nisi cum credito remissæ spectante ad campsorem, vt constat ex illis verbis primi casus, *Et perche il detto Agente non hà altri danari, ne credito da pigliarsi à cambio in Piacenza per pagare à se stesso, si serue del credito della rimessa, spettante al medesimo Dante*. In quarto posset extingui cambium cum alia pecunia accipienda ad cambium, vt in illis verbis, *Li dà facultà de prenderli à cambio à suo conto, il che potrebbe fare à nome de detto Pietro, venendolo assicurato da Dante, &c.* At in quinto casu nullo modo potest per Procuratorem extingui cambium cum

eum dicto credito remissæ; sed tantùm cum proprijs illius personæ destinatæ pecunijs, vel alienis, quæ non sint creditoris, vt supra diximus. Quartò differunt, quoniam in primo, & quarto casibus à principio contractus campsuarius obligatur ad recambiendum ad sequentes nundinas, & sic per locum celebrati contractus, vt patet ex illis primi casus verbis, *Dante in Massa fiera di Pasqua dà à cambio à Pietro scuti 1000. per Milano con la ricorsa ad esso Dante, cioè, che lo stesso Dante habbia pensiero di fare compire in Milano le lettere de Pietro à suo tempo, e ch'il debito sia di nuouo tratto nella seguente fiera*. In quarto ita legitur, *Il quale compirà in fiera per lui la lettera, e trarrà de nuouo il suo debito à Genua*. In quinto autem casu campsuarius non cogatur recambire, nisi in casu primi cambij non soluti in loco condicto, vt constat ex illis verbis, *Et non estinguendo Pietro tal debito con altra rimessa, ò pagamento, come potrebe fare, risflette nella fiera seguente il suo credito à Gioanni, & il debito à Pietro*. Quintò differunt prædicta cambia: nam in primo, & quarto casibus nõ supponitur, campsuarium habere tantum in bonis, quo possit soluere cambium, vt ex illis patet. At in quinto casu supponitur campsuarium habere tantùm in bonis, quo possit soluere cambium in loco determinato, vt colligitur ex illis verbis, *Et non estinguendo Pietro tal debito (come potrebe fare) risflette nella fiera seguente, &c*.

Ex prædictis est adnotandũ primo, quòd
39 non ex eo quòd in 1. & 4. casibus recurritur ad campsorem, qui cambium curet soluendum in loco condicto, cambium est siccum: nam in cambio quinti casus recurritur quoque ad campsorem, vt patet in illis verbis, *E conuengono insieme, che Pietro ne faccia la tratta ad Antonio*, & tamen non est siccũ; sed ex eo primum, & quartum cambia sunt sicca, cùm recurritur ad campsorem, qui committat solutionem cambij personę, quę non sit distincta, nec negotij, nec crediti ab ipso campsore, sicut distincta est in quinto casu, vt constat ex illis dicti casus verbis, *E conuengono insieme, che Pietro ne faccia la tratta ad Antonio persona distinta è di negotio, e di credito in detta* Città *di Milano*. Siquidem si persona non esset distincta, vt supra; Sed eadem secundum rationem banchariam; non fieret cõmutatio pecuniarum Diuersorum, quod est de essentia cambij, sed vnius, & eiusdem: quia fieret commutatio vnius pecuniæ cum altera pecunia eiusdem campsoris. Vndè supra in decisione tertij casus per Sacram Congregationem approbantur cambiorum continuationes; dummodo fiat solutio ex legitimo mandato campsuarij ab habentibus vnde soluant ex propriis, vel alienis pecuniis, quæ non sit creditoris, cui fit solutio. Dices, campsor potest dare litteras ad proprium procuratorem, qui ex pecunia eiusdem procuratoris, vel alterius ad cambium accepta, cambium compleat, debito illo per alias litteras ad eundem campsorem remisso, vt patet ex decisione dicti tertii casus, & diximus supra q. 40. ergo & licitum quoque erit eidem campsori dare litteras suo procuratori, seu correspons ali, vt ipsius campsoris pecunia cambium persoluat. Consequentia patet; quoniam procurator, seu correspon salis quando soluit cambium de pecunia campsoris, dicitur pecuniam illam accipere ad cambium ab ipso campsore nomine eiusdem campsuarii, & soluere cambium. Si igitur poterat procurator pecuniam accipere cambio ab aliquo tertio pro solutione dicti cambii, non potest assignari diuersitatis ratio, cur non possit illam accipere ab ipso campsore: siquidem modus soluendi sibi ipsi nihil aliud denotat, quàm cãbire in se ipso, vt habetur per Scac. de commerc. & camb. §. 1. q. 5. sub num. 83. vers. Hic modus. Itaque prædictis cambiis campsuarius quando scribit procuratori campsoris, vt soluat sibi ipsi idem est, ac si dicat, *Pigliate à cambio in nome mio da voi detta summa come procuratore del mio campsore, e con essa pagati à voi il cambio fatto à Genua, ch'io lo pagarò*. Etenim vna persona potest plures
30 repręsentare, l. fistulas, §. fundum, ff. de contrah. empt. l. debitor meus, & ibi Glos. in ver. Mihi, ff. de negot. gest. Bart. in l. 2. in fin. ff. de stipul. seruor. Rota Genuen. decis. 1. num. 27. Scac. de commerc. & camb. §. 6. Glos. 1. num. 35. & 36. Less. lib. 2. de Iustit. & iur. cap. 23. dub. 7. num. 63. Nauar. Bonins. Salas, Salon. & alii, quos ipse Scac. & alii allegant. Vndè quòd quis soluere possit sibi

sibi ipsi in iure clarè colligitur ex tex. in d. l. fistulas, §. fundum ff. de contrah. empr. l. si pupillo, §. fin. & d. l. debitor meus, vbi Glos. expresse, ff. de negot. gest. & in terminis litterarum cambii latè Bald. conf. 190. vol. 2. Lup. de vsur. com. 3. num. 62. Nauar. conf. 31. in respons. ad tertiũ. circa finem consilii, de vsur. Rota Romana in causa Romana seu Florentina cambiorum, 12. Ian. 1615. coram R. P. Dunozet.

Secundò fingamus Titium dedisse Sem-
31 pronio ad cambium Genuæ centũ aureos sibi Placentiæ soluendos ad primas nundinas de Santi, & quòd adueniente solutionis termino, tàm Titius campsor, quàm Sempronius campsuarius ad condictum locum se conferant, vbi ex aliquo inopinato euentu Sempronius non valeat soluere, atque ideò cambium complere, propter quod recurrat ad eundem Titium, vt sibi det cambio alios aureos tentum Placentiæ pro solutione primi cambii, solutio primi cambii per pecuniam secundo loco ad cambium acceptam, citra omnem controuersiam erit realis: ergo realis non minus erit si procurator Titii accipiat pecuniam ad cambiũ pro Sempronio ab ipso Titio pro solutione primi cambii ipsius Sempronii: siquidem sicut id, quod quis potest facere per alium, potest facere per se, l. 1. § 2. ff. si quis omis. cau. testam. ita è conuerso, cùm militet eadem ratio, & eò magis, quia qui per alium facit per se ipsum facere videtur, iuxta regul. cap. qui per aliũ, de regul. iur. in 6. Procurator enim Titii id agit tanquàm repręsentans ipsum Titium. Tertio supponamus, quòd procurator campsoris aufugiat, aut non soluendo efficiatur, campsor proculdubio in cãpsuarium directam actionem non habebit, nam eo ipso quòd acceptata est obligatio procuratoris, liberatur campsuarius, ita vt campsor directè in illum agere non possit, sed tantùm indirectè nomine sui debitoris: ergo signum est, cambium prędictum esse reale, cùm in eo verè fiat cãbii solutio: eo quòd campsuarius ex debitore cãpsoris efficitur debitor sui procuratoris. Etenim adueniente termino solutionẽ in nũdinis, procurator ipse iuxta ordinẽ litterarũ cãpsuarii, & cãpsoris cõstituit in loco suarũ rationum campsuarium debitorem cambii sub nomine campsoris: & in alio loco constituit campsorem creditorẽ in ea quantitate sub hac forma. In libro minori ita scribit, *Deue Sempronio v. g. campsuarius scuti 1030. 6. di marche, che m' hà tratti à pagare à Titio v. g campsori, in questa fiera de Santi in me medesimo cambiati con se medesimo.* Et adnotat pro sua prouisione tot alias nummos, ad rationem tertiæ partis scuti aurei pro singulis cẽtum. Et postea in libro maiori constituit Titium campsorem suum creditorem his verbis, *Titio deue hauere in questa fiera de Santi scuti 1030. 6. de marche per tanti che m' hà ordinati riscuotere da me medesimo per vna lettera di cambio de Sempronio, & sic campsuarÿ, e se gli ne dà credito in questo modo.* Et ita campsuarius definit esse debitor campsoris, & effectus est debitor procuratoris ipsius cãpsoris, qui sibi ipsi tanquam procuratori campsoris solutionem fecit ex mãdato campsuarii: & cãpsor definit esse creditor campsuarii, & effectus est creditor procuratoris campsoris, qui nomine suo à semetipso fecit exactionẽ prædictam, atque ideò si procurator fugam arriperet, seu efficeretur decoctus, ad dãnum campsoris efficeretur, ac aufugeret, vt supra diximus, & habetur ex Surd. conf. 145. & Rot. Genuen. decis. 1.

Denique, cęteris prætermissis, ad verũ,
32 ac reale cambium quinque conditiones pręcipuè requiruntur. Prima, vt nihil ex eo percipiatur ratione temporis: Secunda, vt campsuarius Peritorum arbitrio in pretio, vel in alio non grauetur: Tertia quod commutatio fiat pecuniarum diuersorum: Quarta vt, campsuarius habeat pecuniam in nundinis actu, vel virtute, qua possit soluere cãbium: & quinta, vt seruetur ęqualitas dati, & accepti. Sed hæc omnia concurrunt in cambio, de quo agitur, ergò, &c. Maior patet: Minor probatur, quia quod in huiusmodi cambio persoluitur, nõ ratione temporis, sed ratione loci, & pecuniarum, cãpsorum, & campsuarium copia, vel inopia persoluitur: & campsuarius illud tantùm interesse soluit, quod alij cuicunque mercatori redderet, à quo suarum litterarum subscriptionem expostulasset. Fit cõmutatio pecuniarum Diuersorum; quia procurator campsoris verè, ac realiter dicitur soluere cãbium nomine campsuarij dum in libro rationum con-

constituit campsuarium debitorem sub hac forma, *Deve Sempronio(scilicet campsuarius) scuti 1030.6.de marche che m'hà tratto à pagare à Titio,nempe campsori,in questa fiera di Santi in me medesimo, cambiati con se medesimo.* Vt diximus in præcedenti argumento. Item fit commutatio pecuniæ cum pecunia Diuersorum, quoniam primum cambium soluitur de pecunia propria campsuarij,eo quòd procurator cāpsoris soluit cambium prędictum cāpsori de pecunia iterum accepta ad cambium ab eodem campsore. Dicitur ipse campsuarius habere creditum verè, ac realiter in nundinis dum habet supradictas campsoris litteras,suo procuratori directas. Et denique nos supponimus æqualitatem dati,& accepti, quando campsor dat,v.g.Genuæ sol.66.vt accipiat Placentiæ scutum marcharum. His pręcipuis rationibus nō nulli Doctores tenent,huiusmodi cambium posse dici, ita Salon.2.2. in D.Thom.q.78.disp. de camb. q.4 ar.2. contr.12.concl.4. Ioan. de Salas de camb. dub. 17.concl. 4. Scac. de commerc.& camb. §.1. q. 5. sub num. 83. vers. Primus modus est,Megal.22.Instit.confes. lib.2.c. 16.q.3. num.35.& 36. vsque ad num. 46. Filliuc.tom.2.qq.moral.concl.35. tract.de censib.& cāb.cap.8.q.2. num.431. Nauar. cōs.31.lib.5. de vsur. & hāc sententiā speculatiuè saltem veriorem esse, inquit Less. lib.2. de Iust & iur.cap.23.dub.7.num.71.

33 Imo idem docent de cambio, in quo campsuarius recurrit ad ipsummet campsorem, qui dedit cambio, vt de propria pecunia pro eodem per se soluat in nundinis, vt per Scac.de commerc.& cāb.§.6.Glos.1.num. 43.& Bonins. de camb. cap.7. num.7. 8. & 9.qui addit, id esse cāpsuarijs minus onerosum: siquidem in eo vitantur expensæ proxenetarum: & Less. loco citato non constituit differentiam, an ipse campsor soluat, vel suus correspondentis,quādo solutio cambij fit ex pecunia societatis. Vndè pro hac eadem sententia faciunt omnes supra relati Doctores,& alij,qui docent,cambium cum recursu, in quo recurritur ad correspōsalem, seu socium cāpsoris, qui de pecunia cāpsoris,seu societatis soluat,esse reale. Etenim eandem rationem volunt militare in campsore per se soluente cambium pro campsuario de propria pecunia, ac per suū correspondentem, procuratorem, amicum, vel seruum: siquidē hi omnes solum vti repręsentātes personam campsoris, qua propter si campsor potest solutionem huiusmodi facere per alium,multo magis potest eam per se ipsum,arg. tex.in l.1. §.2. ff. si quis omis. caus.testam.

34 Adde quòd pro hoc ipso cambiendi modo adducunt Decretum Pij V. in capitulis cambiorum,confirmatis ad instantiam Bononiensium anno 1569.25.Nouemb.Pontificatus sui anno 4.cap.2.his verbis, *Et possa ogni persona ancora dare danari à cambio, & fare che siano recapitate le lettere sopra di essi datori.* Adducunt etiam Rotam Rom.in vna Romana pecuniaria,seu cambiorum in causa D. Hectoris Fieschi tāquam hæredis quondam Hieronymi Spinolæ sui soceri contra Dominum Comitem stabilem, Columnam,die 2.Iunij 1615.coram b.m.Cardinale Sacrato,cuius meminit P. Iustin.de cōtin.cāb.q.7. num.9. fuit resolutū,cāpsorē posse à se ipso accipere pecuniā ad cābiū ad extinguendum mutuum, vt patet in illis verbis, *Quod Cardinalis verè non recipit ipse pecunias ad cambium à Mercatoribus, sed recipit mutuo,& dedit illis facultatē,& mandatum recipiendi quantitatem sibi mutuatam ad cambium ab alijs,vel etiam à se ipsis, quod de iure fieri posse resoluit Rota Ianuen. decis. 32.num. 30. vers. Et pro maiori, & nūm.4. & decis. 1. num.27. Sim. de Prgt. cons. 151. num.58.& 59. Lup. de vsur.com.1.num.62. Nau... ..od. tit. cons.31 in antiq. & fuit dictum in causa Romana, seu Florentina cambiorum, 12. Ianuar. 1615. coram R. P. D. Dunozet. Et meritò, quia dum ille, qui habet mandatum recipit litteras à se ipso repręsentat personā mandātis,l.& si Prętor,ff.de offic.eius, &c. Signorel. cons 64. num.21. Sim. de Prgt. loco citato, num.6. dum verè dat, repręsentat personam suam.* Si igitur potest campsor recipere à se ipso pecuniam ad cambium ad extinguendum mutuum; ergò potest campsor, ad quem recursum habet campsuarius de propria pecunia extinguere cambium; quia quando campsuarius dat litteras campsori, vt soluat sibiipsi, illa verba habent hunc sensum,nempe quòd accipiat ad cambium pecuniā à se ipso nomine ipsius campsuarij,

psuarii, quā soluat pecuniam primi cābii sibi ipsi, vt eiusdem creditori. Siquidem illa pecunia primi cambii ex propria campsoris efficitur vi cambii propria, & de dominio campsuarii: & deinde ex propria campsuarii fit rursus campsoris, cùm per eam extinguatur primum cambium.

His tamen, & similibus non obstantibus
35 in contrarium est communis, & verior sententia, quam docent Sot. lib. 6. de Iust. & iur. q. 10. ar. 1. & q. 13. ar. 1. Molin. de contract. disput. 404. sub num. 6. in fin. Rebell. p. 2. de obligat. Iust. lib. 11. de camb. q. 6. num. 10. Azor. 3. p. Inst. moral. lib. 10. de camb. c. 9. q. 2. Io. Bapt. Lup. in c. nauiganti, § 2. sub num. 29. vers. Sequitur, de vsur. Io. Bapt. Cauat. de cāb. tit. de vsur. vers. Quartò campsores, Lopez de contr. lib. 2. c. 12. Fabian, Genuen. de camb. p. 2. cap. 7. num. 26. Garz. eod. tract. 37. à num. 5 vsque ad 7. Comir. lib. 3. q. 15. & 16. Romoal. Col. de camb. cap. 22. concl. 2. qui pro hac opinione allegat Mercar. Nauar. & alios, Iustin. de continuat. camb. q. 2. & alij, huiusmodi cābia omninò damnantes, & tanquam vsuraria reprobantes. Probatur primo hęc sententia ex ijs, quæ supra adnotauimus, vers. Ex dictis: vbi pro hac ipsa opinione adduximus nouissimum Decretum Sacræ Congregationis: siquidem dicta sententia clarè colligitur ex definitione tertij casus, & quinti, vt in d. vers. Sufficienter declarauimus, quod satis est ad tollendas omnes dubitationes cū à S.D.N.D. Vrbano Papa VIII. fuerint confirmata, & iussum, vt ita in futurū seruetur. Etenim determinationes S. Congregationis à Rom. Pontifice approbatę habent vim legis. Secundò, qui dat cambio Mediolani, v.g. per Placentiam, & sic per nūdinas intendit habere pecuniam in nundinis, quā ibi non habet, vel maiorem quantitatem pecuniæ quàm habet: sed qui dat cambio, & in nundinis ex propria pecunia per se, vel per suum correspōsalē cambium soluit, non intendit habere pecuniam, quam non habet, vel saltem non vult habere maiorem quantitatem pecuniæ, quàm ibi habet, vt consideranti patet; ergo sufficienter conuincitur noluisse dare cambio, sed dare mutuo cum lucro sub pallio cambii. Tertiò qui dat cambio Mediolani per Placentiam, atque adeo per nundinas emit Placentiæ scutum marcharum: & qui accipit cambiò scutum illud dicitur ibidem vēdere, vt sępe diximus; sed contrahentes in casu, de quo agitur, conuincuntur noluisse emere, nec vendere huiusmodi scutum; ergò conuincuntur noluisse dare, nec accipere cambio. Minor probatur, quia campsuarius non habet scutum illud, nec creditum Placentiæ, & sic in nundinis, & propterea non dicitur vendere. Nec campsor dicitur emere; quoniam, qui emit, vel vult habere rem, quam non habet, vel intendit habere maiorem quantitatē rerum, quàm habet; hoc autem non intendit campsor cùm ex propria pecunia soluit cābium, vt rectè probat Garz. loco citato. Nec obstat si dicatur, quod cāpsuarius dicitur habere creditum in nundinis dum habet campsorem; qui pro eo ibi cambiū soluat, & campsor censetur verè, ac realiter emere, cum non dicatur soluere scutum marcharum in nundinis propria pecunia, sed pecunia ipsius campsuarii, cuius nomine fuit accepta mutuo, vel cambio per campsorem à se ipso, vel per suum correspōsalem; quoniam respondetur, quòd cùm campsor per talem contractum non acquirat in nundinis pecuniam, quam non habet, vel saltem maiorem quantitatem pecuniarum, quàm habet, apertè cōuincitur campsor noluisse celebrare contractū cambii, sed contractum mutui cum lucro sub pallio cambii, & vti cambitione cum tali circuitu in fraudem vsurarum, & per circuitionem cābii lucretur id, quod directè per mutuum non potest. Vndè sicut inanis esset venditio bouis ab eo, qui illum non habet, & ab initio contractus conueniret cum emptore, vt ipse emptor, adueniente tempore traditionis, bouem sibi vendat, vt eidē tradat; ita siccum inane, ac ridiculum censendum est cambium, pro cuius solutione recurritur ad eundem campsorem vt cōdictis loco, & tempore per se, vel per suum correspōsalem illud soluat de propria pecunia ipsius campsoris. Etsi iterum instabis, quòd cambium non est contractus emptionis, ac venditionis, sed cōmutationis, cùm sit commutatio pecuniæ cum pecunia; tunc respondebo, quòd quicquid sit de hac opinione, qui commutat, adhuc quoque per com-

commutationem intendit habere id, quod non habet, & dare, quod habet: vel intendit accipere maiorem quantitatem, quàm habet, & conferre, quod habet, aut partem illius, ita tamen, vt inter datum, & acceptum seruetur æqualitas, ac iustitia commutatiua. At campsarius in nundinis nihil dare intendit, quia non habet scutum marcharum: nec campsor accipit, quod non habet, vel maiorem quantitatem, quàm habet, quia non recipit scutum marcharum à campsuario, sed à se ipso per se, vel per suum socium, seu correspondalem. Quocircà sicut inaniter, ac ridiculè ageret is, qui vellet commutare bouem cùm eo qui bouem non habet, & pro complenda commutatione per se, vel per suum procuratorem daret, vel venderet ei alium bouem, cum quo deinde commutet; ita ridiculè, ac inaniter agit, qui accipit cambio, & pro eo soluendo in loco condicto, conuenit cum campsore, vt de propria pecunia cambium soluat; quia hæc non esset commutatio: siquidem per commutationem quis vel intendit habere id, quod non habet, & dare, quod habet: vel intendit recipere maiorem quantitatem, quàm habet, & conferre, quod habet, vel partem illius seruata æqualitate, quam supra diximus. Vndè cambia huiusmodi meritò incrustari, impudentia, & manifestè vsuraria dicuntur à Soto, loco citato, q. 10. ar. 1. dum ait, *Attamen nullo prorsus fuco incrustare possunt cambia ista, quin sint manifestè vsuraria*. Et q. 13. art. 1. *Si re vera, qui Mediolani recipit, non habet in illis locis pecuniam, nec sperat habere, vt illic soluat, sed vbi recipit, indiget, & illic est soluturus, quicquid campsores fingant, impudentia cambia sunt*. Imò non nulli ex Doctoribus, quos pro contraria sententia retulimus, & signanter Less. vbi supra, licèt putent sententiam ipsam contrariam posse speculatiuè defendi; nihilominus celebrantes huiusmodi cambia, inquit ipse Less. posse tanquam vsurarios puniri: & omnes communiter volunt, ab eis esse abstinendum, vel tanquam vsurarijs, vel saltem multum de vsura suspectis.

36 Quibus igitur sic stantibus ad contraria facilè respondetur. Et ad primum concedimus antecedens, sed negamus consequentiam, & ad illius probationem dicitur, quòd militat diuersa ratio de procuratore campsoris, qui soluit cambium de propria pecunia ipsius procuratoris, aut de aliena accepta ad câbium ab aliquo Tertio; ac de procuratore, qui soluit cambium cum pecunia campsoris, quoniam licèt eam dicat recipere ad cambium à se ipso, atque adeo ab ipso campsore; re vera tamen non accipit; quia non emit, nec commutat verè, ac realiter, vt supra declarauimus nomine ipsius campsoris; sed rem inanem, ac ridiculam agit, & clarè conuincitur, noluisse celebrare contractum cambij, sed vti cambitione cum tali circuitu in fraudem vsurarum, vt per circuitionem cambij lucretur id, quod directè per mutuum non potest: & pecuniam datam ad cambium ibi cum interesse recipiat, vbi contractus fuerat celebratus, cùm inter dates, & recipientes vsque à principio ita cōuenerat, vel certè talis intentio erat, contra dispositionem nostræ Extrauag. in hoc §. 1. ibi, *Pecunia ibi denique, &c.*

Ad secundum quicquid sit de antecedente negamus consequentiam, quia campsuarius eo casu tempore celebrationis cōtractus habebat personam, per quam solueret cambium de sua propria pecunia, vel aliena accipienda ad cambium ab aliquo Tertio, sed ex inopinato euentu deinde, deficiente persona illa, effectus est impotens: & propterea ne efficiatur decoctus, recurrit ad ipsum campsorem, vt denuò det ei ad cambium pecuniam, qua soluat primum cambium, & postea trahat secundum cambium soluendum aliò, vel etiam in loco contractus ab ipso campsuario: quæ enim per accidens fiunt eo casu non conuincunt prauam intentionem contrahentium: siquidem in moralibus, quæ accidentaliter eueniunt non considerantur. At in casu de quo agitur campsuarius ab initio contractus nec pecuniam, nec creditum habebat in loco solutionis faciendæ præter pecuniam campsoris, qua cambium solueret, & deinde per viam recambij remitteretur ad locum contractus: & propterea in hoc casu cū non interueniat vera emptio, nec commutatio, vt supra diximus, non potest dici verum câbium, sed cambium siccū inane, & ridiculū.

Ad tertium respondetur primò, quòd eo

R casu

casu Aduersarij concedunt, posse cãpsorem indirectè agere cõtra campsuarium:& propterea inanis dici potest solutio primi cãbij ex pecunia cãpsoris: quia quoad effectũ idẽ est agere directè, vel indirectè: nã directè, & indirectè se habẽt sicut tacitũ, & expressũ; at taciti, & expressi eadẽ est virtus, l. cũ quid ff. si cert. petat. Secundò, & melius dicitur, quòd licèt eo casu demus liberari cãpsuariũ, ita vt directè agi nõ possit cõtra eum; id tamen fieri nequit per cãbij verã solutionẽ, cũ nec emptio, vt supra adnotauimus, nec cõmutatio per talẽ solutionẽ fiãt. Vndè sicut inanis, ac ridicula esset solutio primi cãbij ex actuali, ac numerata pecunia ipsius cãpsoris accepta eo modo ad cãbium, & ridicula esset emptio bouis, in qua fiat solutio bouis ex emptione bouis ab eodẽ emptore; ita etiã per annotationẽ illã in libro ridicula, ac inanis est virtualis illa solutio; quia per eam nihil acquirit campsor, quod non habeat, nec aliquid plusquam habeat.

Ad quartũ cõcedimus maiorẽ, negámus autẽ minorem: nã cùm in præfatis cambijs cõpellatur cãpsuarius recãbire per locum celebrati cõtractus, & ibi pecunia indigeat, vbi eã cãbio accepit, clarè conuincitur cãpsor, quòd lucrũ ex cãbio intendat non ratione loci, sed ratione temporis, vt infra latius, Deo duce, dicemus. Nec in dictis cãbijs intercedit aliqua commutatio, vt supra probauimus, & ideò nõ cõmutantur pecuniæ Diuersorum, nec campsuarius dicitur habere pecunias actu, vel virtute, qua possit soluere cambium, cùm non habeat aliam pecuniam præter pecuniam campsoris.

Ad quintum ex Decreto Pij V. respõdetur, quòd recapitatio litterarũ super datorẽ nihil aliud significat, nisi recursum ad procuratorem campsoris pro solutione cambij, qui de suo soluat cũ fideiussione ipsius cãpsoris; nõ autẽ de pecunia cãpsoris: & multò minus, vt cãpsuarius recurrat ad ipsummet campsorem, qui dedit cãbio, vt de propria pecunia pro eodẽ per se soluat: siquidẽ inanis est, ac ridicula talis solutio, nõ secus, ac si quis emeret bouẽ ab aliquo bouẽ non habẽte, qui vt bouẽ ementi tradat, emat ab ipso emente bouẽ, & eidẽ tradat. His adde tradita per Iustin. de contin. camb. q. 2. sub num. 2. vbi etiam sub num. 1. probat, quòd Rom. Pontifex capitula circa cambia, sibi à Bononiẽsibus exhibita non declarat licita, nec illicita, sed approbat quatenus licita sunt, ac honesta, vt patet ex illis verbis. *Præinsert. capitula, ac prout illa continẽt omnia, & singula in instrumento, seu in instrumẽtis, aut documentis, seu scripturis publicis, vel priuatis desuper confectis cõtenta, & inde sequuta quæcunque, licita tamen, & honesta Apostolica auctoritate tenore præsentium perpetuò approbamus, & confirmamus.*

Ad vltimũ negatur cõsequentia, quoniã in casu relato in dictis Rotæ decisionibus campsor accipiendo ad cambium à seipso nomine debitoris pro soluendo mutuũ sibi creditori, per huiusmodi cãbium acquirit sibi aliquid, quod nõ habet; nã acquirit scutũ marcharũ sibi venditũ pecunia mutuata ab ipso mutuatario: at in cãbio, de quo agitur nihil acquirit cãpsor, quod ante non habuerit, vt supra adnotauimus; & ideò inanis est, ac ridicula huiusmodi cambitio, adinuenta ad palliandas vsuras.

Secũdò principaliter est adnot. quòd nõ
37 ex eo quòd in primo, & quarto casibus soluitur primũ cambium per procuratorẽ, seu correspondalẽ cãpsoris cãbium dicitur siccũ; quia supra q. 40. conclusimus posse fieri solutionẽ primi cãbij per procuratorẽ cãpsoris; sed dicũtur sicca, quoniã in eis soluitur primũ cãbium ex credito remissæ, spectãte ad eundẽ campsorẽ, & sic soluitur de pecunia ipsius cãpsoris. vndè rationes, quas adduximus cõtra cãbia, quæ soluũtur in loco cõdicto de propria cãpsoris pecunia, faciũt etiã cõtra cambium, quod soluitur per procuratorem cãpsoris ex credito remissæ spectãte ad campsorẽ; quoniã in huiusmodi cãbio cãpsor nõ acquirit, quod non habet, nec maiorẽ quãtitatẽ eius, quod habet, quę sunt de ratione cõtractus cõmutationis, ac emptionis, seu vẽditionis. vndè sicut inanis, ac ridicula esset emptio bouis ab eo, qui nõ habet bouẽ, & qui recurrit ad emptorem, vt faciat à suo procuratore emere bouẽ, quem ipse emptor cõsequi debet ab ipso vẽditore, vt tradat emptori; ita ridicula, ac inanis est emptio scuti marcharum ab eo, qui illud non habet in nundinis, & qui rogat campsorem, vt mandet suo procuratori, vt de scuto marcharum, quod ipse campsuarius debet

bet campsori, emat aliud scutum ab eodem campsore, & tradat ipsi campsori: siquidem campsor cùm non acquirat, quod non habet, seu maiorem quantitatem eius, quod habet, non dicitur cambire; quia non dicitur emere, nec commutare, vt patet ex ijs, quæ supra diximus. Et re vera imperceptibile videtur, quòd procurator campsoris cùm omni propria pecunia, ac credito careat apud mercatores, possit sibi ipsi loco ipsius campsoris soluere mille aureos Mediolani pro campsuario, cùm dicti mille aurei sint adhuc in campsuarij posse, nec dum aduenerit solutionis tempus, vt constat in primo casu, in illis verbis, *Et perche detto Agente non hà altri danari, ne credito da pigliarli à cambio in Piazza per pagare à se stesso, bisogna si serua del credito della rimessa spettante ad esso Dante*, & sic campsori: quomodo igitur poterit sibi nomine campsoris pro cāpsuario satisfacere de eo, quod nec ipse per se, nec campsor habet.

Non desunt, qui ad hanc rationem respondeant, duobus tamen positis fundamentis. Primum fundamentum est; quòd ius, siue actio, quam habet campsor aduersus suum debitorem totidem valeat, quantum valet creditum si sit liquidum, certum, & exigibile sine labore, & terminus solutionis sit etiam determinatus ad certum tempus, quale est tempus, quod in contractu cambij cum recursa concurrit, quod est breuissimum, ita Salon. qui testatur de communi, in D. Thom. 2. 2. quæst. 78. artic. 2. contr. 17. num. 4. versic. Oppositum docent: & plures alij, quos citat, Ioan. Azor. par. 3. lib. 8. Institut. moral. cap 10. quæst. 5. titul. de empt. & vendit. versic. In hac controuersia, & lib. 10. tit. de camb. cap. 7. quæst. 3. versic. Duæ sunt sententiæ, Boninsign. tract. de dimin. pret. cap. 4. per totum, & alij, qui dicunt, hanc esse veriorem, & tutiorem sententiam. Et id consuetudine roboratur: siquidem sæpe sæpius actionibus, & creditis suis soluunt debita, quæ habent eiusdem quantitatis, & valoris, ceduntque alijs, denuoque cambiis exponunt si sibi expedire videant. Secundum fundamentum est, vt campsuarius, qui cambio recepit sit potens illud soluere, idest, quòd habeat tantùm in bonis, vt possit soluere cambium in loco condicto; aliàs si pauper esset, inanis foret solutio sibi ipsi eum credito remissæ spectante ad campsorem, & creditum ipsum diceretur inexigibile: quapropter his positis fundamentis, aduersarij respondent ad contrarium, dicentes, quòd creditum illud remissæ cùm supponatur exigibile, tantum valet, quantum valent mille scuta recepta primo loco ad cambium; quoniam tantum valet actio ad rem, quantum ipsa res: solutionem autem sibi ipsi facit procurator de credito, cuius tempus solutionis licèt non aduenerit; nihilominus est æquipollēs præfatis mille aureis.

Sed re vera primum fundamentum val-
38 dè controuertitur apud Doctores: nam in contrarium est tex. in l. minus, ff. de regul. iur. dum expresè, ait, quòd minus est actionem habere, quàm rem. Et quamuis in l. qui actionem, ff. eod. habeatur, quòd qui actionem habet ad rem recuperandam, ipsam rem habere videtur; nihilominus id fictè, non autem verè verum est, vt per Glos. ibi, & in d. l. minus; vbi etiam ait, quòd quantum ad executionem factorum sæpe est aliter: nam euentus executionis, & sententiæ est incertus, & consideranda est mora, quæ datur iudicatis, & sumptus faciendi in ferenda sententia. Hinc sequitur, quòd ad dignoscendum, an actio sit iusto pretio vendita, sunt æstimandæ litis expensæ, labores, & dubius euentus, vt per Bart. in l. per diuersas, C. mand. Castr. cons. 393. sub num. 3. vers. Circa quartam, & vltimam, par. 2. vbi etiam ait, considerandam esse personam cedentis, an sit pauper tempore cessionis: & ita fuit resolutum per Rot. Rom. decis. 357. sub num. 12. post nostra Commentar. de censib. Quocirca actio ad feudum minus est, quàm feudum, vt post alios Vincent. de Franch. decis. 75. num. 3. Et sicut emptor tardè, & cum dilatione soluens, minus soluit; ita è conuerso anticipatè soluens, plus soluit, vt latè post alios Scac. de commerc. & camb. §. 1. q. 7. par. 1. sub num. 76. vbi ex hoc infert; distātibus solutionibus marcharum, eas viliori pretio vendi, quàm approximantibus: & id non solùm, quia maior est copia marcharum si dilata sit earū solutio,

quàm si nō sit dilata; & quo maior sit copia mercis, eo minus est illiū preriū, sed etiam quia campsores in emptione, seu vēditione scutorum marcharum haberent rationem, & intuitum ad tempus dilatæ solutionis, ita vt carius emant non dilata traditione marcharum, & venditores vilius vendant anticipatori venditione; quod quidem verum esse ait Scac. loco citato, num. 77. tàm in cambijs, quàm in omnibus alijs cōtractibus empt. & vēdit. Siquidem in iis omnibus augetur pretium ex dilata, ac credita pretij solutione, quia minus valet pecunia absens, quàm præsens: & ex eis, qui recipiunt cambio vix reperitur aliquis, qui adeo sit diues, & punctualis solutor, vt creditum sit omnino securum, & sine periculis, ac expensis exigibile, vt experientia docet.

Sed quicquid sit de supradicto fundamento, etiam si demus, tanti valere ius ad rem, quanti rem ipsam, & actionem ad creditum quanti valet creditum, id non esset plusquam soluere cambium pecunia campsoris, quia tantum valeret creditū remissæ pertinens ad campsorem, quantum actio ad ipsum creditum: at nos reprobauimus supra posse procuratorem campsoris sibi soluere ex pecunia ipsius campsoris; ergo & de credito remissæ spectante ad eundem campsorem.

Quæ diximus de supradicto cambio extendimus ad cambium, in quo campsuarius recurrit ad campsorem, & scribit litteras ad seipsum campsuarium, vt soluat sibi ipsi ex credito remissæ ad eundem campsorem spectante: siquidem hoc cambium parum distat à præcedenti, cùm campsuarius gerat personam campsoris, & soluat sibi ipsi vti eiusdem procuratori, nec ipsius litterarum formulæ differunt ab illis, quæ fiunt in cābio, in quo campsuarius recurrit ad ipsummet campsorem, qui dedit ei cambio, vt de propria pecunia pro eodem per se soluat in nundinis: solùm differt hoc cambium in persona, cui committitur solutio litterarum cambij: nam in hoc cōmittitur ipsimet campsori, & creditori de propria pecunia: & in illo committitur solutio ipsimet campsuario, & sic debitori de credito campsoris ad cambium accipiendo per ipsum campsuarium: & sicut in isto campsor, qui se confert ad nundinas duplicem personam repræsentat, campsoris scilicet, & campsuarij; ita in illo cùm campsuarius tantùm vadit ad nundinas gerit etiam duplicem personam, nempe campsuarij, & campsoris.

Tertiò est adnot. quòd primum, & quar-
39 tum cambia in 1. & 4. casibus relata non ex eo fuerunt declarata non subsistere, quòd in eis recambiatur per loca celebrati contractus; nam in cambio quinti casus fit recambitio, vel saltem reflectitur creditum campsori cum interesse recambij ad locum vbi fuit celebratus contractus, & tamen per Sacram Congregationem fuit declaratum subsistere: sed duo priora cambia fuerunt per eandem Sacram Congregationem declarata inualida, quoniam à principio contractuum campsuarii fuerunt, mediante pacto, obligati cambire per loca contractuum, vt patet in primo cambio in illis verbis, *Et che il debito sia di nuouo tratto alle seguenti fiere d'Agosto.* Et in quarto, ibi, *E trarrà di nuouo il suo debito à Genua.* Etenim, stante huiusmodi obligatione licèt talis contractus nominetur cambium; in re tamen non est tale, sed est mutuum reddendum cum lucro in loco celebrati contractus, atque ideò cambium siccum, vt expressè colligitur ex nostra Extrauag. hoc eodem §. in illis verbis, *Pecunia ibi denique cum interesse reposcitur, vbi contractus fuerit celebratus, nam inter dantes, & accipientes, vsque à principio ita conuenerant.* Siquidem ad iustitiam cambij cum recursa exigitur, vt recambium fiat ad instantiam campsuarij, cùm id fieri non possit, nisi propter charitatem, & amorem erga campsuarium: secus autem si fiat gratia campsoris; quia huiusmodi cambium diceretur siccum, vt rectè probat Scac. de commerc. & camb. §. 1. quæst. 7. par. 3. limit. 15.

An cambia, quæ per Sacram Congregationem supra relatam fuerunt declarata non subsistere, non subsistant, quia re ipsa sint sicca, & vsuraria; vel quia sint præsumptiuè talia. Q. XLIII.

SVMMARIVM.

1 Cambia, *quæ non subsistunt, eo quòd sint ficca, & vsuraria sunt inualida quoad vtrumque forum: quæ verò præsumptiuè tantùm sunt vsuraria, quoad forum interius possunt esse valida, si in rei veritate non sint talia.*

2 *In foro conscientiæ non attenditur præsumptio, sed rei veritas.*

3 *Vnus, & idem contractus quoad forum interius potest esse licitus, qui tamen illicitus est quoad forum exterius.*

4 *Census, cuius pretium soluatur in mercibus, licèt quoad Deum, & quoad forum interius sit licitus; quoad forum tamen exterius vi Bulla Pij Quinti non licet, & in Regno sic contrahentes, vt vsurarij damnantur.*

5 *Cambia per Sacram* Congreg. *damnata ficca, ac vsuraria præsumptiuè tantùm esse qui teneat, refertur.*

6 *Cambia, de quibus agitur, Sacra* Congreg. *declarauit ficca, & non subsistere, quia re ipsa sunt vsuraria, & non præsumptiuè tantùm.*

7 *Lex generaliter loquens, generaliter debet intelligi; & quando non distinguit, nec nos distinguere debemus.*

8 *Verba simpliciter prolata, in dubio debent intelligi in potiori significatu, & accommodari communi vsui loquendi.*

9 *Cambium, in quo campsuarius obligatur ad recambiendum per locum celebrati contractus, cur sit vsurarium, ratio redditur.*

10 *Cambium habet magnam familiaritatem cum mutuo, & est de vsura valdè suspectũ, & de facili ficcum iudicatur.*

11 *Cambia declarata per Sac.* Congreg. *non subsistere, quod re ipsa non subsistant, sufficienter probatur.*

12 *Frater Franciscus de Genua* Capuccinorum *Ordinis Vicarius Generalis, &* S.D. N.D. *Vrb. PP. VIII. Prædicator, laudatur.*

1 AD tit. q. explicationem est adnot. quòd multum interest, cambia non subsistere, eo quòd re ipsa sint ficca, & vsuraria: & non subsistere, quia sint præsumptiuè talia: siquidẽ cambia primi generis sunt inualida non solùm quoad forum exterius, sed etiam quoad forum interius: cambia verò secundi generis licèt quoad forum exterius nõ subsistant; quoad forũ tamẽ interius si seriò celebrentur, & citra omnẽ fraudem, sunt valida, & lucrũ licitè ex eis percipitur: quia in foro conscientiæ nõ attenditur præsumptio, sed rei veritas, cum in tali foro so-
2 lum ius Diuinum, ac naturale locum habeat, vt post alios inquit Scac. de cõmerc. & camb. §. 1. q. 1. sub num. 213. Hinc sequitur, quòd vnus, & idem contractus potest esse licitus, ac iustus quoad forum interius,
3 & apud Deum; qui tamen sit illicitus, ac iniustus apud homines, & aliquando etiam vsurarius quoad forum exterius. Sic pre-
4 tium census si citra vllum dolum constituatur, & soluatur in tot mercibus, aut in alijs rebus æstimatis, pretio in valore æquipollentibus, contractus censualis apud Deum, & quoad forum interius, ac conscientiæ est licitus, ac iustus, vt latè probauimus in nostris Commentar. in Extrauag. Pij V. de cẽsib. §. 2. q. 2. & nihilominus quoad forum exterius, huiusmodi contractus per eandem Extrauag. omnino damnatur, & non modò illicitus, sed etiã vsurarius decernitur. Imò in Regno Neapolitano extat pragmatica, quam in d. §. 2. q. 1. num. 11. in fine retulimus, qua contractus censuales constituti citra pecuniam numeratam in solis rebus æstimatis, nulli, ac vsurarij declarantur, & contrahentes, ac Notarij pęnis plectuntur. Et hoc ideò, quia in tali contractu non nullæ fraudes, ac iniustitiæ committi solent, & vsuræ maximè palliari. Siquidem ementes census sæpe conspicientes eos, qui illos vẽdunt pecunia valdè indigere, compellunt percipere pretium census partim in pecunia numerata, & partim in mercibus, vel etiam totum in mercibus, aut in alijs rebus, quibus non indigent, & quas supra iustum pretium eisdem vendunt, non citra notabile damnum ipsorum censum venditorum: nam easdem merces postea multò vilius distrahunt pecuniarum necessitate compulsi. Pactum pariter de soluendo certum, ac determinatum interesse in casu non solutionis cambij, quando interesse determinatio est æqua apud Deum, & quoad forum interius, est validum; sicut validum quoque in foro conscientiæ est pactum obligans morosum census debitorem ad interesse

lucri cessantis, vt ostendimus in dictis Cōmentar. §. 4. quæst. 23. num. 17. & infra dicemus, §. 2. q. 1. lim. 2. & tamen quoad forū exterius de huiusmodi interesse pactum omnino damnatur; quoniam præsumitur initum in fraudem vsurarum, vt ibidem ostendimus. His sic stantibus, quæritur modo. An cambia prædicta per Sac. Congregat. declarata non subsistere, non subsistant, quia sint intrinsecè mala, vel præsumptiuè tantum illicita, & vsuraria.

In hac difficultate Less. lib. 2. de Iustit. &
5 iur. cap. 23. dub. 7. sub num. 71. & 72. ait speculatiuè veriorem sibi videri sententiam eorum, qui huiusmodi cambia volunt non esse contra iustitiam: sed quia vsurarum inducunt præsumptionem iuris, & de iure exercentes ea in foro exteriori possunt puniri tanquam vsurarij: vndè præsumptiuè tantùm dicuntur esse vsuraria. In eandem sententiam videtur inclinare Filliuc. tom. 2. qq. moral. tract. 35. par. 2. de cens. & camb. cap. 8. q. 4. num. 437. & non nulli alij: quapropter, dum Sacra Congregatio, cambia prædicta declarauerit, non subsistere, videtur dicendum ea, ita declarasse, non quod vsuraria sint præsumptiuè tantùm, & quoad forum exterius: intentio enim campsorum ita cambientium nō videtur esse alia, quàm dare pecuniam cū obligatione, vt in eodem loco restituatur: nec videntur agere seriò, sed solùm causa tegendi mutuū: vt per eundem Filliuc. loco citato, num. 438. qui ob id inquit, talem cambiendi modum esse dissuadendum; post factum tamen non esse facilè condemnandum, maximè si qui eiusmodi cambia celebrauerint bonam fidem habuerint, communem vsum sequentes.

His tamen non obstantibus contrarium
6 arbitror esse dicendum, nempe quòd Sacra Congregatio dum declarauit, cambia, de quibus agitur, non subsistere eam voluisse declarare re ipsa esse sicca, & vsuraria. Probatur hæc sententia primò, quoniam huiusmodi cambia apud grauissimos Doctores simpliciter tanquam sicca, ac vsuraria damnantur, vt habetur ex Sot. lib. 6. de Iustit. & iur. q. 10. art. 1. Molina de contr. disp. 404. sub num. 7. Mercat. lib. 4. de camb. cap. 7. Romoal. Col. de camb. cap. 22. concl. 2. Palac. Comit. Rebell. & ex alijs quos refert Filliuc. tom. 2. qq. moral. tract. 35. par. 2. de censib. & camb. cap. 8. q. 2. num. 430. & P. Iustin. de contin. camb. q. 12. Vndè præsumendum est Sacram Cōgregationem huic sententiæ voluisse adherere tanquam tutiori, & quæ habet pro se Doctores magni pōderis, & numero maiores. Præterea Sacra Congregatio simpliciter declarauit, prædicta cambia non subsistere, nec distinxit, an re ipsa non subsistant, vel præsumptiuè dicantur non subsistere; ergo simpliciter est intelligenda, quòd re ipsa non subsistant tāquam sicca, & vsuraria, & non præsumptiuè tantùm: quoniam lex generaliter loquens
7 generaliter debet intelligi, & quando non distinguit, nec nos distinguere debemus, vt in l. 1. §. generaliter, ff. de legat. præst. & l. de pretio, ff. de public. in rem act. Etenim verba simpliciter prolata in dubio debent
8 intelligi in potiori significatu, & accōmodari communi vsui loquendi, vt in l. labeo, & ibi Glos. & Doctor. ff. de supel. legat. sed potior significatus verborum illorum, *non subsistere*, & communis vsus loquendi denotant actum re ipsa nullum, & non præsumptiuè tantùm, vt consideranti patet: ergo eodem modo intelligenda est prædicta Sacræ Congregationis declaratio, vt cambia, de quibus agitur, non subsistant, quia re ipsa inualida sunt, sicca, & vsuraria, & non præsumptiuè tantùm. Rursus in primo, & quarto casibus à Rep. Genuen. propositis, quos q. præced. ad verbum retulimus, campsarius obligatur ad recambiendum per locum celebrati contractus, vt patet ex verbis d. 1. casus in prin. & in fin. & ex d. 4. casu, ibi, *Et perche Pietro non hà in Piacenza ne denari, ne credito, ne corrispondente alcuno, Dante gli offerisce Curtio suo procuratore, il quale comprarà in fiera per lui la lettera, & trarrà di nuouo il suo debito à Genua.* Clarè quoque constat de praua intentione campsoris recipiēdi cambium in eodem loco, in quo fuit celebratus cōtractus, & sic de intentione mutuandi sub lucro, & non cambiendi: nam dum campsor scit campsuarium non habere creditum in loco destinatæ solutionis, certò quoque nouit, primum cambium per recambium esse soluendum in eodem loco, vbi fuit celebratus contractus, contra dispositionem nostræ Extrauag. in illis verbis

Pe-

Pecunia ibi denique cum interesse repositur, vbi contractus fuerat celebratus, &c. quibus adde, quæ supra adnotauimus, quæst. 33. sub num. 21. 22. & 23. & q. 34. sub num. 13. Si igitur dicta cambia sunt contra dispositionẽ nostræ Extrauag. atque ideo re ipsa sicca sunt, & vsuraria, prout d. Extrauag. decreuit talia esse; ergo vi dictæ Congregationis declarantur non subsistere, quoniam sicca, & vsuraria re ipsa sunt, & non præsumptiuè tantùm.

9 Rationẽ autẽ cur cambiũ sit siccũ, & vsurariũ, in quo cãpsuarius obligatur ad recãbiendum in loco celebrati cõtractus, eam esse ait Scac. de cõmerc. & camb. §. 1. q. 7. p. 3. limit. 15. num. 4. quia huiusmodi onus super additur cambio, cui ex sui natura non est debitum, atque adeo est impudens, ac illicitum: siquidem in mutuo sicut non additur onus, quod sit pecunia æstimabile, quin sit vsura, vt in cap. fin. de vsur. ita etiam non debet addi cambio, quod maximam
10 familiaritatem habet cum mutuo, & est de vsura valdè suspectum propter varias fraudes, quæ in cambijs adhiberi solent: qua propter de facili iudicantur sicca, vt latè probat Molf. p. 2. suæ sum. tract. 12. cap. 7. num. 92. Secunda ratio est non solùm propter onus super additum; sed etiam propter oneris qualitatem: nam dum obligatur cãpsuarius ab initio celebrati contractus ad recambiendum per locum vbi fuit celebratum contractum clarè conuincitur campsor de praua ipsius intentione, & impudentia mutuandi sub lucro, & non cambiendi, & quòd vtatur cambitione cum tali circuitione in fraudem vsurarum, atque adeò, vt lucretur campsor per circuitionem cambij id quod non potest directè per mutuum. Quod quidem ampliat verum esse Scac. loco citato, sub num. 1. cõtra Nauar. & Azor. etiam si campsor ob tale onus remitteret campsuario octauam partem pretij cambij.

Et re vera verba illa, *Non subsistere*, non
11 possunt aliter interpretari quàm secundum interpretationem supra relatam quia cambia prædicta re ipsa non subsistere, solida ratione probat Garz. de contract. cap. 37. sub num. 7. quem refert Iustin. de contin. camb. q. 12. sub num. 19. dum ait, qui dat cambio Genuæ, v.g. per Placentiam, & sic per nundinas intendit habere pecuniam in nundinis, quam ibi non habet, vel maiorem quantitatem pecuniæ, quam habet: sed qui dat cambio, & in nundinis ex propria pecunia soluit cambium, nõ vult habere pecuniam, quam non habet, vel saltem non intendit habere maiorem quantitatem, quàm ibi habet, vt consideranti patet: ergò manifestè conuincitur campsor velle dare mutuo sub lucro sub cambij pallio, & non dare cambio. Confirmatur: quia qui dat cambio Genuæ per Placentiam, atque adeò per nundinas, emit Placentiæ scutum marcharum; & qui accipit cambio scutum illud, dicitur ibidem vendere, vt sæpe diximus: sed contrahentes in casu nostro clarè conuincuntur nolle emere, nec vendere huiusmodi scutum: ergo clarè etiam conuincuntur nolle dare, nec recipere cambio. Minor probatur; quia campsuarius non habet scutum illud Placentiæ, & sic in nundinis, & propterea non dicitur vendere. Nec campsor dicitur emere; quoniam, qui emit, vel vult habere rem, quam non habet, vel intendit habere maiorem quantitatem rerum, quàm habet: hæc autẽ non intendit campsor, cùm ex propria pecunia soluit cambium, vt probat Garz. loco citato: ergo non dicitur emere. Denique de hac re per me consultus Reuerendissimus Fr. Franciscus de Genua Or-
12 dinis Capucinorum Generalis Procurator, & ad præsens Vicarius Generalis, S. D. N. D. Vrbani Papæ Octaui concionator insignis, ex Illustri Nigrorum familia ortus, tum vitæ sanctitate, tum etiam singulari eiusdem doctrina celeberrimus, ac vnus ex septem supra relatis viris doctissimis à Sanctissimo Domino Nostro pro cambiorum materia deputatis, respondit arbitrari mentem præfatæ Congregationis non aliam fuisse, quàm per illa verba, *Non subsistere*, declarare, cambia, de quibus est controuersia, idcircò non subsistere, quia re ipsa sunt sicca, & vsuraria, & non ex eo, quòd præsumantur talia.

As

An propter campsorum consuetudinem celebrandi cambia illa, per Sac. Congreg. declarata non subsistere, quæsita ex eis bona fide ante dictam declarationẽ, sint restitutioni obnoxia. Q. XLIV.

SVMMARIVM.

1 *Contractus vsurarios celebrantes licitos communiter existimatos in Regione, vbi fuerũt celebrati, excusantur.*

2 *Faciens aliquid, quod communiter æstimatur licitum, non censetur malè agere.*

3 *Opinio Docti Viri excusat à transgressione legis.*

4 *Cambia declarata per Sacram Congregationem non subsistere, ante eiusdem declarationem si quis celebrauerit, quæsita ex eis tenetur restituere.*

5 *Consuetudo in materia vsurarum non suffragatur.*

6 *Pensiones percipiens ex censu nullo, quia vsurario, nõ excusatur à restitutione, etiam si bona fide eas perceperit, aut si fuerit Minor, aut mulier.*

7 *Pretium, seu capitale cambij sicci remanet penes campsuarium tanquam purum mutuum.*

8 *Indebitum bona fide recipiens putans sibi debitum, non excusatur ab indebiti restitutione.*

9 *Fructus consumptio in materia vsurarum non excusat ab eorum restitutione.*

10 *Campsores si percepta ex cambijs siccis, bona fide celebratis, consumpserint, ita demum ea tenentur restituere, si locupletiores facti sint, aliàs secus.*

11 *Fructus ex alterius fundo bona fide percipiens, suos sibi facit.*

12 *Campsor percepta ex cambijs siccis, bona fide celebratis, potest sibi retinere ratione interesse.*

13 *Obligatio campsuarij ad recambiendum per locum celebrati contractus, reddit cambium illicitum, & vsurarium.*

14 *Cambium cum recursa, & recambio, exigit ad sui iustitiam, vt recambium fiat ad instantiam, & in gratiam campsuarij; non autem in gratiam campsoris.*

15 *Quæsita ex cambijs siccis bona fide celebratis antequam per Sacram Congregationem fuerint declarata non subsistere, an sint restitutioni obnoxia, declaratur.*

16 *Opinio probabilis, quæ propriè dicatur.*

17 *Opinio probabilis an excuset non solùm à culpa, sed etiam à restitutione.*

18 *Probabilis sententia tenenda est, quam consuetudo approbat.*

19 *Consuetudo est optima legum interpres.*

20 *Consuetudo non datur contra legem naturalem, & Diuinam.*

21 *Consuetudo non inducitur contra legem naturalem, & Diuinam certam: secus si dubia sit; quoniam consuetudo huiusmodi legem interpretatur.*

22 *Contractus clarè, & non dubiè vsurarius licèt ratione consuetudinis excuset à culpa, & pœna; non tamen excusat à restitutione; nisi adsit aliqua ratio interesse.*

IN hac re Nauar. lib. 1. suorum consil.
1 cons. 20. seu 4. in nouissima impressione, sub tit. de vsur. Rodr. in sua sum. p. 2. c. 108. concl. 8. & non nulli alij docent, quòd celebrantes contractus aliquos licitos communiter existimatos in Regione, in qua celebrantur; estò quòd in se sint vsurarij, & vsuras acceperint credentes eas licitè consequi potuisse, excusantur. Mouentur autem ex eo, quòd qui facit aliquid, quod publicè existimatur licitum, non censetur malè fa-
2 cere, vt in l. quid sit fugitiuus, §. apud labeonem, ff. de edil. edic. sed cambia vt supra declarata illicita, ac non subsistere, ante dictam declarationem, in nũdinis, & communiter à campsoribus licita, ac realia censebantur: ergò qui ea celebrauit bona fide ante declarationem credens licita, ac realia esse, non solùm excusatur à culpa, sed etiam ex perceptorum ab eis restitutione. Confirmatur, quoniam opinio docti viri excusat à
3 transgressione legis, vt in c. Cappellanus, & ibi Glos. & Doctor. de fer. ergo multo magis consuetudo, & communis error contrahendi huiusmodi cambia debet excusare contrahentes ipsos ab vsuræ labe, à culpa, & à quæsitorum ex eis restitutione, arg. tex. in l. Barbarius, ff. de offic. Prætor.

His tamen non obstantibus, oppositam sen-

4 sententiam puto veriorem non esse. Etenim
per Sacram Congregationem fuerunt de-
clarata cambia, de quibus agitur, non subsi-
stere, eo quòd sint sicca, & vsuraria, vt q.
pręced. ostendimus, at in materia vsurarum
5 consuetudo non suffragatur, vt in c. quia in
omnibus, & ibi Glos. de vsur. Roch. in c. fin.
in 3. not. de cõsuet. & extat decis. Rot. Rom.
28. sub num. 32. & 33. post Zacch. tract.
de societ. offic. impressa, in vna Romana so-
cietatis, 29. Iun. 1601. coram b.m. Card.
Mellino. Confirmatur hæc sententia ex ijs,
quę nos adnotauimus in nostris Commen-
tar. ad Extrauag. Pij V. de censib. §. 3. q. 20.
ampl. 2. & 3. à num. 5. ad 18. vbi probaui-
6 mus quòd percipientem pẽsiones ex censu
nullo, quia vsurario, non excusat ab earum
restitutione bona fides, nec ętas, nec sexus,
nec ęquitas l. curabit, C. de action. emp. eo
quòd propter census inualiditatẽ pretium
remanet apud venditorem illius tanquam
purum mutuum, vt ibidẽ ostendimus, num.
3. ergò idem dicendum est in casu nostro,
cùm militet eadem ratio, arg. tex. in l. illud,
ff. ad leg. Aquil. Etenim supposita inualidi-
7 tate cambij tanquam sicci, cùm pretium il-
lius seu capitale remaneat penes campsua-
rium tanquam purum mutuum ab eo citra
vsuram ab eo percipi aliquid non potest. vt
in cap. consuluit, & ibi latè Doctor. de vsur.
Hæc eadem sententia probatur rursus, quia
recipiens bona fide indebitum existimans
8 sibi deberi, non excusatur ab indebiti resti-
tutione, vt patet ex toto tit. de cõdit. indeb.
ergò bona fide percipiẽs aliquid ex huius-
modi cambijs vsurarijs putans sibi debi-
tum, cùm non sit, ad eius restitutionem te-
netur.

Ampliatur hæc sententia, vt percepta ex
9 huiusmodi cãbijs bona fide celebratis sint
restitutioni obnoxia, etiam si bona fide fue-
rint consumpta: quoniã licèt fructus bona
fide consumpti regulariter non veniant re-
stituendi, vt in l. bonę fidei, ff. de acquir. rer.
domin. & id maximè si concurrat legitima
præscriptio, seu vsucapio; nihilominus cum
simus in materia vsuraria, eorũ consumptio
à restitutione nõ excusat, vt nos latè osten-
dimus d. q. 20. num. 10. pro qua re adduxi-
mus Rot. Rom. decis. 119. post dicta nostra
Commentaria impressam, in vna Romana
census de Mutinis, 11. Decẽb. 1602. coram
10 Reuerendissimo Sacrato. Quam tamen am-
pliationem puto veram, vbi campsores ex
consumptione eorum, quę ex dictis cambijs
perceperũt facti fuerint locupletiores: secus
autem si locupletiores non fuerint effecti, vt
constat ex ijs, quæ habentur ex Molina de
cõtract. disp. 350. sub num. 5. siquidẽ huius-
modi campsores nõ tenentur restituere ra-
tione iniustæ acceptionis, eo quòd bona fi-
de contraxerunt: ergò tenentur ratione rei
acceptæ, quatenus facti sunt locupletiores.
Vndè ex hoc infert ipse Molina quòd qui in
vendendo bona fide, ac ignoranter latitu-
dinem iusti pretij excessit, excessum bona
fide consumptum non tenetur, restituere,
nisi in quantum ex illo contractu factus est
locupletior. Imò si res ex huiusmodi cãbijs
quæsita sit fructifera, vt quia campsuarius
pro interesse cãbij soluit equum, boues aut
11 fundum, tunc campsor percipiendo ex eis
fructus bona fide, suos sibi facit: siquidem
probabilis ignorantia, seu error, & bona fi-
de sunt satis ad fructus acquisitionem iuxta
ea quæ docet Couar. lib. 1. var. resol. cap. 3.
num. 8, quibus adde Tanner. 2. 2. D. Thom.
disp. 4. q. 7. dub. 3. num. 99.

Sic ampliata limitatur hæc eadem sentẽ-
12 tia, vt quamuis percepta ex huiusmodi cã-
bijs bona fide celebratis sint restitutioni
obnoxia; nihilominus cãpsor posset ea sibi
retinere ratione lucri cessantis, pro rata ta-
men, qua eiusmodi interesse ex causa talis
contractus fuerit passus. Etenim Less. lib. 2.
de Iust. & iur. cap. 20. num. 10. ex nõ nullo-
rum sententia inquit, quòd qui bona fide fe-
cit contractum vsurarium, aut alia ratione
iniustum, quem si talem sciuisset, alium iu-
stum proculdubio celebrasset, potest ratio-
ne lucri cessantis, veritate comperta, tãtum
retinere, quantum cõtractu illo iusto lucra-
tus fuisset. Quam quidẽ sententiam impro-
babilem haud esse putat Less. ibidem num.
150. si limitetur ad illos contractus, in qui-
bus vterque contrahentium censetur con-
sentire in eosdem titulos, ita vt is, cum quo
contrahitur, intendat dare lucrum omni iu-
sto titulo, quo alter contrahens intendit il-
13 lud percipere. quod satis est si implicitè idẽ
intendant, vt post Tanner. loco citato P.
Dian. p. 3. resol. tract. 5. Misc. resol. 91. Ceto-
rum

rũ si id nõ intendant cõtrahentes, nõ video quomodo campsor ex dictis cambijs bona fide celebratis, possit quæsita ex eis ratione interesse lucri cessantis sibi retinere, licèt re vera illud fuerit passus: quia cum prædicta cambia sint vsuraria, q. æsita ex eis veniunt restituenda, etiam si ratio aliqua interesse concurrat, vt patet ex resolutis in d. decis. 319. sub num. 5. & nos adnotauimus in d. q. 20. sub num. 10.

Secũdò limitatur conclusio vt locum sibi
13 vendicet, vbi in cambijs, de quibus agitur, campsuarius tempore contractus obligatur ad recãbiendũ per eũdē locũ, in quo fuit celebratus cõtractus primi cãbij; quoniam tunc cambia essent manifestè sicca, & vsuraria. Etenim stante tali obligatione, licèt tales contractus à contrahentibus nominentur cambia, in re tamen nõ sunt talia; sed est mutuum reddẽdum cum lucro in loco celebrati cõtractus sub pallio recambij, vt expressè colligitur ex nostra Extrauag. in illis verbis, *Pecunia ibi denique cum interesse reposcitur, vbi contractus fuerat celebratus: nam inter dantes, & accipientes vsque à principio ita conuenerant, &c.* Siquidem ad iustitiam cambij cum recursu exig tur, vt re-
14 cambium fiat ad instantiam cãpsuarij, cùm id fieri non possit, nisi propter charitatem, & amorem erga campsuarium: secus autem si fieret gratia campsoris, aliàs diceretur siccum, vt latè habetur ex Seac. de commerc. & camb. §. 1. q. 7. p. 3. limit. 15. & Iustin. de contin. camb. q. 9. sub num. 10.

Vndè si in cambijs, de quibus est cõtro-
15 uersia, campsuarij nõ obligantur ad recambium per locum celebrati contractus, quæsita ex eis bona fide celebratis vigore supra relatæ cõsuetudinis, ante declarationẽ nouissimè factam per supra relatam Sacram Congregationem, probabiliter dici potest, non esse restitutioni obnoxia. Nam ante dictam declarationẽ erat probabilis Doctorum sententia docens dicta cambia esse iusta dum campsuarij non obligantur ad recambiendum per locũ in quo fuit celebratum primum cambium, vt testatur Filliuc. tom. 2. qq. moral. tract. 35. p. 2. de camb. c. 8. q. 4. cõcl. 3. in fin. sub num. 436. & habet pro se Doctores magni ponderis, nempe Nauar. consil. 31. lib. 5. de vsur. in noua impressione, & in antiqua, consl. 1. eod. tit. Boninsl. cap. 7. de cãb. num. 7. 8. & 9. Salas eod. tract. dub. 12. num. 2. Seac. de commerc. & cãb. §. 6. Glos. 1. num. 43. Less. lib. 2. de iust. & iur. c. 23. dub. 7. num. 7. Salon. de camb. q. 4. ar. 2. cõcl. 12. & alios quos refert Filliuc. loco citato, num. 431. Etenim ad fa-
16 ciendam opinionem probabilem satis est auctoritas Doctoris valdè periti, & bonæ conscientiæ, vt habetur ex Nauar. in Man. cap. 27. num. 288. cum alijs, quos refert, & sequitur Filliuc. tom. 2. qq. moral. tract. 21. cap. 4. q. 4. num. 134. eò maximè, quando probabilibus corroboratur rationibus, & respondetur ad argumenta in contrarium, prout Salas loco citato, & allij in casu nostro. At qui secundum opinionem probabi-
17 lem iudicat, vel alio modo operatur, prudenter agit, & excusatur etiam in damnum alterius, vt post alios Sayr. lib. 1. Clauis reg. cap. 11. sub num. 13. atque adeo excusatur à culpa, & à restitutione, vt patet ex traditis per eundem Sayr. loco citato, sub num. 14. cũ plur. seq. Sanch. Salas, & alios, quos refert, & sequitur Bonac. de legib. disp. 2. q. 4. pun. 9. sub num. 15. vers. Dixi in septima illat. & eo maximè, quia sententia probabilis in casu de quo agitur habet secum consuetudinem sibi annexam; siquidem illa
18 sententia probabilis est tenẽda, quam consuetudo approbat, vt per Afflict. decis. 173. num. 2. & 3. & alios, quos refert, & sequitur Tusch. ver. Opinio, concl. 153. nam cõsuetudo est optima legum interpres; & pro-
19 pterea quando lex est dubia recurrendum est ad consuetudinem loci, & si de ea appareat, non est recedendũ ab intellectu, quem consuetudo tribuit, etiam si ex post facto appareat, quod talis intellectus in se non sit bonus, vt habetur ex Panor. in c. cum dilectus, sub num. 7. de consuet.

Nec obsta si dicatur, quòd talis cõsuetu-
20 do sit contra legem naturalem, qua prohibentur vsuræ, atque adeo cambia sicca, & vsuraria, de quibus agitur: at contra legem naturalem, & Diuinam non datur consuetudo cap. quæ contra cap. mala, & cap. frustra, 8. d. quoniam respondetur, consuetudi-
21 nem non induci contra legem naturalem, ac Diuinam certam: secus autem si dubia sit, vt in casu nostro ante declarationem

Sa-

Sacræ Congregationis; quoniam tunc per consuetudinem rectè interpretatur, vt habetur ex Panor. in c. 1. de iudic. & Nauar. in Man. cap. 27. num. 285. & 286. Dixi, *ante declarationem Sacræ Congregationis*. Quoniam post declarationem, sententia, quòd præd. cambia sint licita amisit probabilitatem, & non dicitur amplius probabilis iuxta ea, quæ habentur ex Bonac. de legib. disp. 2. q. 4. pun. 9. sub num. 17. in fin. Vndè licèt contrahentes post dictam declarationem non excusarentur; excusantur tamen, qui cōtraxerunt ante declarationem ipsam eo quòd dicta cambia non sunt manifestè sicca, & vsuraria, nec manifestam continent iniustitiam, vt latè probat Filliuc. tom. 2. qq. moral. tract. 35. cap. 8. sub num. 436. in fin. & 437. Et re vera hæc limitatio videtur procedere citra dubitationem aliquam si legitima concurrat præscriptio, vt infra q. seq. latius, Deo duce, dicemus.

Ad argumentum ex Nauar. & alijs, re-
32 spondetur, quòd prædict. Doctor. loquuntur de contractu certè, & non dubiè vsurario; & non dicunt, consuetudinem excusare contractum ab eiusdem nullitate, & ex vsurario illum facere non vsurarium; sed excusare tantum bona fide contrahentes à peccato, & restitutione, si aliqua ratio lucri cessantis concurrat, iuxta ea, quæ supra adnotauimus, limit. 1. quod nos non negamus. Ad tex. in l. quid sit fugitiuus, §. apud labeonem; & ad confirmationem ex c. Cappellanus, dicitur, quod consuetudo excusat à culpa, & à pęna; non autem à restitutione, nisi adsit aliqua ratio interesse, vt patet ex traditis in d. limit. 1. vel ageretur de contractu non certò, sed dubiè vsurario, & probabiliter licito, iuxta ea, quæ supra cumulauimus, limit. 2.

An quæsita ex cambij, quæ per Sacram Congregationem declarata fuerunt non subsistere, possint retineri, et non restitui ratione alicuius præscriptionis. Q. XLV.

SVMMARIVM.

1 *Præscriptio, & allegatio bonæ fidei nihil operantur in materia vsurarum.*

2 *Pensionum perceptarum ex contractu censuali nullo, quia vsurario restitutionem non excusat earum consumptio, nec bona fides, nec præscriptio, nec allegatio bonę fidei, nec æquitas, l. curabit.*

3 *Ignorantia iuris impedit præscriptionem, & num. 11.*

4 *Præscriptio, seu vsucapio quatuor exigit ad sui inductionem.*

5 *Vsura est rapina.*

6 *Cambia, quæ per Sacram Congregationem notissimè declarata sunt non subsistere, sunt in duplici differentia.*

7 *Quæsita ex cambijs siccis, & certò vsurarijs ante declarationem Sacræ Congregationis sunt restitutioni obnoxia, non obstante quacunque consuetudine, seu præscriptione, & vsucapione.*

8 *Bona fides ad præscriptionem requisita debet esse probabilis.*

9 *Contra legem naturalem, ac Diuinā certam, sicus non potest induci consuetudo, ita etiam non potest induci præscriptio.*

10 *Quæsita ex cambijs siccis, & vsurarijs, quæ ante declarationem S. Congr. nō erant certò vsuraria; sed dubiè tātùm, possunt legitima præscriptione, seu vsucapione retineri.*

11 *Ignorantia iuris dubij satis est ad inducendam præscriptionem: non autem ignorantia iuris clari.*

12 *Titulus ad præscriptionem sufficiens non est opus, vt sit verus; sed satis est si sit coloratus, aut præsumptus: qui quidem nec exigitur in præscriptione 30. vel 40. annorum.*

13 *Præscriptione 30. vel 40. annorum tollitur omnis actio.*

14 *Furtum quodcunque est fraudulentum.*

15 *Quæsita ex cambijs siccis, quæ ante declarationem Sacræ Congregationis nō erant certò vsuraria, si sunt res mobiles vsucapiuntur spacio trium annorum inter præsentes, & quatuor inter absentes: si verò sint res immobiles præscribuntur spacio 10. annorum inter præsentes, & 20. inter absentes.*

16 *Res mobiles spacio trium, vel quatuor annorum vsucapiuntur: immobiles vero spacio 10. vel 20. præscribuntur.*

17 *Præscriptio, seu vsucapio triennalis, vel quadriennalis habet locum etiam contra Ecclesiam Romanam.*

18 *Præscriptio rerum immobilium contra Ecclesiam debet esse 40. annorum, & contra Ecclesiam Romanam 100.*

19 *Præscriptio, seu vsucapio fuit introducta, ne dominia rerum sint in incerto: & quando suas habet conditiones liberat à restitutione quoad vtrunque forum.*

20 *Quæsita ex contractu nullo, & certo vsurario non possunt præscribi: secus, si contractus certò, sed dubiè tantùm sit vsurarius.*

21 *Bona fides improbabilis an satis sit ad præscriptionem 30. vel 40. annorum.*

22 *Ignorantia iuris dubij non impedit præscriptionem, sed tantùm iuris clari, & num. 11.*

IN hac difficultate videtur prima facie
1 negatiuè respondendum esse nam cùm dicta cambia sint declarata non subsistere, eo quòd sint sicca, & vsuraria, vt supra ostẽdimus, q. 43. percepta ex eis cùm fuerint percepta in causam vsuræ, nunquam transeunt in dominium recipientis, vt patet ex communi sententia tùm Theologorum, tùm etiam Canonistarum, de qua Couar. lib. 3. var. resol. cap. 3. num. 6. versic. Sed ad id: & ideò tanquam res aliena veniunt restituenda, non obstante quacunque præscriptione; quoniam in materia vsurarum nec præscriptio, nec allegatio bonæ fidei aliquid operantur, vt per Alex. consl. 121. num. 11. cum plur. seq. lib. 4. Dec. in l. petens, C. de pact. Gabr. de præscr. concl. 4. num. 12. & alios, quos retulimus in nostris Commentar. ad Extrauag. Pij V. de cens. §. 3. q. 20. ampl. 3. num. 12. & seq. vbi probauimus, quòd re-
2 stitutionem pensionum perceptarũ ex censuali contractu nullo, quia vsuratio, non excusat earum consumptio, nec bona fides, nec præscriptio, nec allegatio bonæ fidei, nec æquitas, l. curabit, C. de action. empt. quia lex illa intelligitur, vbi res, cuius pretium est retentum, est fructifera. Confirmatur, quoniam percepta ex huiusmodi cambijs siccis, & vsurarijs supponimus fuisse percepta ex iuris ignorantia: eo quòd ante declarationem per Sacram Congregationem probabiliter existimabantur cambia ipsa licita, at ignorantia iuris non est satis ad
3 præscribendum, imò impedit præscriptionem, vt in l. ita iuris, ff. de iur. & fact. ignor. ita se habente, *Iuris ignorantia in vsucapione negatur prodesse, facti verò ignorantiam prodesse constat.* idem habetur in l. nunquam, ff. de vsucap. in illis verbis, *Nunquam in vsucapionibus iuris error possessoribus prodest.* Denique ad alicuius rei præscriptionem, seu
4 vsucapionem quatuor copulatiuè requiruntur, nempe bona fides, iustus titulus, continuata possessio, & quod res non sit vitiosa, vt in § furtiuæ quoque res, & ibi Glos. & Doctor. in Inst. de vsucap. at in casu nostro agitur de re vitiosa, affecta vitio furti, seu rapinæ cùm vsura non sit aliud quàm rapi-
5 na, vt in c. si quis vsuram, 14. q. 3. Deficit etiam iustus titulus, cum vsurarij contractus nullus sit titulus: non ergo quæsita ex dictis cãbijs retineri possunt vigore alicuius præscriptionis, seu vsucapionis; sed sunt omnino restitutioni obnoxia.

Pro determinatione huius difficultatis,
6 est adnotan. quòd cambia, quæ per Sacram Congregationem declarata fuerunt non subsistere, licèt ea omnia declarata sint non subsistere, quia sint sicca, & vsuraria, vt ostẽdimus supra quæst. 43. nihilominus illorum quędam vsuraria sunt manifestà, qualia in primo, secundo, & quarto casibus supra relatis q. 42. in quibus obligatur campsuarius ad recambiendum per locum celebrati cõtractus primi cambij: siquidem, stante tali obligatione, campsor manifestè conuincitur voluisse mutuare sub lucro, & non cambire, vt patet ex illis nostri S. verbis. *Pecunia ibi denique cum interesse reposcitur, vbi contractus fuerat celebratus; nam inter dantes, & accipientes vsque à principio ita conuenerant*, &c. ad iustitiã enim cambij cum recursu expostulatur, vt recambiũ fiat ad instantiã cãpsuarij cũ id fieri possit, vt aliàs diximus, nisi ob charitatẽ, & amorẽ, erga campsuarium, vt latè habetur ex Scac. de commerc. & camb. §. 1. quæst. 7. p. 3. limit. 15. & Iustin. de contin. camb. q. 9. sub num. 10. Quædam verò cambia vt supra declarata, ante declarationem non erant manifestè vsuraria, sed talia tantùm dubiè, vt sunt cambia, in quibus habetur recursus ad campsorem, vel ad eius correspondentem, qui cambium soluat ex pecunia campsoris: sed campsuarius non obligatur ad recambiendũ per locum celebrati contractus primi cambij, vt colligitur ex determinatione tertij, & quinti casuum

suum, de quibus d.q.42. etenim ante dictã
declarationem probabilis erat sententia eo-
rum, qui dicebãt, cambia huiusmodi esse li-
cita, vt supra ostendimus, q. præcedenti, li-
mit.2. His breuiter sic adnotatis, sit

Prima Conclusio.

QVæsita ex cambijs siccis, ac certò vsu-
7 rarijs ante declarationem Sacrę Cõ-
gregationis sunt omnino restitutioni obno-
xia, non obstante quacunque consuetudine,
ac præscriptione, seu vsucapione. Pro hac
conclusione faciunt rationes, quas supra re-
tulimus: siquidem quæsita ex contractibus
certò vsurarijs veniunt restituenda, non ob-
stante quacunque præscriptione: quia præ-
scriptio huiusmodi licèt habeat bonam fi-
dem; nihilominus hęc bona fides non est sa-
tis cùm sit improbabilis: bona fides enim ad
8 præscriptionem requisitam debet esse pro-
babilis, vt quia sit iuris dubij, seu obscuri, vt
infra dicemus. His adde ea, quæ nos adno-
tauimus in nostris Commentar. ad Extra-
uag. Pij V. de censib. § 3. q.20. num.1.2.
& 12. cum plur. seq. siquidem tradita ibi in-
telligenda sunt de pẽsionibus perceptis ex
contractu censuali certò vsurario; quia con-
tra legem naturalem, & Diuinam certam si-
cut non potest induci consuetudo, vt in c.
9 mala, & c. frustra, 8. dist. & Nauar. in Man.
c.27. num.281. & 282. ita etiam non potest
induci præscriptio, cùm non detur consue-
tudo citra præscriptionem aliquã: eo quòd
omnis consuetudo, vt obligationem indu-
cat, debet esse rationabilis, & præscripta, vt
in c. fin. & ibi Panor. & alij, de cõsuetudine.

Secunda Conclusio.

QVæsita ex cambijs siccis, & vsurarijs,
10 quæ ante declarationem Sacræ Cõ-
gregationis non erant certò vsuraria, sed
dubiè tantùm, vt supra adnotauimus, possũt
legitima præscriptione, seu vsucapione re-
tineri, atque adeò ex eis quæsita ante dictã
declarationem ex vi legitimæ vsucapionis,
seu præscriptionis, non sunt restitutioni ob-
noxia. Probatur conclusio ex eo, quòd hoc
casu concurrunt omnia requisita ad veram,
ac legitimam præscriptionem. Concurrit
enim bona fides probabilis, cũ ante dictam
declarationem cambia prædicta erãt dubiè
vsuraria, & erant opiniones ex vtraque par-
te probabiles, vt supra diximus: siquidem
licèt ignorantia iuris clari impediat præ-
11 scriptionem, cùm nõ inducat bonam fidem
probabilem, sed omninò improbabilem: ni-
hilominus ignorantia iuris dubij cũ sit pro-
babilis, & ex ea proueniat bona fides pro-
babilis, hæc satis est ad præscriptionem, vt
habetur ex Panor. in c. de quarta, num.12.
vbi etiam Felin. de præscript. c. cùm dile-
ctus, de consuetud. Couar. in reg. possessor,
num.9. de regul. iur. in 6. Molin. tom.1. de
Iustit. & iur. tract.2. disp.64. & Sayr. lib.9.
Clauis Reg. c.12. num.23. cum alijs, quos
allegat. Secundò concurrit iustus titulus,
nempe titulus pro cambio, qui titulus secũ-
dum se iustus est, & talis à contrahentibus
æstimabatur, atque adeò satis est ad pręscri-
ptionem inducendam: siquidem titulus ad
12 præscribendum necessarius non est opus, vt
sit verus: is enim, qui verò titulo aliquid
possidet, re vera dominium, aut quasi do-
minium, vel ius in re habet: & ideò ita possi-
dens præscriptione non indiget, vndè titu-
lus ad præscriptionem inducendam requi-
situs, satis est, quòd sit coloratus, seu pręsũ-
ptus: ita vt quantum est ex se sit verus; sed
propter circumstantiam, quam habet adiũ-
ctam, & quæ per probabilem ignorantiam
ignoratur, desinit esse verus, qui cùm verus
existimetur, quamuis in rei possessorem do-
minium non transferat; transfert tamen vsu-
capiendi facultatem, vt habetur ex Molina
de iust. & iur. tom.1. tract.2. disp.64. in prin.
Sayro lib.9. Clauis Reg. c.12. sub num.11.
qui tamen titulus non exigitur in præscri-
ptione 30. vel 40. annor. vt nos latè de hac
re egimus in dictis nostris Comment. §. 3.
q.20. num.16. & 17. vbi etiam ostendimus,
posse reditus præscribi spacio 30. annorum,
licèt ex contractu nullo, quia vsurario per-
cipiantur; quia spacio 30. vel 40. annorum
13 tollitur omnis actio, vt in l. sicut, de præscr.
30. vel 40. annor. Tertiò concurrit conti-
nuata possessio, de qua dicemus concl. seq.
Et denique res non est vitiosa: quoniam
hoc casu non est affecta vitio furti, nec vio-
lentiæ: siquidem nos supponimus, cambia,
de quibus agitur fuisse celebrata bona fide
citra omnem dolum & fraudem, & spontè à
contrahentibus existimantibus licitè con-

trahere. Vndè quæsita ex dictis cambijs non possunt dici quæsita nec ex furto, nec
14 rapina; nam omne furtum est fraudulentum vt in l. 1. ff. de furt. & non est rapina citra violentiam, vt in §. 1. & toto titulo, in Inst. de vi bonor. raptor. & in l. 1. & tot. titulo, C. eod.

Tertia Conclusio.

15 QVæsita ex cambijs, quæ ante declarationem Sac. Congreg. non erant certò vsuraria, sed dubiè tantùm, si sint res mobiles præscribuntur, seu vsucapiuntur spacio trium annorum inter præsentes, & quatuor annorum inter absentes: Si verò sint res immobiles, præscribuntur per longi temporis possessionem, nempe spacio decem annorũ inter præsentes, & viginti inter absẽtes. Hæc conclusio patet ex l. vnic. C. de vsuc. trãsfor. & §. 1. in Inst. de vsucap. vbi res mo-
16 biles triennio inter præsentes, & quadriennio inter absentes; & res immobilis decem annorum inter præsentes, & viginti inter absentes vsucapiuntur: quæ quidem rerum mobilium vsucapio triennalis, vel quatrien-
17 nalis habet locum etiam contra Ecclesiam Romanam, vt post quamplurimos relatos à Sayr. lib. 9. Clauis Reg. c. 12. num. 25. quod verum est si titulum habeat: quòd si careat titulo exigitur possessio 30. annor. l. sicut, & l. si quis emptionis, C. de præscr. 30. annor.
18 Immobilium verò præscriptio contra Ecclesiam debet esse 40. annorum: & contra Ecclesiam Romanam centum, vt in auth. quas actiones, C. de Sacrosf. Eccl. Dicuntur autem esse absentes, vel præsentes quoad rem nostram attinet, qui sunt in eadẽ Prouincia, vel Ciuitate: vel in diuersa Prouincia, vel diuersa Ciuitate, vt per Glos. in l. cùm in longi, C. de præscr. long. temp. Fuit
19 denique introducta præscriptio, seu vsucapio, ne dominia rerum sint in incerto; & quando suas habet conditiones liberat à restitutione eorũ, quæ per præscriptionem quæruntur non solùm quoad forum exterius; sed etiam quoad forum interius, vt habetur ex Molina tomo 1. de Iustit. & iure tract. 2. disp. 61. Couar. in regula possessor, p. 3. §. 2. num. 1. & 2. de regul. iur. in 6. cum alijs relatis à Sayro, loco citato.

Ad contraria modo patet responsio ex dictis.

20 AD primum respondetur ex prima conclusione: tunc enim percepta ex cõtractu nullo, quia vsurario sunt restitutioni obnoxia, non obstante quacunque præscriptione, quando contractus est certò vsurarius: secus autem si probabilis sit sententia, quòd non sit talis, vt sumus in casu, de quo agitur. Imò quia præscriptio 30. seu 40. annorum non exigit titulum, si concurrat bo-
21 na fides possidentis, etiam improbabilis, arbitror ad eam inducendam fortè satis esse, quoniam præscriptione 30. vel 40. annor. tollitur omnis actio, vt supra ostendimus.

Ad cõfirmationem dicimus, quòd igno-
22 rantia iuris clari impedit præscriptionem; non autem iuris dubij: & ita intelliguntur iura illa in l. ita iuris, ff. de ver. & fact. ignor. & l. nunquam, ff. de vsucap. vt habetur ex Panor. & Felin. in c. de quarta, de præsct. & ex alijs à nobis relatis supra, concl. 2.

Ad vltimum patet responsio ex dictis supra in secunda concl. in qua probauimus ad præscriptionem, seu vsucapionem inducendam satis esse titulum coloratum, seu præsumptum: & in casu nostro satis ostendimus rem non esse vitiosam, cum non supponamus eã possessam, nec vim, nec per dolum, & fraudem.

An qui celebrarunt cambia, de quibus agitur, ante declarationem Sac. Congregationis, certò scientes esse sicca, & vsuraria, perdant pecunias ad cambium datas, & excludantur à consecutione interesse. Q. XLVI.

SVMMARIVM.

1 *Vbi agitur de obligatione inducenda si non valet, quod ago, vt ago, nec valet, vt valere potest.*
2 *Donatio si non valet vt donatio, nec valere potest alio modo.*

3 Pen-

3 *Pensiones annua ex censu nullo, quia usurario, non debentur, & percepta computantur in sortem.*

4 *Celebrantes scienter cambia sicca capitale cum interesse non amittunt.*

5 *Nemo locupletari debet cum alterius iactura.*

6 *Interesse lucri cessantis, vel damni emergentis percipi potest ex mutuo, etiam ante moram.*

7 *Cambium siccum nihil aliud est, quàm mutuum implicitum.*

8 *Pecuniæ data ad cambium siccum non transfertur dominium penes campsuarium.*

9 *Campsuarius, qui pecunias accipit ad cambium, statim constituitur in mora ad illas restituendas, citra ullam interpellationem.*

10 *Debitor simpliciter ex cõtractu, nõ constituitur in mora ante monitionem: non sic debitor ex distractu.*

11 *Mora æquiparatur furto: & debitor morosus æquiparatur furi.*

12 *Pecunias alienas scienter detinens, statim tenetur restituere una cum interesse.*

13 *Campsor potest sortem cum interesse repetere in cambio sicco, etiam si nullum pactum inierit de soluendo interesse.*

14 *Capitale cum interesse venit restituendum campsori, qui scienter cambium siccum celebrauit in utroque foro.*

15 *Interesse passum debetur non solùm lege humana, sed etiam lege naturali, ac Diuina.*

16 *Interesse, & capitale debent restitui campsori, qui dedit pecuniam scienter ad cambium siccum, etiam si probari non posset; dummodo campsuarius sciat, quod campsor illud verè fuerit passus.*

17 *Coram Deo non attenditur, quod probatur, sed rei veritas.*

18 *Capitale una cum interesse aliquando venit restituendum, etiam si campsuarius non fuerit in mora restituendi pecuniam cambio sicco acceptam.*

19 *Plus valet, quod verè agitur, quàm quod simulatè concipitur.*

20 *Simulatio in contractibus toleratur citra tamen iniustitiam.*

21 *Campsor potest dare pecuniam suam cambio sicco, obligando campsuarium ad interesse: sicut mutuans potest obligare mutuatarium ad interesse.*

22 *Campsor ex cambio sicco ita demum potest repetere interesse, si campsuarius sciat, vel scire debeat, cambium esse siccum, & pecunias adhuc detinet.*

23 *Cambium siccum aliquando resoluitur in mutuum cum interesse.*

24 *Campsori, qui suas pecunias dedit ad cambium siccum capitale, capitale una cum interesse, si illas dedisset cambio reali, aut in alia iusta negotiatione implicuisset: aliàs secus.*

25 *Usurarij in Regno Neapolitano plectuntur pœna confiscationis bonorum.*

26 *Usura de iure est punibilis.*

27 *Usurarius punitur, siue usuras exegerit, siue non exegerit, & usurarium tantum contractum celebrauerit.*

28 *Utile per inutile non vitiatur.*

29 *Campsor agens in iudicio ad usuras consequendas ex cambio sicco perdit capitale una cum interesse, iuxta municipales leges.*

30 *Regula, si non valet quod ago, ut ago, valeat ut valere potest qualiter est intelligenda.*

31 *Pecunia data ad cambium siccum remanet apud campsuarium sine titulo, sicut apud furem.*

32 *Pecunia data ad cambium qualiter dicatur permanere apud campsuarium tanquam mutuum declaratur.*

1 IN hac re Caiet. de camb. cap. 1. num. 4. vers. Iniusta, Sot. lib. 6. de Iustit. & iur. q. 13. ar. 1. concl. 3. col. 3. & non nulli alij dãnant cambia sicca tanquam usuraria; vel ùm nihil dicunt de soluẽdo aliquo interesse lucri cessantis, vel damni emergentis; atque idcò videntur velle, quòd dans cambio sicco nulliter, ac usurariè, perdat pecunias ad cambium datas, & excludatur à consecutione interesse. Probatur hæc opinio ex eo quòd ubi agitur de obligatione inducenda si non valet quod ago, ut ago, nec valet ut valere potest, ut habetur per Bart. in l. 1. §. si quis ita, num. 2. ubi etiam Ias. num. 6. not. 6. & alij, ff. de verb. obligat. Couar. lib. 2. var. resol. cap. 16. sub num. 15. & Rota Diuers. decis. 366. num. 31. p. 1. ubi id probat, quòd
2 si donatio non valet, ut donatio, nec potest valere alio modo propter resistẽtiam legis: ergò prædicta cãbia nulliter, & usurariè celebrata ante supradictã S. Cõg. declarationẽ per cõtrahentes certò sciẽtes ea esse sicca, & usuraria, si non valent ut cambia, nec etiam valida esse possunt ut mutuum, aut ut

alius contractus cum consecutione interes-
se; atque ideò qui scientes esse vsuraria hu-
iusmodi cambia celebrarunt, perdunt pe-
cunias ad cambium datas, & excluduntur à
consecutione interesse tam lucri cessantis,
quàm damni emergentis. Confirmatur hęc
3 sententia ex ijs, quæ adnotauimus in Com-
ment.in Extrauag. Pij V. de cēsib. §. 3. q. 20.
num. 1. cum plur. seq. vbi plures decisiones
Rotæ Romanæ ostendimus, quòd ex con-
tractu censuali nullo quia vsurario pensio-
nes annuæ non debentur; sed computantur
in sortem: quia pretium census eo casu re-
manet penes censuarium tanquam purum
mutuum: nec dominus census pecuniarum
dominium amisit. Idem dicendum est de
societate officij quando est nulla, seu fi-
ctitia; quia resoluitur in purum mutuum,
à quo citra vsuram nihil percipi potest, vt
constat ex Rot. Diuers. decis. 192. num. 1.
p. 1. decis. 291. num. 1. decis. 336. num. 5.
& num. t.

His tamen non obstantibus, oppositam
4 sententiam arbitror de iure veriorem esse,
quam colligo ex traditis per Scac. de com-
merc. & camb. §. 1. q. 7. par. 2. ampl. 20. &
Molf. p. 2. suæ sum. tract. 12. c. 7. num. 106.
& 107. dicētes, celebrantem cambium sic-
cum, ac vsurarium non amittere suam pe-
cuniam, nec interesse. Probatur hæc sentē-
tia primò quia si campsor in casu, de quo
agitur, excluderetur à suis pecuniis, & inte-
resse, tūc sequeretur, campsuarium locuple-
5 tari cum alterius iactura, quod est contra
tex. in l. nam hoc natura, ff. de cōdit. indeb.
vt igitur absurdum reijciatur, dicendum est,
quòd si contractus cambij cum eius lucro
sit inualidus, & vsurarius reduci debeat ad
contractum mutui cum interesse. Secundò
6 ex mutuo explicito percipi potest interesse
lucri cessantis, ac damni emergentis, etiam
ante moram, vt habetur ex Nauar. in Man.
c. 17. sub num. 297. §. Tertiò dico, & in c. si
fœneraueris, not. 15. sub num. 42. vers. Ter-
tiò inter omnes, 14. q. 3. Couar. lib. 3. var.
resol. c. 4. sub num. 5. vers. Sextò ex his, To-
let. lib. 5. suæ sum. c. 33. num. 2. vers. Conue-
niunt tertiò, Scac. de commerc. & camb. §.
1. q. 7. p. 2. ampl. 8. num. 178. & 183. versic.
Concludo secundò, & ex alijs: ergò idē di-
cēdum est de cambijs siccis, & vsurarijs, de
quibus agitur, vt ex eis percipi possit inte-
resse lucri cessantis, & repeti pecunia cābio
data; cùm cambium siccum nihil aliud sit,
7 quàm mutuum implicitum, vt supra adnota-
uimus, ante q. 1. & in proœm. q. 12. & taciti,
& expressi eadem est virtus, l. cùm quid, ff. si
cert. pet.

Tertiò pecuniæ datæ ad cambiū siccum
8 non transfertur dominium penes campsua-
rium accipientem, sicut pretij census vsura-
rij non trāsfertur dominium in censuarium;
siquidem in vtroque casu deest titulus, qui
satis sit ad dominij trāslationem, cùm vter-
que cōtractus sit nullus, vt nos probauimus
in dictis nostris Commentar. §. 3. q. 20. sub
num. 1. & 2. Ergò qui scienter pecunias ex
9 cambio sicco recepit, si statim nō restituat,
constituitur in mora citra vllam interpella-
tionem. Etenim licèt is, qui est debitor sim-
10 pliciter ex contractu, vel quasi, & nō soluit,
non dicatur in mora, nisi sit monitus ad sol-
uendum, vt rectè inquit Azor. p. 3. Inst. mo-
ral. lib. 4. de restit. c. 35. q. 2. nihilominus se-
cus dicendum est de eo, qui est obligatus
restituere ex distractu, ac ex contractu reso-
luto, & nullo, vt latè probat Scac. de com-
merc. & cāb. §. 1. q. 7. p. 2. ampl. 8. num. 193.
& 194. Quòd si is, qui accepit pecunias ad
cambium siccum si statim non restituat, effi-
citur debitor morosus, proculdubio tenetur
ad interesse tùm lucri cessantis, tùm etiam
damni emergentis; quoniam ratione moræ
deberi huiusmodi interesse, Doctores com-
muniter docent; siquidem mora æquipara-
11 tur furto, atq; ideò morosus debitor ęqui-
paratur furi: & propterea sicut fur tenetur
rem furtiuam vna cum interesse restituere,
ita & morosus debitor, vt post alios probat
idem Scac. d. ampl. 8. num. 180. Denique,
cæteris prætermissis, qui alienas pecunias
12 scienter citra iustum titulū detinet, est om-
nino similis malę fidei possessori; atque ideò
sine alia mora, & interpellatione tenetur re-
stituere pecunias ipsas vna cum interesse lu-
cri cessantis, quod Dominus pecuniarum
facere potuisset, si pecunias prædictas ha-
buisset: ergò idem dicendum est in casu, de
quo agitur, vt accipiēs pecunias ad cābiū,
cùm sine iusto titulo scienter alienas pecu-
nias detineat, teneatur nō solùm illas resti-
tuere, verū etiā, & interesse tā lucri cessātis,
quā damni emergētis. Ita Scac. loco citato,
num. 206. vsque ad num. 221. quibus adde,

quæ

quę ex eodem Scac. habentur d.q.7.par.3. lim.7.& par.2 ampl.20.num.19. cum plur. seq.

Ampliatur hæc conclusio primò, vt capitale vna cum intereſſe lucri ceſſantis, ac
13 damni emergentis debeatur campſori ex cambio ſicco, etiam ſi nullum pactum de intereſſe fecerit: quia cambium cùm ſit nullum, & campſuarius ſtatim conſtituatur in mora, ſi pecuniam receptam ad cambium, ſic capitale non reſtituar, perinde eſt, ac ſi pactum initum fuerit de ſoluendo intereſſe: ſiquidem intereſſe ratione moræ debetur cuilibet creditori citra vllum pactum, cùm mora, & pactum in hoc æquiparentur, vt habetur ex Rot. Diuerſ. deciſ.372. num.6. verſ. Non obſtat quod, & Scac. d.ampl.8. num.98.& 151.

Secundò ampliatur, vt capitale vna cum
14 intereſſe veniat reſtituendum campſori in caſu, de quo agitur, non ſolùm in foro externo; ſed etiam in foro interno: ſiquidem intereſſe ratione moræ debetur etiam in foro conſcientiæ, vt rectè probat Rebuff. in l. vnica, Gloſ. vlt. num.6. ampliat.3. vbi etiam Cagnol. ſub num.46. verſ. Tertiò, & alij, C. de ſent. quæ pro eo, &c. Ioan. Bapt. Lup. in l. curabit, §.6. num.1. C. de action. empt. & Ruin. conſ.103. ſub num.4. verſ. Non obſtat. Rationem autem hanc eſſe volũt; quo-
15 niam intereſſe debetur non ſolùm lege humana, ſed etiam lege naturali, ac Diuina: nam intereſſe eſt damnum, vt in d.l. vnica. & qui dat læſionem, ſeu damnum tenetur ad illius refectionem, etiam ex diſpoſitione legis Diuina, vt patet Exod. cap.22. *Si læſerit quiſpiam agrum, vel vineam, & dimiſerit iumentum ſuum, vt depaſcatur aliena: quicquid optimum habuerit in agro ſuo, vel in vinea pro damni æſtimatione reſtituet. Et ſi egreſſus ignis, &c.* Quòd ſi de iure naturali Diuino debetur intereſſe; ergò debetur in foro interno, & in foro conſcientiæ: quia ius naturale, & ius Diuinum obligant in conſcientia, vt habetur ex Doctoribus ſupra relatis, & ex Scac. d. ampl.8. num.96.& 97.

Tertiò ampliatur, vt capitale vna cum
16 intereſſe vt ſupra debeatur, etiam ſi nullatenus probari poſſet; dũmodo debitor ſciat, quòd creditor illud verè fuerit paſſus: etenim coram Deo non attenditur, quod pro-
17 batur, ſed rei veritas, vt habetur ex Panor. in c. quia plerique, ſub num.18. & 20. de immun. Eccleſ. Felin. in cap.1. fallent.6. ſub num.40. verſ. Hac fallentia, de conſtit. Nauar. in c. ſi fęnerauetis, num 106. in fin. verſ. Quartò quod, 14.q.3. Couar. in c. cùm eſſes, verſ. Sed eſt quæſtio, num.4. in fin. de teſtam. & ex alijs.

Quartò ampliatur, vt capitale vna cum
18 intereſſe debeatur ex huiuſmodi cambijs ſiccis, & vſurarijs aliquando, etiam ſi debitor non fuerit in mora reſtituẽdi pecuniam cambio ſicco, vt ſupra acceptam. Siquidem, ſi qui dedit cambio ſicco, dediſſet indubitanter cambio reali, ac vero, aut alicui iuſtæ negotiationi pecuniam ipſam deſtinaſſet; eo quòd habeat certam, ac paratam occaſionem, & contrahentes de hoc lucro ceſſante intendebant paciſci; verùm credẽtes ſibi conſultius eſſe finxerunt cambium, huiuſmodi intereſſe vna cum capitale proculdubio deberetur ante moram, non vigore cambij, quia cambium eſt ſiccum, atque ideò nullum; ſed vigore contractus mutui, quem in re intendebant contrahere, ſaluo intereſſe: Etenim plus valet, quod verè agi-
19 tur, quàm quod ſimulatè concipitur, vt in rubr. C. plus valere, &c. Et ſimulatio in cõ-
20 tractibus toleratur citra tamẽ iniquitatem, & iniuſtitiam contrahentium, vt rectè probat Scac. de commerc. & camb. §.1. q.7. p.3. limit.7. num.4.& 5. Vndè cùm licitum ſit dare mutuo, & paciſci, vt mutuatarius teneatur vltra ſortem ſoluere totum illud lucrum pro intereſſe, quod mutuans ex cambio reali, aut ex alia iuſta negotiatione, à quibus propter mutuum ceſſauit, conſequi potuiſſet, vt habetur ex Caietan. de camb. cap.1. num.5. verſ. Secundo: Nauar. in c. nauiganti, num.26. & 34. verſ. Decimoſeptimo, de vſur. & in Man. cap.17. num.292. Fabian. Genu. de camb. num.38. Azor. p.3. Inſtit. moral. lib.10. de camb. cap.9. q.3. & ex alijs. Ergò licitum quoque erit dare pe-
21 cuniam cãbio ſicco cũ obligatione, & pacto de ſoluendo prædictũ intereſſe: nã cãbiũ ſiccũ in re non eſt aliud quàm mutuũ, vt ſupra diximus. Quæ quidẽ ampliatio vera eſt nõ ſolũ quoad forũ exterius, ſed etiam quoad forum interius, etiam ſi intereſſe nullatenus probari poſſit; dummodo ſit verum,

iuxta ea, quę supra adnotauimus, ampliat. 2. & 3.

Sic ampliata limitatur supradicta con-
22 clusio, vt ita demum ex huiusmodi cambijs siccis, & vsurarijs debeatur interesse, vt supra, quando, qui recepit pecunias, sciat, vel scire debeat, cambium esse siccum, & adhuc pecunias detinet; quia tunc dicitur esse in mora, cùm mora causeatur, quãdo quis scit, vel scire debet, se debere, vt consuluit Curt. iun. consi. 28. num. 5. & cùm statim debeatur, quod absque termini præfissione debetur, Medin. de reb. restitut. q. 2. in solutione quarti dubij, versic. Ad illud: & alij apud Scac. d. ampl. 8. num. 193. 194. 206. & 207. cum plur. seq. secus autem si credat, cambium esse iustum; quoniam tunc cum non fuerit in mora, non tenetur ad interesse: eo quòd interesse nõ fuit deductum in pactum; nam interesse non debetur, nisi debitor moneatur de interesse, vt habetur ex Azot. p. 3. Instit. moral. lib. 5. de vsur. cap. 5. q. 4. num. 1. vers. Tertia conditio, Salon. 2. 2. q. 78. ar. 2. contr. 9. & ex alijs. Est tamen verũ,
23 quòd si dans cambio sicco eo casu intenderet lucrum illud percipere omni iusto titulo quo possit, & campsuarius consentiat saltem implicitè, tunc posset resolui cambium illud in mutuum, non simpliciter; sed in mutuum cum interesse, iuxtà ea, quæ habentur ex Less. lib. 2. de iust. & iur. cap. 25. num. 24. Valēr. 2. 2. disp. 5. q. 24. & 25. pun. 2. & Tolet. lib. 5. suæ sum. cap. 4. & propterea debetetur campsori interesse, si passus illud fuerit.

Secundò limitatur, vt campsori debea-
24 tur capitale vna cum interesse ex cambio sicco, & vsurario, quando cambio reali pecuniam dedisset, aut alicui iustę negotiationi destinasset, iuxta ea, quæ supra diximus, ampl. 4. secus autem si nolebat negotiari pecuniam alio contractu quàm cambij, & non inueniebat, qui vellet accipere, vel non inueniebat idoneum accipientem; atque ideò cambio sicco dedit idoneo debitori, cambio non indigenti, sed mutuo, & se obligauit ad interesse, seu ad lucrum veri cambij, quoniam tunc cambium esset verè vsurarium cum obligatione restituendi totum lucrum; siquidem hoc casu campsor non est passus interesse, vt rectè declarat Scac. de commerc. & camb. §. 1. q. 7. par. 3. limit. 7. à num. 15. vsque in fin. Imò in nostro Regno Neapolitano tanquam vsurarius posset condemnari, ac plecti pœna cõfiscationis bonorum; atque ideò amitteret
25 non solum lucrum, sed etiam sortem, & sic pecuniam datam cambio per Cõstitut. Regni, quæ incipit, vsurariorum nequitiam, de vsur. Et in alijs locis, in quibus nõ extat talis constitutio, venit plectendus pęna extraordinaria arbitrio iudicis, iuxta ea, quæ habentur ex Iul. Clar. recep. sent. lib. 5. §. vsura, vers. Ex hoc: Menoch. de arbitr. iud. lib. 2. cent. 4. casu 398. Siquidem vsuraria
26 prauitas est de iure punibilis, vt habetur per Rot. Diuers. decis. 332. num. 3. inter impressas Lugd. anno 1612. Quam quidem limitationem puto esse veram, siue campsor exegerit vsuras, cùm tunc vsurę delictum sit consumatum, atque ideò non solùm punitur ciuiliter ad restitutionem vsurarum, sed etiam criminaliter: siue vsuras non exegerit, nec instrumento iudicialiter vsus fuerit; quoniam adhuc puniri debet, cùm vsuræ
27 delictum consumetur sola spe recipiendi lucrum ex mutuo vltra sortem: & exactio est necessaria solùm, vt possit condemnari etiam ad restitutionem, vt post alios docet Scac. d. q. 7. p. 3. ampl. 20. sub num. 30. vers. Extende conclusionem. Quod quidem quomodo procedat, infra latius dicemus, q. 47. concl. 1. illat. 3. vers. Illud autem.

Tertiò limitatur, vt tunc debeatur in ca-
28 su de quo agitur, capitale cum interesse quoad forum exterius, si fuerit legitimè probatum, resecatis vsuris: & quando campsor in iudicio non egerit ad consequendas vsuras; sed tantùm egerit ad consequendum capitale vna cum interesse, atque ideò fieret separatio liciti ab illicito: siquidem vtile per inutile non vitiatur, quando vtile separari potest ab inutili, vt in cap. vtile, vbi Dyn. & alij, de regul. iur. in 6. & nos adnotauimus in nostris Commentar. in Bull. Cœn. lib. 1. cap. 4. q. 7. num. 32. secus autem si campsor
29 ipse in iudicio egisset ad vsuras consequendas, & instrumento fuerit vsus; quoniam tunc perderet nõ solùm interesse, sed etiam capitale, vt habetur ex Ludou. de Rodul. in cap. cõsuluit, p. 2. q. 135. in fin. sub num. 34. Quod verum est, vbi adest constitutio Mu-

nici-

nicipalis id statuens, vt supra dixi limit. 2. & coram iudice causarum agatur criminaliter: secus autem si agatur ciuiliter; quoniã eo casu resecatis, vsuris, condemnatur debitor ad capitale vna cum interesse passo, vt rectè declarat Scac. d. limit. 7. num. 29. & 30. Quomodo autem probetur interesse, rectè declarat Scac. d. §. 1. q. 7. p. 2. ampl. 8. à num. 238. vsque ad num. 244.

Quartò limitatur, vt conclusio locum habeat, data sciẽtia nullitatis cambij ex parte campsuarij tantum, secus si ex parte vtriusque, vt patet ex ijs, quæ adnotauimus in tractatu de societ. lib. 2. cap. 6. §. 2. q. 11. con. 1.

Restat modo, vt ad contraria respondeamus.

30 AD primum dicimus, quòd illa regula, *si non valet, &c.* licèt in multis verificetur; nihilominus Scac. de commerc. & camb. §. 1. q. 7. p. 3. limit. 7. num. 5. & 11. inquit, eam non esse simpliciter veram; quin potius contrariam esse communem; atque adeò neutra regula simpliciter considerata est allegabilis ad decisionẽ causarum. Etenim quòd actus valeat eo modo, quo valere potuisset, aperrè colligitur ex cap. vnico, §. 1. de sponsal. in 6. vbi licèt matrimonij contractus celebratus verbis solemnibus de præsenti requisitis ad substantiam cõtractus matrimonialis, non valet ob defectum ætatis contrahentium; valet tamen vt contractus spõsalium, qui inter eos fieri potuisset. Vndè Ias. in l. 1. §. si quis ita num. 23. vers. Expedita doctrina, ff. de verb. oblig. & post eum Rip. ibidem, num. 17. vers. Ego autem subijcio regulam: ponunt regulam affirmatiuam generalem, *Si non valet quod ago vt ago, semper valet, vt valere potest.*

Imò quamuis asserere velimus, priorem regulam, esse probabilem; Scac. tamen post alios, d. num. 12. eam limitat in duobus casibus, quorum primus est, quando sub contractu nulliter facto, potuit virtualiter comprehendi contractus non gestus, etiam si agatur de obligatione contrahenda, vt in casu de quo agitur: quia tunc si actus non valuit eo modo, quod fuit factus, valebit, vt fieri potuisset, vt in l. si tam angusti, vbi Alber. & alij, ff. de seruit. Vndè sicut cõtractus sponsalium cùm comprehendatur sub contractu matrimonij, si contractus non valet vt contractus matrimonij, valebit, vt contractus sponsalium; ita etiam in casu nostro, cùm sub contractu cambij sicci comprehẽdatur contractus mutui; imò ipsũ cambium siccum sit in re, si contractus non valet, vt contractus cambij, valebit vt cõtractus mutui cum interesse lucri cessantis, aut damni emergentis, iuxta ea, quæ supra adnotauimus in 4. ampliat. Secundus casus est quando sumus in materia fauorabili, vt si agatur de validitate contractus matrimonij, vel quia agitur de dissoluenda obligatione peccatorum; nam tunc si actus non valeat eo modo, quo factus fuit, valebit, vt fieri potuisset, vt habetur per Ias. in d. §. si quis ita, num. 19. & alios cumulatos ab eodẽ Scac. loco citato, sub num. 14. qui applicando regulam ad casum nostrum, ait, eum esse fauorabilem, tùm quia euitatur suspicio vsuræ; tùm quia conseruatur iustitia naturalis, seu commutatiua, vt vnus non locupletetur cum alterius iactura: quibus adde, quæ habentur ex eodem Scac. d. q. 7. p. 2. ampl. 20. à num. 17. ad 31.

Adde, quòd quicquid sit de supradicta
31 regula, si demus, dominium pecuniæ acceptæ ad cambium siccum, non transferri penes accipientem, stante nullitate cõtractus, vt supra probauimus, cùm pecunia remaneat penes ipsum accipientem sine titulo, & cum mora, perinde est, ac si esset penes furem, vt probat Scac. d. ampl. 8. num. 199. & 211. & propterea sicut fur tenetur ad restitutionem rei furtiuæ vna cum interesse, ita etiam is, qui accipit scienter pecuniam ad cambium siccum.

Ad confirmationem dicimus, quòd de-
32 cisiones Rotæ non videntur velle, pretium cẽsus inualidi remanere penes censuarium purum mutuum, cùm velint, dominium dicti pretij non transferri penes ipsum, sicut mutui dominium transfertur penes mutuatarium, vt in l. 2. §. appellata, ff. si cert. petat. sed dictum pretium remanere penes censuarium tanquam mutuum, & ad instar mutui; atque ideò vt creditum quodam, iuxta ea, quæ habentur ex Scac. d. ampliat. 8. num.

num.207.cum plur.seq.& propterea stante mota in restituendo, debetur interesse, supposita scientia inualiditatis contractus, iuxta ea, quę supra adnotauimus limit.1. Secūdò respondetur, quòd dato, & non concesso, quòd pretium illud remaneret tanquam purum mutuum penes censuarium, id esset quando censuarius ignoraret nullitatē contractus; quia tunc non diceretur in mora, atque ideò non deberetur interesse; nisi contractus bona fide fuerit initus cum intentione lucrandi quocunque iusto titulo, quo possit, per ea, quæ supra diximus d.limit.1. Tertiò respondetur, quòd licet Rota ibi, & in alijs causis, decreuerit, pecuniam receptam ex contractu nullo remanere apud recipientem tanquam purum mutuum; atque ideò ex ea non deberi interesse; tamen in multis alijs decisionibus contrarium resoluit, vt ait idem Scac.d.ampl.8.num.219. Et denique responderi potest ex eodem Scac. ibidem, quòd licet auctoritas Rotæ sit magna; nihilominus non habet vim legis: & eo magis: quia in casu, de quo agitur, pro, & contra iudicauit.

An celebrantes cambia, de quibus agitur, post prædictam Sac. Congregationis declarationem, veniant tanquam vsurarij puniendi: & quæsita ex eis omnino teneantur restituere. Q. XLVII.

SVMMARIVM.

1 *Qui declarat nihil noui facit.*

2 *Sacræ Congregationis declarationes non habent vim legis: & num.7. 14. & 15.*

3 *Legem eius proprium est declarare, cuius est condere.*

4 *Cambia sicca, de quibus agitur, celebrantes post declarationem Sacræ Congregationis, vsurariorum pœnis subijciuntur.*

5 *Breue Pij V. pro Bononiens. circa materiam cambiorum, qualiter sit intelligendum, declaratur.*

6 *Cambia, de quibus agitur postquam fuerunt per Sacram Congregationem declarata non subsistere, hodie sūt certò sicca, & vsuraria.*

7 *Sac. Congregationis determinationes à Rom. Pontifice approbatæ, habent vim legis, nec publicatione indigent sicut leges.*

8 *Cambia sicca celebrantes qualiter efficiantur infames, ab officio, & beneficio suspendantur, declaratur.*

9 *Infamiæ notam ab vsurario cōtractam Episcopus tollere potest: & ad beneficia retinenda dispensare; non tamen quoad obtinenda.*

10 *Pœnæ contra vsurarios statutæ an locum habeant, etiam si vsurarij vsuras promissas non dum exegerint.*

11 *Cambia sicca celebrantes tenentur quęsita ex eis restituere.*

12 *Cambia, quæ Sac. Congregatio declarauit non subsistere, celebrantes, licèt quæsita ex eis teneantur restituere; nihilominus aliquādo possunt interesse repetere.*

13 *Cambia, de quibus agitur, Sacra Congregatio non solùm declarauit; sed etiam decreuit, non subsistere.*

14 *Sacræ Congregationis determinationes circa cambia, de quibus agitur, habent vim legis.*

15 *Sacra Congregatio licèt non habeat potestatem condendi legem; si tamen eius determinationes approbentur à Romano Pontifice, habent vim legis.*

16 *Cambiorum iustitia, aut iniustitia definienda est iudicio Theologorum, & Canonistarum; non autem iudicio campsorum.*

17 *Cambium factum Theologi, & Canonistę citra difficultatem aliquam non percipiunt.*

VIdetur prima facie negatiuè respon-
1 dendum esse: siquidem Sacra Congregatio declarat tantùm, cambia huiusmodi non subsistere: nec vlterius progreditur, celebrantes ea vsurariorum pœnis subijciens, & ad restitutionem condemnans: ergò celebrantes dicta cambia post prædictam Sac. Congregat. declarationem non possunt in plus obligari, ac compelli, quàm ante dictam declarationē tenebantur: quoniam, qui declarat nihil noui facit, l.hæredes palam, ff. de testam. c.cùm tu, de vsur. Ioan. Andr. in proęm. Decret. ver. Declaramus, & Panor. in cap. ex parte, sub num.4.
2 cum alijs ad eum additis, de consuet. & eo magis quia dęterminationes Sac. Cōgreg. Conc. Trid. & aliarum eiusmodi non habēt vim legis, vt latè disputat Salas, de legib. disp.

disp. 2. sec. 9. ergo de eis non est habenda maior ratio, quàm resolutioni Auditorum Sacræ Rotæ Rom. quorum decreta sunt responsa prudentū. Confirmatur, quoniam
3 eius propriè est declarare, cuius est condere, l. fin. C. de legib. & c. inter alia, de sent. excom. Sed dicta Sacra Congregatio non habet facultatem condendi leges: ergo nec declarandi, ita vt eiusdē declaratio cambia prędicta exercentes subijciat vsurariorum pœnis, & restitutioni faciat obnoxios: & eo maximè, quia à multis campsoribus audiui, iustitiam, vel iniustitiam cambiorū non posse ita rectè cognosci à Theologis, ac Canonistis, sicut ab ipsis campsoribus cognoscitur.

His tamen non obstantibus contrariam sententiam arbitror de iure veriorem esse. Pro cuius explicatione sit

Prima Conclusio.

4 Celebrantes cambia, de quibus agitur, post præfatam Sac. Congregationis declarationem, subijciuntur vsurariorum pœnis. Hæc conclusio patet ex ijs, quæ supra adnotauimus, q. 43. vbi conclusimus, quòd Sacra Congregatio censuit, cambia huiusmodi non subsistere; quoniam re ipsa sunt sicca, & vsuraria: nam in eis campsuarius, aut obligatur ad recambiendum per locum celebrati contractus, & tunc cambia dicuntur apertè, & citra omnem dubitationem vsuraria, vt ostendimus supra, q. 44. vers. Pro determinatione: aut non obligatur ad recambiendum vt supra, & tunc licèt ante dictam declarationem cambia prædicta non fuerint apertè vsuraria, nec euidentem iniustitiam continentia, propter quod non nulli ea iusta, ac realia existimabant, ad contraria omnia respondentes, vt habetur ex Ioan. de Salas, de camb. dub. 12. & alijs apud Filliuc. tomo 2. qq. moral. tract. 35. p. 2. de camb. cap. 8. num. 431. & 436. in fin. nihilominus dicta cābia hodie post dictam declarationem, ac determinationem sunt certò sicca, & vsuraria: eo quòd ipsa Sacra Congregatio approbauit sententiā eorum, qui, ea omnino reprobāt, de quibus Filliuc. loco citato, num. 430. qui pro hac opinione allegat Molin. Gasp. Roder. Mercat. Palac. Rebel. & signanter Sotum lib. 6. de iust. & iure, q. 10. ar. 1. ita se habentē, *Attamen nullo prorsus fuco incrustare possunt cambia ista, quin sint manifestè vsuraria*. Et q. 13. ar. 1. *Si re vera, qui Mediolani recipit, non habet in illis locis pecuniam, nec speret habere, vt illic soluat; sed vbi recipit indiget, & illic est soluturus, quicquid campsores fingant, impudentia cambia sunt.* Imò sunt expressè per nostram Extrauag. damnata in hoc § in illis verbis, *Pecunia ibi denique cum interesse reposcitur, vbi cōtractus fuerat celebratus: nam inter dantes, & accipientes vsque à principio ita conuenerant, vel certè talis intentio erat.*

5 Nec obstat Breue eiusdem Pij V. pro Bononiensibus, cuius meminit Nauar. consl. 31. seu 2. de vsur. Eman. Sà, vers. Cambium, Comitul. lib. 3. q. 15. num. 10. Molf. p. 2. sum tract. 12. c. 7. sub num. 48. Filliuc. tom. 2. qq. moral. tract. 35. de censib. & camb. c. 8. q. 2. sub num. 432. vers. Secūda quia breue, Scac. de commerc. & camb. § 6. Glos. 1. num. 59. & alij: dum ait, *Che ogni persona possa dare à cambio, e fare che le lettere siano recapitate sopra di essi datori, & cosi tenerli su li cambij fin che saranno imbursati da chi haurà preso i danari.* Quoniam non ob id voluit approbare cambia prędicta, quæ per nostram Extrauag. vsuraria, ac sicca declarauit: sed rectè respondet P. Iustin. de cōtrin. camb. q. 7. num. 2. dicens debere intelligi de cambio, in quo recurritur ad procuratorem campsoris, qui de ipsius procuratoris pecunia cambium soluat, & campsor pro tali solutione quasi fideiussor fiat eiusdem procuratoris: nam id sibi volunt illa verba, *Et possa ogni persona ancora, &c.* Quæ quidē Iustinian. interpretatio est conformis determinationi nouissimè habitę per dictam Sacram Congreg. vt patet ex decisione tertij, & quinti casuum, quos supra retulimus, q. 42.

6 Vndè cùm huiusmodi cābia omnia post nouissimas Sacræ Congregationis determinationes sint certò sicca, & vsuraria, procul dubio exercentes ea vsurariorum pœnis hodie subijciuntur, cùm vi nostræ Extrauag. his pœnis afficiantur omnes sicca, & vsuraria cambia celebrantes, vt constat ex illis verbis nostri §. *Quæ omnia nos vsuraria esse declaramus, & ne fiant districtius prohibemus.*

mus. Etenim ad Rom. Pôtificem spectat iudicare contractus licitos esse, aut illicitos, vt sufficienter ostendimus in nostris Comment. ad Extrauag. Pij V. de censib. §. 2. q. 21. num. 11. & prædictę Sacræ Congreg.
7 determinationes à Romano Pôtifice factæ censentur, cùm ab eo approbatas fuisse, & ita seruari mandatum, constet ex copia ipsarum determinationū in d. q. 42. ad verbum relata, cuius originale conseruatur in actis, & scripturis S. Officij, qua propter cùm authenticæ sint, proculdubio in iudicio, & extra iudicium sint obligatoriæ, sicut de determinationibus Sacrę Congreg. Conc. Trid. probat Rodric. tomo 1. qq. Regul. q. 9. ar. 2. quibus etiā inquit non obstare, quòd nulla sit promulgata lex, quæ iubeat pręfatas determinationes suscipiendas esse tanquàm leges certas, & infallibiles: nam concesso, quòd Domini dictæ Congregationis commissione Papali determinationes ipsas, seu declarationes fecerint, eadem lege, qua obligamur recipere declarationē Papalem tanquam veram, obligamur quoque recipere dictæ Sacræ Congregat. determinationes. Vndè cùm hæc dicantur de S. Congreg. Conc. Trid. eadem ratione extendenda sunt ad determinationes Sacrę Cōgreg. de qua agitur: eo quòd par ratio militat in vtroque casu, arg. tex. in l. illud, ff. ad leg. Aquil.

Ex hoc infertur, quòd cùm varijs pœnis
8 vsurarii tā per leges ciuiles, & Canonicas, quàm per leges municipales afficiantur; eisdem quoque pœnis veniunt plectendi, qui prædicta cambia celebrare pręsumpserint; atque adeo sicut improbum fęnus exercētes, & sic vsurarum vsuras exigentes, tàm de iure Ciuili, quàm de iure Canonico notantur infamia, vt in l. improbum fœnus, C. ex quib. caus. infam. irrog. & cap. infames, §. porro, 3. q. 7. imò hodie omnes vsurarii sunt improbi quoniam omnis vsura improba est, ac immoderata, vt rectè docet Hostien. in sum. tit. de vsur. §. fin. vers. Alia à Iudice, in fine, Molin. de contract. disp. 334. num. 2. & Couar lib. 3. var. resol. cap. 3. & infra latius, Deo duce, dicemus, §. 3. q. 2. concl. 2. ita etiam ferè efficiuntur prędicta cambia celebrantes: siquidem isti vsurarii sunt, & vsuras vsurarum frequenter exigunt, cābia ipsa continuantes. Debet tamen vsurarius de vsurarum crimine per sententiam condemnari, ad hoc vt vsurarium subiiciatur pœnis: quia per solam criminis delationem citra sententiam nō irrogatur infamia; licèt à die delationis vsque ad annum delatus ad honores promoueri prohibeatur: secus autem elapso anno, quia tunc non prohibetur, nisi per ipsum steterit, quominus causa intra annum expediretur, vt per Dyn. in c. infamibus, de regul. iur. in 6. cum alijs Doctoribus ad ipsum additis. Sic etiam Clericus huiusmodi cambia exercens cùm sit vsurarius, ad beneficium præsentari, ac eligi nequit, & si presentetur, & vsuræ crimen ei obiiciatur, venit deponendus, vt habetur ex Lamber. de iur. patr. lib. 2. artic. 11. q. 9. princ. par. 1. Quod quidem intelligendum est, vt, primò suspensione fuerit punitus: & deinde si in contumacia perseueret cābia sicca, & vsuras exercens, tunc ab officio, & beneficio est deponendus: vt per Hostin. loco citato, & alios, quos refert, & sequitur Lup. in cap. quamquam, num. 8. de vsur. lib. 6. & facit tex. in c. 1. & cap. pręterea, eod. tit. Beneuetu-
9 rum est, quòd Episcopus infamiæ notā potest tollere ab vsurario, peracta pœnitentia, & adhibita satisfactione, & cum illo dispensare ad effectum retinendi beneficia ecclesiastica iam obtenta; non tamen quoad obtinenda; siquidem citra Romani Pontificis indulgentiā assequi non valent, vt per Glos. in cap. inter dilectos, de excess. Prelat. Gemin. cons. 77. col. vlt. & alii, quos citat Lup. loco supra citato, num. 7. Molina d. disp. 334. vers. Clericus, & Reginald. lib. 23. suæ sum. num. 95. quamuis contrariā sentētiam putemus probabiliorem, vt infra, dicemus §. 3. q. 2. concl. 3.

Illud autem hoc loco silentio nolumus
10 esse pretereundum, quod docent Gemin. & Franc. in c. 1. & d. c. quamquam, num. 4. vbi etiā Lup. num. 28. de vsur. in 6. & Graff. lib. 2. suarum decis. c. 103. in fin. dicentes, pœnas contra vsurarios statutas locum nō habere nisi post vsuras exactas; quoniam ante illarum exactionem delictum non est cōsumatum; atque ideò ad probandum aliquē vsurarium testes non concluderent, si deponant, quòd quis publicè, & palam, ac domi frequenter mutuo dederit sub vsuris,

nisi

nisi dixerit, quòd vsuras receperit: etenim cōtrariam opinionem tenet Scac. de commerc. & camb. §. 1. q. 7. par. 2. ampl. 20. sub num. 36. vers. Extende conclusionem, dum ait, vsurarios puniri posse etiam ante vsuras extortas, cum vsuræ delictum consumetur sola spe recipiendi lucrum ex mutuo vltra sortem: & exactio est necessaria solùm, vt possit condemnari etiam ad restitutionem vt supra adnotauimus q. 46. limit. 2. cuius sententia nobis videtur probabilior, eo quòd verbis Domini, de quibus in cap. consuluit, de vsur. magis accōmodatur, dū prohibet vsuras dicens, *Mutuo date nihil inde sperantes.* Quasi vellet, ad vsuræ consumationem duo tantum requiri, nempe mutuo dationem: & ex eo intentionem, seu spem percipiendi lucrum vltra sortem. Est tamen verum, quòd prior sententia mitior est, & magis æqua: & propterea, qui ea vteretur in praxi, excusaretur, maximè si ageretur de condemnando reum ad determinatas pœnas contra vsurarios statutas per ius Canonicum, & leges municipales. Posset tamen posterior sententia practicari in puniendis huiusmodi vsurarijs pœna extraordinaria: nam vsurarij extra casus à iure definitos, in locis, in quibus non extant leges municipales definientes eisdem pœnas, veniunt puniendi pœna extraordinaria arbitrio iudicis: siquidem vsuraria prauitas est de iure punibilis, vt supra ostēdimus d. q. 46. limit. 2. & eo magis; quia dato, quòd crimen non esset consumatum; nihilominus agitur de delicto saltem attentato à non pęnitente, in quo fuit deuentum ad actum proximum: at huiusmodi delicta attentata veniunt saltem extraordinariè punienda, vt per Doctor. in l. si quis non dicam rapere, C. de Episc. & cler. & patet ex ijs, quæ nos adnotauimus in nostris Commentar. ad Bull. cœn. Domin. lib. 2. cap. 7. q. 10. num. 2. & 12. & hanc sentētiam tenet Tusch. ver. vsurarius, concl. 354. num. 9.

Secunda Conclusio.

11 Celebrantes cambia, de quibus est cōtrouersia, tenētur quæsita ex eis restituere, siue ante, siue post dictas S. Cōgreg. determinationes illa quæsierint. Hæc conclusio patet ex ijs, quæ supra adnotauimus q. 44. quibus adde, quæ statuta fuerūt cōtra vsurarios manifestos in cap. cum tu de vsur. vbi vsurarij manifesti, qui sunt soluendo, nisi restituāt communione altaris, & ecclesiastica sepultura priuantur: & quæ habentur in cap. quamquam, eod. tit. in 6. vbi fuit decretum, quòd licèt vsurarij manifesti in suo testamento, vel in quacunque alia vltima voluntate mandauerint vsuras restitui; nihilominus eis non traditur ecclesiastica sepultura, donec de vsuris pro eorum viribus plenariè fuerit satisfactum, aut sufficiens præstita cautio cum pignoribus, vel fideiussoribus: idque vel ijs, quibus facienda est restitutio, si adsint, vel alijs, qui de iure possunt illas acquirere: & in eorum defectum Ordinario loci, vel eius Vicario, vel Rectori Parochiæ, in qua defuncti vsurarij habitabant, vt rectè declarat Molin. de contract. disp. 334. sub num. 8. vers. Capite quamquam. His etiam adde quæ sancita fuerunt in cap. post miserabilem de vsur. & in clem. 1. eod. tit. vbi sub pœna excommunicationis pręcipitur Potestatibus sęcularibus ad coercendum vsurarios etiam si iudęi sint, ad restituendum vsuras à Christianis extortas: & excommunicantur officiales Ciuitatum facientes, dictantes, vel scribētes, statuta super vsuris soluendis, nō repetendis, vel non restituendis. Vndè cum lucra cambiorum, de quibus agitur, citra omnem controuersiam hodie post dictæ Sacræ Congregationis determinationes, vsuraria sint, officiales Ciuitatum, & Potestates facientes, dictantes, vel scribentes statuta super huiusmodi lucris soluendis, non repetēdis, vel restituendis, eisdem pœnis proculdubio subijciuntur.

Tertia Conclusio.

12 Celebrantes cambia prędicta post Sacræ Congr. determinationes, quamuis quæsita ex eis teneantur restituere; nihilominus, qui dedit cambio potest petere interesse lucri cessantis, vel damni emergentis, si ratione talium cambiorum interesse aliquod fuerit passus, vt quia pecunias suas cambio reali dedisset, aut iustæ negotationi destinasset, vel ex eis suis debitoribus satisfecisset.

fecisset, iuxta ea, quæ supra quæst. præcedenti adnotauimus: siquidem dum scirent cambia huiusmodi esse sicca, præsumuntur dedisse mutuo sub lucro ratione lucri cessantis, vel damni emergentis: & eo maximè quoniam stante scientia campsuarij, pecuniæ datæ ad cambium remanēt apud ipsum tanquam purum mutuum; quas cùm sit in mora restituendi proculdubio tenetur ad interesse, vt in d. q. præced. diximus, versic. His tamē: ampl. 4. & limit. 2. Eterum ad hoc vt interesse huiusmodi debeatur, satis est, quòd campsuarius sciat, vel scire debeat, cambia prædicta esse vsuraria, vt ibidem ostendimus: quòd autem ante, vel post dictas determinationes contraxerit, non attenditur.

Restat modo vt contraria diluamus.

AD primum respondetur, quòd Sacra
13 Congregatio nō solùm declarat, sed etiam decernit cambia ipsa non subsistere, atque ideò sicca esse, & vsuraria, vt patet ex illis verbis dictarum determinationum, supra q. 42. ad verbum relatarum, & ita se habentibus, *Domini censuerunt non subsistere. Domini censuerunt pariter non subsistere, cum innitatur primo, &c.* Quæ quidem determinationes cum fuerint a Romano Pontifice approbatæ, & iussum, vt ita seruetur prout in eis continetur, procul dubio habent vim
14 legis, & eandem vim, quam habent Epistolæ decretales: siquidem omnia nostra facimus, quibus nostra impartitur auctoritas. Imò etiam si dictæ determinationes essent simplices declarationes, stante commissione Rom. Pontific. & eiusdem approbatione, ac ordinatione, vt constat ex relationibus dictarum determinationum ad ipsum Sum. Pontificem, in illis verbis, *Easque approbasse, & ita seruari mandasse. In materia cambiorum approbasse. Et Sanctitas sua annuit.* adhuc tamen pro lege sunt seruandæ, per ea, quæ ex Roder. adnotauimus, conclus. 1. vers. Vndè cùm huiusmodi cambia. Et eo maximè, quoniam cambia, de quibus agitur, dato, & non cōcesso, quòd certo non essent vsuraria, vt talia certò esse supra ostē-dimus; nihilominus non essent minus dubia, quàm ea cambia, in quibus diximus campsuarium non obligari ad recambiendum; & tamen ait Filliuc. tom. 2. qq. Regul. tract. 35. de camb. cap. 8. q. 4. num. 437. quòd illorum dubium est tale, vt per Roman. Pontificem prohiberi possint tanquam vsuraria, & iniusta: nam àd Romanum Pontificem spectat declarare contractus esse licitos, vel illicitos, vt sæpe diximus.

Ad confirmationem dicimus, quòd quā-
15 uis dicta Sacra Congregatio non habeat facultatem condendi legem, nihilominus, quia eius determinationes fuerunt approbatæ vt supra à Rom. Pōtifice, & ab eodem mandatum eas seruari, procul dubio habent vim legis, vt supra ostendimus. Et eo magis, quoniam prædicta Sacra Congregatio à S. D. N. D. Vrbano Papa VIII. instituta pro materia cambiorum, constat ex Eminentissimis Theologis, ac Canonistis ab ipso S. D. N. specialiter deputatis: etenim in
16 iudicanda iustitia, vel iniustitia cambij standum est iudicio Theologorum, & Canonistarum; non autem iudicio campsorum, vt ipsi malè arbitrantur: & rectè docent Mol. post alios p. 2. suæ sum. tract. 12. cap. 7. sub num. 90. & 91. & Iustin. de contin. camb. q. 3. num. 2. Iustitia enim cōtractuum, eorumque validitas metiendæ sunt sacris Canonibus, & determinationibus Conciliorum, ac lege Diuina, ac naturali; id autem ad Theologos, & Canonistas pertinet: qui sunt legis Diuinæ, naturalis, Canonum, & determinationum Conciliorum interpres; quales non sunt campsores.

Non tamen negamus, quòd cambiorum
17 factum Theologi, ac Canonistæ citra difficultatem aliquam nō percipiunt; tum quia campsores breuissimis, ac incognitis terminis vtuntur in huiusmodi commercijs, maximè in scribendis litteris; qua propter quidam probabiliter dubitarunt cambiorum negotiatores de industria hunc concisum, abstrusum, & perplexum loquendi modum excogitasse, vt Theologi, Iuristæ, & alij Docti Viri, ignoratis cambiorum terminis, ea damnare nesciant, vt post alios inquit Scac. de commerc. & camb. §. 1. q. 2. num. 16. & 17. tum quoniam negotiorum, forique experientia carent; tum etiam, quia con-

contractus cambiorum pro maiori parte consistunt in quamplurimis ratiocinijs; atq; ideò graue onus esset Doctis Viris ratiociniis vacare: tum denique quoniam mercatores sępissimè solent quamplurimas excogitare subtilitates ad illicita lucra captāda, & ad palliandas vsuras, vt etiam Doctissimos Viros perplexos reddāt, vt inquit Sot. lib. 6. de iust. & iur. q. 8. ar. 2. in fin. & alii. Vndè quoad facti explicationem standum est ipsis campsoribus, & mercatoribus, timoratæ tamen conscientiæ, qui factū ipsum facilè, & vt se habet in rei veritate explicent, atque declarent, ad hoc vt Theologi, & Canonistæ rectè de cambij iustitia iudicare possint, vt habetur ex eodem Sot. lib. 6. de iust. & iur. q. 11. ar. 1. vers. Postquā, col. 1. Latè Scac. loco citato, à num. 18. vsq; in fin. & Molf. d. c. 7. num. 91. Quæ quidem difficultates cessarunt omninò in supra relatis determinationibus per dictam Sac. Cōgregat. habitis: siquidem determinationes ipsæ factæ fuerunt, præmissis cambiorum casibus, eisdemque diligentissimè, ac facillimè explicatis à timoratæ conscientiæ cāpsoribus, vt patet ex copia dictorum casuū, eorumque resolutionum, quam supra ad verbum retulimus d. q. 42.

Ibi, *Cùm pecunia, siue depositi, &c.* An deponere penes cāpsores pecunias, vt illas negotietur in cābijs, & deponentem faceret lucri participem sit licitū. Q. XLVIII.

SVMMARIVM.

1 *Deposita in cambijs vi nostra Extrauag. damnantur.*

2 *Societas cambiorum licita est.*

3 *Deponere suas pecunias licitè quis potest apud campsorem, vt illas sub lucro det cambio.*

4 *Deponere quis potest suas pecunias apud cāpsorem, vt supra, non solùm ad participandum de lucro in cambijs; sed etiam ad consequendum totum cambiorum lucrum, solutis campsori solitis prouisionibus.*

5 *Deponens pecunias apud campsorem, qui totum cambiorum lucrum tribuit deponenti, deductis suis prouisionibus, non dicitur celebrare contractum societatis; sed locationis operum.*

6 *Assecurationis contractus licitus est non solùm in contractu societatis; sed etiam in cōtractu locationis operum.*

7 *Pastor licèt ex natura contractus locationis operum, non teneatur de casu fortuito; vi tamen pacti tenetur.*

8 *Societatis cambiorum cōntractus ad hoc sit licitus, quas conditiones exigat.*

9 *Deponi apud campsorem pecuniæ possunt, vt negotientur in cambijs, non solùm mediante assecuratione sortis; sed etiam citra sortis assecurationem.*

10 *Mulieres Ianuenses qualiter suas pecunias sub lucro deponant apud campsores, vt negotientur eas in cambijs.*

11 *Deponi qualiter possint pecuniæ apud campsorem sub certo, ac determinato lucro, & mediante assecuratione sortis.*

12 *Constitutio Sixti V. Detestabilis, damnans societates coiri, salua sorte, & certa lucri parte, quomodo intelligatur.*

13 *Deponi sub certo, ac determinato lucro, & salua sorte, possunt aliquando pecuniæ apud campsorem, etiam si non contrahatur societas.*

14 *Deponi pecuniæ apud campsorem ad societatem cambiorum, ita demum possunt, quando deponens verisimiliter putat, campsorem eas fore negotiaturum in cambijs realibus; aliàs secus.*

15 *Deponens pecunias apud campsorem putans illum eas daturum ad cambia realia, si deinde comperiat dedisse ad cambia sicca potest lucrum sibi retinere ratione interesse.*

16 *Extrauag. nostra prohibens deposita in cambijs, qualiter intelligatur.*

1 IN hac difficultate videtur prima facie negatiuè respondendum esse. Etenim huiusmodi deposita in cambijs sunt prohibita; eo maximè quādo pecunia cum lucro in eodem loco reposcitur, in quo datur, vt patet ex nostro S. in illis verbis, *Cui malo simile etiam illud est, cùm pecunia, siue depositi, siue alio nomine ficti cambij traduntur, vt postea eodē in loco, vel alibi cū lucro restituantur.*

2 His tamen non obstantibus, in contrarium est veritas. Nam sicut licitum est cambium

 reale,

reale,ita quoque licita est societas cambio-
rum realium: quãdo enim quis deponit pe-
cuniam suam apud campsorem, vt eã nego-
tietur in cambijs,& deponentẽ ipsum faciat
lucri participem,tũc deponens dicitur cõ-
trahere, seu celebrare cũ campsore contra-
ctũ societatis: ergo deponere eo modo pe-
cuniam licitũ est. Confirmatur,quoniam ii,
qui ad mercandũ idonei nõ sunt, licitè pos-
sunt eorũ pecunias apud mercatores depo-
nere , vt eas negotientur in emptione , ac
vẽditione lanarum,sericorũ,& aliarũ rerum
vt in l. 1. & l. societas,ff. pro soc. latè Petr. de
Vbald. tract. de duob. fratrib. p. 4. num. 2. &
seq. & q. 2. num. 7. Couar. lib. 3. var. resol. c.
2. num. 2. vers. Prima cõclusio: & alii cõmu-
niter de societate tractantes: ergo eodem
modo quis potest deponere suas pecunias
apud campsorem,vt illas sub lucro det cam-
3 bio:siquidem non minus iusta est negotiatio
cambiorum,vt suo loco satis probauimus in
explicat. proœm. q. 8. quàm lanarum,serico-
rum,& aliarum rerum huiusmodi.

Ampliatur primò hæc conclusio, vt quis
4 deponere possit pecunias apud campsorem
ad negotiandas eas in cãbijs, non solùm ad
participãdum de lucro, quod percipitur ex
cãbio;sed etiã ad consequendũ totum cãbij
lucrũ, soluendo ipsi cãpsori solitas tantum
prouisiones, vt habetur ex Boninf. de cãb.
c. 7. Azor. p. 3. Inst. moral. lib. 10. de camb.
c. 11. q. 1. Et ita passim practicari apud Ge-
nuenses testatur Scac. de cõmerc. & camb.
§. 1. q. 7. par. 2. ampl. 9. sub num. 1. Etenim
sicut cõtrahi potest societas,qua vnus con-
ferat operã,& alter pecuniã, ita vt lucrũ, &
damnũ in mercibus sit cõmune,quando in-
dustria vnius tantũ præstat,quantũ pecunia
ab alio collata,vt habetur ex Petr. de Vbal.
loco citato; ita quoque coiri potest socie-
tas,vt vnus cõferat industriã, & alter pecu-
niã;sed vni cedat maior pars lucri, quã alte-
ri, quando industria, & opera vnius minus
æstimatur, quã pecunia collata alterius, vel
è contra,vt in d. l. 1. & l. societas, ff. pro soc.
& nos latè in tract. de societat. lib. 2. c. 4. q.
11. & 12. Hanc eandẽ ampliationẽ appro-
bat Filliuc. tom. 2. qq. moral. tract. 35. de
cãb. c. 9 q. 2. Etenim,inquit,in hoc cambio
virtualiter concurrere tres contractus,quo-
rum primum esse putat societatis;cùm vnus
cõferrat pecuniam,& alter industriam,& la-
borẽ: secundũ contẽdit esse contractũ asse-
curationis, quo pecunia deposita à cãpsore
assecuratur,ita vt si pereat, nõ pereat depo-
nenti;sed ipsi cãpsori. Tertiũ denique dicit
esse cõtractum locationis operum: quia cã-
psor locat operas suas pecuniarum Domi-
no in ea negotiatione, & cãbio exercendo.

Sed re vera huiusmodi cõtractus,de quo
5 in ipsa ampliatione , nobis non videtur esse
societatis , cùm partẽ aliquam lucri cãpsor
non consequatur; sed locationis operum
dumtaxat, cùm campsori soluantur solitæ
tantum prouisiones, iuxta ea, quæ nos ad-
notauimus in nostro tract. de societ. lib. 2.
cap. 4. q. 11. Et si fiat pecuniæ assecuratio,
6 erit quoque cõtractus assecurationis:siqui-
dẽ cõtractus assecurationis licitus est nõ so-
lũ in societate negotiationis, in qua fit asse-
curatio capitalis , vt in d. tract. de societ. c.
4. q. 3. 5. & 6. sed etiã in contractu locatio-
nis operũ. Vt patet in cõtractu cõductionis
personæ ad pascẽda,ac custodienda anima-
lia:nam potest pacisci animalium Dominus
cum Pastore de reficiendo damno contin-
gente in ipsis animalibus , etiam ex culpa
eius leuissima,& casu fortuito:etenim quã-
7 uis Pastor ex natura contractus locationis
operũ,non teneatur de casu fortuito,vt in l.
in iudicio, C. loc. & Azor. p. 3. Instit. moral.
lib. 9. de societ. c. 7. q. 2. vi tamen pacti te-
netur: siquidem huiusmodi pactum non est
contra,sed præter substantiam cõtractus lo-
cationis,ac cõductionis,vt patet ex ijs, quæ
nos adnotauimus in d. nostro tract. de soc.
lib. 2. c. 5. q. 4. ampl. 1. Est tamẽ verũ, quòd
8 ad hoc , vt huiusmodi contractus sit licitus,
tres cõditiones exigit: quarum prima est,vt
dans pecuniã ad cãbium existimet proba-
biliter,cãpsorem eã applicaturũ ad cãbia li-
cita : aliàs si sciret illã implicaturũ in cãbijs
siccis,ac iniustis concurreret ad iniustitiam
illius . Secunda est, vt contractus assecura-
tionis sortis fiat liberè , recepta pro ea iusta
mercede. Et tertia, vt soluatur iusta mer-
ces campsori pro labore , & industria cam-
biendi , quæ solet esse tertia pars aurei,
vt habetur ex eodem Filliuc. loco citato,
q. 3. vbi etiam q. 4. ostendit, dictum contra-
ctum varijs modis reddi posse illicitum.

Secundò ampliatur hæc eadem conclu-
sio,

9 fio, vt quis deponere possit pecunias suas,
vt supra apud campsorem, vt negotietur
eas in cambijs, non solùm salua sorte, me-
diante assecuratione, atque adeo, vt stet, vt
dicitur, *Del credere*, ita vt deponens dam-
num aliquod non sentiat, si pecuniæ pereat,
vt habetur ex Hostien. in sum. tit. de vsur. §.
an aliquid. Io. Bapt. Lup. in cap. nauiganti, §.
2. num. 20. in fin. de vsur. & Scac. d. ampl. 9.
sub num. 3. qui ait, ita practicari inter cam-
psores, & mulieres Ianuenses, suas dotes ita
10 apud campsores deponentes; verùm etiam
deponuntur pecuniæ apud campsorem, vt
supra, vt eas negotietur extra assecurationē
aliquam ita vt si pecuniæ pereant, damnum
pertineat ad deponentem. Debet tamen
deponēs pecunias, salua sorte, soluere cam-
psori pretium assecurationis arbitrio boni
viri iuxta quantitatem periculi: siquidem
negotiando pecunias suo periculo, ratione
periculi, ac industriæ debetur sibi emolu-
mentum aliquod, vt rectè declarat Scac. d.
ampl. 9. num. 6. vel tanto minus debet par-
ticipare de cambii lucro, si fiat societas cā-
bii, vt habetur ex eod. Scac. eod. tract. §. 3.
num. 36.

Tertiò ampliatur, vt deponens, vt supra
11 apud campsorem pecunias non solum pa-
cisci possit, vt sors salua remaneat; verùm
etiam, vt sibi soluatur certum, ac determi-
natum lucrum, dummodo soluat pretium
tàm assecurationis sortis, quàm assecuratio-
nis lucri si societas fiat. Etenim hæc omnia
perficiuntur ex celebratione trium contra-
ctuum, quorum primus est societatis: secun-
dus assecurationis sortis: & tertius assecura-
tionis certi lucri. Nam qua ratione Tertius
posset huiusmodi deponentem assecurare,
eadem ratione poterit socius, cùm non pos-
sit assignari diuersitatis ratio. Vndè virtua-
liter saltem dicuntur celebrari tres contra-
ctus, vt diximus, vnus societatis: alter asse-
curationis sortis: & tertius assecurationis
certi lucri, ad tollendas suspiciones, & mo-
lestias rationum, & computorum, vt habe-
tur per Couar. lib. 3. var. resolut. c. 2. num. 4.
vers. Tertia conclusio. Nauar. in Man. c. 17.
num. 254. vers. Notandum, & in c. si fœne-
raueris, not. 14. num. 32. & seq. 14. q. 3. Lup.
in c. nauiganti, §. 1. post præfationem, sub
num. 12. vers. Sed Hostiensis, in fin. de vsur.
Bonins. tract. de Montib. cap. 8. sub num. 2.
Less. lib. 2. de iust. & iur. cap. 25. num. 23. &
seq. Molina de contr. disp. 417. vers. Quid
de hac. Quibus adde, quæ infra dicemus,
q. 53.

Et hāc praxim approbatā fuisse à Theo-
12 logis Galliæ, Hispaniæ, Italiæ, & aliarum
partium, testatur Less. loco citato, num. 23.
Et ita seruare signanter Ianuenses in nego-
tiatione pecuniaria super cambiis, testatur
Scac. d. §. 3. Glos. 3. num. 36. vbi etiam num.
37. respondet ad constitutionem Sixti V.
incipientem *Detestabilis*, quæ damnat so-
cietatem eo pacto initā, vt capitale, & cer-
ta pars lucri ex capitale sint semper salua.
Ait enim, quod dicta constitutio est similis
d. c. nauiganti, de vsur. & propterea similem
patitur interpretationem; nempe vt sicut
mutuans nō potest in contractu mutui obli-
gare mutuatarium ad faciendum se assecu-
rari ab ipso mutuante, cùm obligatio illa sit
pretio æstimabilis; atque ideò augeretur
sors mutuata; ita etiam conferens suam pe-
cuniam in societate, non potest obligare so-
cium, qui eam accepit, ad assecurandum ca-
pitale; quia illa obligatio est pretio æstima-
bilis: & propterea ex tali obligatione resul-
tat iniustitia societatis: secus autem si asse-
curatio fiat sponte; quia tunc cessat disposi-
tio dictæ constitutionis. Vel secundò dicē-
dum esse censet, præfatam constitutionem
damnasse societates, in quibus vnus socius
assecurat capitale alterius, non soluto sibi
iusto pretio assecurationis; quoniam tunc
societas esset iniusta. Vel Tertiò responderi
potest, constitutionem illam de stati in con-
tractu societatis tantùm pacta illicita, quæ
sunt contra iuris dispositionem, vt patet ex
eiusdem inscriptione. Vel denique respon-
detur ex Azor. p. 3. Instit. moral. lib. 10. tit.
de censib. c. 22. vers. Secundò quæritur, il 2.
& Less. loco citato, sub num. 33. vers. Nec
obstat Sixtus, & seq. quòd illa constitutio
non est vsu recepta, præsertim in Belgio.
Alias obiectiones contra doctrinam hanc,
& earum solutiones vide apud Scac. d. §. 3.
Glos. 3. num. 38. cum plur. seq. His etiam
addo, quæ latè adnotauimus in tract. de so-
ciet. lib. 2. cap. 4. q. 3.

Imò etiam si societas hoc casu non fie-
13 ret inter deponentem pecuniam, & cam-

psorem, sed tantùm ei soluantur debitę prouisiones pro labore, & iustum pretium pro assecuratione sortis; adhuc tamẽ potest fieri pactum, vt sibi ex dicta pecunia danda ad cambium soluatur certũ, ac determinatum lucrum: siquidem hæc quoque dicitur assecurationis species, qua soluitur lucrum certum pro incerto: quæ quidem assecuratio potest dari citra alium contractum societatis, vt supra diximus, ampl. 1. & colligitur ex ijs, quæ habentur per Doctor. in d. c. nauiganti, de vsur. Vndè eo casu concurrunt tres contractus saltem virtualiter; nempe locationis operum, assecurationis sortis, & assecurationis lucri.

Sic ampliata limitatur ipsa conclusio, vt
14 ita demum deponens pecunias suas, vt su-
pra apud campsorem, vt illam negotietur in cambijs, possit ex eis incrementum aliquod percipere quando verisimiliter putat, campsorem fore pecuniam illam negotiaturum in cambijs veris, ac realibus: secus autem si sciat, vel probabiliter credat, pecuniam ipsam fore negotiaturum in cambijs siccis, ac vsurarijs, vt supra diximus, ampl. 1. vers. Est tamen verum: vel nullo pacto esse negotiaturum; quia tunc non posset incrementum illud consequi, sed perceptum teneretur restituere illi, à quo per campsorem fuerat extortum, per ea, quæ habentur ex Sot. lib. 6. de iust. & iur. q. 7. ar. 2. Lup. in d. c. nauiganti, num. 71. in fin. de vsur. Azor. p. 3. Institut. moral. lib. 10. de camb. c. 11. q. 1. Beia p. 2. cas. 22. & Iustin. de contin. camb. q. 19. num. 4. Est tamen verum, quòd si deponens pecunias suas penes campsorem modo supra-
15 dicto, verisimiliter credat ab eo dandas es-
se cambijs veris, ac realibus, & deinde comperiat illa dedisse ad cambia sicca, vel nullo modo dedisse ad cambia, posset illud sibi retinere ratione interesse lucri cessantis, si pecunias illas alij dedisset ad reale cambiũ, aut in aliam iustam negotiationem implicasset, ex qua tale incrementum percepisset: secus autem si pecunias prædictas non fuisset alij daturus cambio, nec applicaturus ad aliam negotiationem, iuxta ea, quæ supra adnotauimus, q. 2. cõcl. 1. in fin. quicquid dicat Iustin. d. q. 10. num. 5. Etenim Scac. de commerc. § 1. q. 7. par. 2. ampl. 19. num. 63. & 64. & §. 1. q. 1. num. 209. & alij, quos allegat intelligendi sunt iuxta prædicta, & iuxta sententiam Salon. de camb. q. 4. art. 2. contr. 7. num. 3. Salas eod. tract. dub. 15. num. 3. & Bonac. de contr. disp. 3. q. 5. pun. vnico, propos. 5.

Ad argumentum ex nostro §. patet re-
16 sponsio; loquitur enim quando quis depo-
nit pecunias suas apud aliquem nomine ficti cambij, vt ex eo lucrum consequatur: secus autem si pecunias suas deponat apud campsorem, vt eas negotietur in cambijs: quia huiusmodi contractus vi nostræ Extrauag. non censetur prohibitũ, vt rectè docet Azor. p. 3. Institut. moral. lib. 10. c. 11. q. 1.

An licitum sit pluribus deponere eorum pecunias apud vnum, & eundem campsorem, vt eas omnes eorum nomine negotietur in cambijs. Q. XLIX.

SVMMARIVM.

1 *Praxis refertur, qua deponitur pecunię apud campsuarium, vt vulgò dicitur*, che le tengha sopra cambii.

2 *Deponentes pecunias apud campsorem*, che le trattenghi sopra cambii, *licitè possunt eas deponere, & ex ipsis lucrum percipere.*

3 *Quod in pluribus personis, id in eadem persona recipi potest.*

4 *Vna, & eadem persona potest habere rationes banchariae in diuersis locis, quæ regantur tanquam diuersa, & nihil habeant inter se commune.*

5 *Vna, & eadem persona potest vocari Titius Genuę, & Titius Placentiæ.*

6 *Vna, & eadem persona qualiter possit esse campsor, & campsarius; creditor, & debitor, trahens, & remittens, agens, & patiens.*

AD tituli explicationem ponamus ca-
1 sum, quòd Titius negotietur in nun-
dinis, & habeat apud se non nullorum pecunias, nempe Sempronij, Meuij, & Pamphili, qui eas apud ipsum deposuerãt in negotiationẽ cambiorũ per spaciũ vnius anni: quod vulgò dicitur, *Gli trattenga sopra cābij*. Vt ipse tãquam procurator eorum negotietur, & permutet pecunias. Seius acci-
1 pit ad cambium Genuę per Placentiã mille

aureos

aureos à dicto Titio ex pecunijs Sempronij: dat litteras Titio, vt sibi soluat Placentiæ ad primas nundinas de pecunijs Meuij. Titius in nundinis sibi soluit, vt procurator Sempronij de pecunijs Meuij pro Seio. Deinde idem Titius sibi soluit, vt procurator Meuij pro Seio, accipiendo de pecunijs Pamphili; atque ideò modo cum vno, modò cum alio fit cambium. Et sic hoc modò Titius gerit personam plurium: ipse enim dat pecunias, accipit, scribit litteras, soluit, & exigit à se ipso pecunias. Quæritur, an huiusmodi cambiendi modus sit licitus.

1 Videtur prima facie dicendum, talem cambiendi modum esse omnino illicitum: siquidem licèt hodie apud campsores, & mercatores sit valdè in vsu; nihilominus si res ipsa rectè perpendatur, constat eum esse merè figmentum. Nam Titius in eo gerit personam accipientis ad cambium, & personam dantis. Vndè ipsemet sibi præstat, ipsemet sibi exigit, & soluit, quod videtur mera nugatio.

His tamen non obstantibus, oppositam
2 sententiam puto veriorem, quã tenet Azor. p.3.Inst.moral.lib.10.de camb. cap.9.q.6. Etenim Titius hoc casu gerit personã multorum; atque ideò ex pecunijs vnius soluit pecunias alterius, ac si multæ personæ essent. Siquidẽ, quod in pluribus personis, id
3 in eadem persona recipi potest, vt in l. singularia, ff. si cert. petat. l. fistulas, §. fundum, ff. de contrah. empt. Et quòd à semetipso possit aliquis exigere, est tex. in l. qui fine, ff. de negot. gest. Et quòd vna, & eadem persona possit habere rationes bancharias in
4 diuersis locis, quæ reguntur tanquam diuersæ, & nihil habeant inter se commune, patet ex communi praxi, & est tex. in l. prioris, §. si plures, vbi Paul. Castr. ff. de Trib. vna enim, & eadem persona potest vocari
5 Titius Genuæ, & Titius Placentiæ, vt supra adnotauimus, q.38. vndè non est absurdum,
6 vt vnus, & idem diuersis respectibus sit cãpsor, & campsuarius; creditor, & debitor: agens, & patiens: trahens, & remittens: siquidem potest esse agens, & creditor nomine proprio: patiens, & debitor nomine alterius: campsor respectu ipsius, & mandatarius respectu campsuarij. Cõfirmatur, quoniam si talis cambiendi modus esset illicitus, vel talis esset ex parte recipientis ad cambiũ, vel ex parte Dominorũ pecuniarum: vel ex parte procuratoris negotiantis. Non potest dici primum; quia in accipiente ad cambium non potest dari vsura: non potest dici secundum; quoniam Dominos pecuniarum supponimus nihil plus iusto percipere, cùm negotientur per procuratorem animo licitè negotiandi: non tandem ex parte procuratoris; nam dat Seio ad cambiũ, sicut dat, & cæteris. Reliqua vide apud Azor. loco citato: & ad contrarium patet responsio ex dictis.

An deponens apud campsorem pecunias suas habentem proprias, ac etiam alienas, vt negotietur eas omnes in cambijs à Placentia in Genuam, & è cõuerso per spacium vnius anni, solutis ei debitis prouisionibus, dicatur licitè contrahere. Q. L.

SVMMARIVM.

1 *Placentiæ casus frequentissimus refertur.*
2 *Damnum, quod quis sua culpa patitur, sibi imputatur.*
3 *Deponentes pecunias apud campsorem, qui eas per conuentas nundinas ad cambium non dedit, aut nullo modo dedit, aut cum proprijs miscuit, lucrum ex eis percipere nõ possunt.*
4 *Mixtione rerum dominia comparantur.*
5 *Pœna non debetur ante iudicis condemnationem.*
6 *Deponentes pecunias apud campsorem, probabiliter scientes illum eas non daturam ad conuentas nundinas, & eisdem ad sui libitum se vsurum, vsuram committit.*
7 *Deponentes pecunias apud campsorem decipientem ipsos, & non dantem eas ad cambium, vel ad nundinas conuentas, aut implicantem alijs negotiationibus ad sui libitum, possunt lucrum cambij sibi retinere loco interesse.*
8 *Deponentes pecunias apud campsorem, vt det illas cambio Genua per Placentiam, si cam-*

ipsor ipse pecunias ipsas accepit sibi cambio, possunt lucrum cambij iustè retinere.

9 *Cambio potens dare pecunias alicuius Tertij, potest eas cambio accipere à se ipso, etiam si permixtas habeat cum alijs suis pecunijs.*

10 *Vna, & eadem persona potest repræsentare plures personas.*

11 *Lucrum percipientes ex pecunijs, quas ad cãbium non dederunt, tenētur illud restituere.*

1 AD tituli explicationem ponamus casum, Placentiæ præsertim maximè frequentatum. Titius campsor habet viginti millia aureos suos negotiaturus eos in cambijs, & duodecim millia aliorum; nēpe quatuor millia Sempronij, quatuor millia Caij, & reliquos quatuor millia Meuij, quos recepit deposito, vt similiter eos negotiaretur in cambiis à Genua in Placētiam, & è conuerso, receptis ab eis prouisionibus Ordinariis, & cum pacto, quòd dicti Sēpronius, Caius, & Meuius, nisi elapso anno possint repetere dictos duodecim millia aureos à dicto campsore: & antequam labatur annus, tribus mensibus, teneantur denunciare ipsi campsori, si nolint eos amplius, vt in cambiis negotientur. Quæritur igitur, an prædicti Sempronius, Caius, & Meuius, qui eorum pecunias deposuerunt apud dictum Titium campsorem cum supradictis pactis, & conditionibus possint licitè percipere lucra dictorum cambiorum ab ipso campsore.

Antequā ad huius rei determinationem deueniamus, est supponendum, quòd dictus Titius campsor prædictos duodecim millia aureos, quos deposito recepit à dictis Sempronio, Caio, & Meuio, miscuit cum illis viginti millibus aliis suis propriis, ita vt vna pecunia ab alia secerni nequeat, sed omnes confusæ permaneāt. Item dictus Titius non solùm dat cambio per Placentiā, & è conuerso; sed Mediolani per Lugdunum, Meruinam, & alias nundinas, & loca. Imò non tātùm negotiatur in cambiis; sed etiam in emendis, & vendendis lanis, sericis, & aliis eiusmodi. Præterea ipse Titius campsor multoties non inuenit ad dandum cambio totam pecuniam: aut si inueniat, quia personæ, quæ volunt cambio accipere sunt pauperes, & non tutæ, recusat eis dare cambio, atque ideò non nulla millia aureorum tenet otiosa. Rursus præfatus Titius pecunias, vt supra depositas omnes, vel earum partem expendit, & negotiatur in aliis mercaturæ speciebus, non autem in cambiis: & si in cābiis, non in illis Genuæ per Placentiam; sed per Lugdunum, Meruinam, Mediolani, &c. & nihilominus deponentibus soluit lucra cambiorum, quæ fiunt Genuæ per Placentiam, & è conuerso. Denique quando dictus Titius dat cambio per Placentiam, aut recambiat Placentiæ per Genuam aliquando scuta marcharum emuntur plus, & minus, prout nundinæ magis, aut minus distant à tempore celebrati cōtractus; & tamen ipse Titius semper soluit lucrum eodem modo iuxta pretium fori.

2 In hac difficultate videtur primâ facie dicendum, præfatos Sempronium, Caium, & Meuium, qui eorum pecunias, vt supra deposuerunt apud Titium campsorum, vt illas negotiaretur in cambiis, licitè potuisse consequi lucra cambiorum iuxta pretium fori Genuæ per Placentiam, & è conuerso, siue cambio eas dederit siue non, in totum vel pro parte: vel cambio dederit, sed non per conuentas nundinas, aut ipsis in aliis negotiationibus fuerit vsus: siue easdē cum propriis pecuniis miscuerit. Probatur; quia nos supponimus, prædictum campsorem debitas prouisiones, & iustam mercedem cōsequi pro assecuratione capitalis, & eiusdē industria, ac labore. Preterea supponimus, ipsos deponentes pecunias suas ea dixisse campsori, vt ipse negotiari teneretur in cambiis veris, ac realibus à Genua ad Placentiam, non autem per alias nundinas, aut per alia loca, nec in aliis mercaturis; ergò campsor si pecunias prędictas inter se, & cum propriis miscuit, si ad cambium eas non dederit: vel si dederit, per conuentas nundinas non dedit, aut in aliis negotiis fuerit vsus, atque ideò damnum aliquod fuerit passus, huiusmodi damnum sibi imputari debet; nō autem prædictis deponentibus, cùm talis damni causa fuerit campsor, & non ipsi deponentes: & propterea contra campsorem ipsum militat iuris regula, damnum, quod quis sua culpa patitur, sibi imputatur, c. dānum, de regul. iur. in 6.

3 His tamen non obstantibus, contrariam sententiam arbitror de iure veriorem esse, atque

atque ideò contractum prædictum esse illicitum: & propterea deponentes ipsos non potuisse percipere cambiorum lucra, de quibus agitur, sed teneri ad eorum restitutionem. Probatur primò, quia dũ supponimus, Titium permiscuisse pecunias deponẽtium inter se, & cũ proprijs pecunijs, ita vt distingui nequeant, & varia cambia, & recambia non solùm Genuæ per Placentiam, & è cõuerso; sed etiam per alias varias, ac diuersas nundinas, & per alia, ac diuersa loca celebrasse; imò partem dictarum pecuniarum alijs negotijs implicasse, dicti Sempronius, Caius, & Meuius, qui pecunias suas apud dictum campsorem deposuerunt vt supra, non possunt re vera asserere, pecunias, quas ipse campsor dedit cambio Genuę per Placẽtiam, esse eorum proprias: quia stante earum commixtione inter se, & cum pecunijs ipsius campsoris, ita vt distingui, ac separari non valeant, earum dominium fuit translatũ
4 in campsorem; siquidem rerum dominia mixtione quoque acquiruntur, vt in Inst. de rer. diuis. §. quid si frumentum: ergo non possunt lucrum conuentum ex dictis cambijs consequi: nam dicti Sempronius, Caius, & Meuius non possunt dicere illud consequi ex proprijs pecunijs datis ad cãbium Genuæ per Placentiam; sed ex pecunijs ipsius campsoris. Secundò dictus campsor multoties non inuenit cui det ad cambium omnes pecunias deposito receptas, vt supra; & tamen de omnibus soluit integrum lucrum, quod percipitur ex cambijs, & recambijs Genuæ per Placentiam: quod quidem est manifesta vsura, cùm non alio titulo perciperent incrementum illud nisi ratione mutui. Denique sæpe sępius accidit in prędictis nundinis Placentiæ non lucrari totum incrementum illud, quod ipse campsor soluit prædictis Sempronio, & Socijs, & propterea prouisiones, quas ab illis recipit, conuertuntur in solutionem dicti lucri: quod est omnino illicitum.

Ampliatur hæc conclusio, vt vera sit, siue
5 tempore depositi probabiliter existimauerint, dictum campsorem daturum ad cambia prędictas pecunias Genuæ per Placentiam, iuxta conuentionem initam; siue non. Nam si dicti Sempronius, Caius, & Meuius possent lucrum, de quo agitur percipere, & iustè sibi retinere, id quidem oriretur, vel ratione contractus, vel ratione deceptionis, vt quia fuerunt ab ipso Titio campsore decepti. Nõ potest dici primum; quia cùm nõ concurrat vera promissio ex parte campsoris, nec cambia fuerint celebrata iuxta contrahentium conuentionem, nullus redditur contractus, atque ideò non habent iustum titulum percipiendi dictũ lucrum. Nec potest dici secundum; quoniam si id esset, non alia ratione foret, nisi in pœnam deceptionis; at pœna non debetur ante iudicis condemnationẽ. Ita in terminis nostris Salon. de cãb. q. 4. ar. 2. contr. 7. num. 3. Salas eod. tract. dub. 15. num. 2. & Bonac. de contr. disput. 3. pun. vnico, propos. 5.

Secundò ampliatur eadem conclusio, vt
6 si Sempronius, Caius, & Meuius tempore contractus initi cum Tirio campsore probabiliter nouerint campsorem ipsum non daturum eorum pecunias ad cambia, & recãbia Genuæ per Placentiam, & è conuerso; sed eisdem se vsurum ad sui libitum ad celebranda cambia per alias nundinas, & per alia loca, ac ad alia negotia, tunc non solùm tenentur ad lucri percepti restitutionem; sed etiam peccant mortaliter: quoniã vsuram committunt; cum re vera cõtractum mutui sub lucro celebrent cum Titio campsore; non autem contractum societatis, vt patet ex ijs, quæ supra adnotauimus q. 48 limit. vnica: quibus adde Fabian. Genuen. de camb. p. 1. in prin.

Sic ampliata limitatur supradicta cõclu-
7 sio, vt licèt prædicti Sempronius, Caius, & Meuius non possint retinere lucrum cambij iuxta pretium fori Genuæ per Placentiam, cùm supponamus, cambia per dictas nundinas non fuisse celebrata; nihilominus ratione dictæ deceptionis debetur ei interesse lucri cessantis à dicto Titio campsore, iuxta ea, quæ habentur ex Salon. Ioan. de Salas, & Bonac. locis citatis. Vndè si supradicti Sempronius, Caius, & Meuius pecunias suas dedissent alijs, qui fuissent eas negotiaturi iuxta conuentionem initam cum ipso Titio campsore: proculdubio, ratione lucri cessantis, possent sibi retinere torũ lucrum cambiorũ iuxta pretium fori Genuæ per Placentiam: quoniã huiusmodi lucrum sibi cessauit, ratione deceptionis ipsius cãpsoris,

psoris, qui noluit eorũ pecunias dare cambio vt supra. Imò Scac. de commerc. & cãb. §. 1. q. 7. par. 2. ampl. 9. num. 9. videtur velle ex Azor. p. 3. Inst. moral. lib. 10 tit. de cãb. cap. 11. q. 1. in fine, vers. Item, si, quòd si deponens sciat, campsorem nõ negotiaturum suas pecunias; adhuc tamen posset ab eo consequi interesse lucri cessantis. Sed re vera non est recedendum ab ijs, quæ supra adnotauimus, ampl. 2. siquidem Scac. loquitur, quando interesse hoc casu expresse promittitur, cùm ex mutuo luctum consequi possit ratione lucri cessantis, vt infra, Deo duce, latius dicemus in explicat. §. 2.

Secundò limitatur eadem conclusio, vt
8 licèt supradicti Sempronius, Caius, & Meuius non possint luctum prædictum percipere à Titio campsore, stantibus prædictis; nihilominus possent licitè illud consequi si Titius ipse pecunias dictorum Sempronij, Caij, & Meuij acceperit cãbio Genuæ per Placentiam, & Placentiæ per Genuam, vt possit deinde de illis disponere ad sui libitũ.
9 Probatur; quia si dictus Titius poterat dictas pecunias dare ad cambium Tertio, non est ratio cur nõ possit dare cambio sibi ipsi: quia tunc dat cambio, vt procurator dictorum Sempronij, Caii, & Meuii: & recipit cãbio vt Titius, vt infra latius, Deo duce, di-
10 cemus, q. 52. Etenim vna, & eadem persona potest repræsentare plures personas, vt habetur ex Azot. p. 3. Inst. moral. lib. 10. tit. de camb. c. 9. & Scac. de commerc. & cãb. §. 1. q. 7 p. 2. ampl. 9. num. 8. & nos supra adnotauimus q. præced. Est tamen verũ, quòd si ipse Titius miscuit pecunias dictorum Sẽpronii, Meuii, &c. cum suis, tunc secundum aliquos debet designare saltẽ in mente suã pecunias ipsorum Sempronii, &c. vel separare ex aceruo, & deinde designatas accipere cambio: aliàs censeretur cambire pecunias suas cum pecuniis suis, cùm totius acerui pecuniarum mixtione fuerit effectus Dominus, & cambium non potest dari, nisi concurrant pecuniæ diuersorum Dominorum, vt sæpe diximus.

Sed hæc diligentia re vera non videtur necessaria: nam eo ipso, quòd Titius vult accipere cambio pecunias Sempronii, Caii, & Meuii censetur eas virtualiter designare, & separare: & dato quòd animo separatæ nõ essent, cùm ipse Titius in dictis pecuniis remaneat debitor; potest pecunias debitas cambio à se ipso accipere: nam quamuis pecuniæ prædictæ sint mixtione sua effectæ; nihilominus remanent penes ipsum tanquã mutuum: qua propter Titius cãpsor vt procurator dictorum Sempronii, Caii, & Meuii dat cambio dictas pecunias, exigendo illas à se ipso: & vt Titius recipit cãbio: id autem non inconuenit, cùm vna, & eadem persona possit plures personas repræsentare, l. si stulas, §. fundum, ff. contrah. empt. l. debitor meus, & ibi Glos. in ver. Debitor, ff. de negot. gest. & Rota Genun. decis. 1. num. 27. Abstinendum tamen est ab huiusmodi negotiandi modo: nam cum campsor accipit cambio pecunias prædictas à se ipso modo supra explicato, id proculdubio apud pusillos videtur habere figuram quandam mutui potius quam cambii. Vnde vt contractus, de quo agitur, citra omnem scrupulum celebrari posit, satis quidem congruũ videtur, si Titius cùm dat cambio pecunias Sempronii, Caii, & Meuii Genuæ per Placentiã, & è conuerso, illas nõ accipiat sibi, sed Tertio, & in litteris expresse mentionem faciat pecuniarum Sempronii, Caii, & Meuii. Sic enim pecuniarum Domini certi essent de lucro, quod essent percepturi. Et si tota pecunia non daretur ad cambium, tunc pro rata tantum, & non totum recipiant lucrum, solutis debitis, & ordinariis prouisionibus.

Restat modo, vt ad contraria respondeamus.

Ad primũ dicitur, quòd quamuis pro-
11 uisiones, de quibus agitur, sint sufficientes pro affecutatione sortis, & iusta mercede campsoris, nihilominus cõtractus ex aliis capitibus dicitur iniustus; nempe quia prædicti Meuius, & socii percipiunt lucrum ex pecunia, quam cambio nõ dederunt nec per se, nec per ipsum Titium campsorem.

Ad secundum respõdetur, quòd cùm dicti Sempronius, Caius, & Meuius fuerint in bona fide, credentes probabiliter dictum Titium campsorem daturum eorum pecunias

cunias integras ad cambium Genuę per Placentiam; si re vera tamen postea nouerint ipsum campsorem pecunias ipsas cambio non dedisse per dictas nundinas; sed per alia loca, aut easdem conuertisset in alias negotiationes, non poterunt lucrum cambiorum consequi iuxta pretium fori Genuę per Placentiã, & è conuerso; sed tantum interesse lucri cessantis, iuxta ea, quæ supra adnotauimus: quibus adde quoque adnotata per Scac. de commerc. & camb. §. 1. q. 7. p. 2. ampl. 9. num. 9.

An deponentes suas pecunias apud campsorem, vt illas negotietur in cambijs, vt supra, teneantur perquirere, si re uera fiat negotiatio, & qualiter fiat Q. LI.

SVMMARIVM.

1 *Deponentes pecunias apud campsorem, vt eas negotietur in cambijs, non tenetur perquirere, an campsor eisdem vtatur, in negotio conuento.*

IN hac re videtur affirmatiuè respondẽdum esse: aliàs deponens nõ posset lucra cambiorum sibi retinere, superueniente scientia, quòd campsor negotiationi conuentæ non vacauerit, iuxta ea, quæ in præcedenti q. adnotauimus, ampl. 1. & patet de eo, qui bona fide dedit alicui pecuniã cambio, quem postea nouit non habere pecuniam nec actu, nec potentia in loco destinato solutionis, quo casu lucra cambij percipere non potest, nisi ratione interesse; quibus adde, etiam, quæ habentur ex Fabian. Genuen. de camb. p. 1. in princ. vbi apertè ait, quòd quando quis dat pecunias suas cãpsori ad eas negotiandas in cambijs, & scit, vel præsumitur scire, quòd campsor in alijs negotijs eis vtatur, malè dicitur cõtrahere.

1 Oppositis tamen non obstantibus, contrarium puto verius; atque ideò deponentem vt supra suas pecunias apud campsorem, vt eas negotietur in cambijs, non teneri perquirere, an campsor eis vtatur in negotio conuento, vel in alio; sed satis est si sit in bona fide, & probabiliter credat, campsorem negotiari pecunias depositas iuxta cõuentionem initam. Probatur, quia ad percipiẽdum lucrum cambij satis est, quòd campsor probabiliter credat, campsuarium habere creditum actu, vel potentia in loco destinatæ solutionis, vt sæpe diximus: ergò idẽ dicendum est in casu nostro, nec alia diligẽtia exigitur, cùm militet eadem ratio, arg. tex. in l. illud, ff. ad leg. Aquil.

Ad contrarium patet responsio: in eo enim casu supponitur scientia, vel saltẽ probabilitas, quòd campsor non esset pecunias negotiaturus in cãbijs; & propterea lucrum cambiorum retinere non potest, nisi quatenus suas interest, iuxta ea, quæ habentur ex Scac. de commerc. & camb. §. 1. q. 7. par. 2. ampl. 9. num. 9. Imò etiam, quòd deponens probabiliter crediderit, campsorem pecunias depositas negotiaturum in cãbijs iuxta conuentionem initam, si re vera non fuerit negotiatus, aut in alijs negotijs eis fuerit vsus; adhuc tamen lucra cambiorum percipere non potest, sed tantùm interesse, vt supra ostendimus, q. præced. ampl. 1. & limit. 1.

An campsor, apud quem depositæ fuerunt pecuniæ, vt eas negotiaretur in cambijs, solutis sibi prouisionibus, ac iusta mercede pro assecuratione sortis, possit cambire in se ipsum Q. LII.

SVMMARIVM.

1 *Deponi possunt pecunia apud campsorem, vt eas negotietur in cambijs, salua sorte, siue contractus sit locationis operium, siue societatis.*

2 *Campsor pecunias apud ipsum depositas, vt negotietur in cambijs, potest eas cambire in se ipsum.*

3 *Procurator, non ex eo quòd procurator est, debet esse deterioris conditionis quàm alij.*

4 *Munus proprium nemini damnosum esse debet.*

1 QVòd pecuniæ deponi possint apud campsorem, vt eas negotietur in cã-

bijs, salua sorte, latè supra ostẽdimus, q.48. ampl. 2. Etenim in societatibus quamuis periculum sortis pertineat ad conferentem pecuniam, vt per Glos. in c. plerique, in ver. Negotiatoribus, 14. q. 3. Panor. in c. nauiganti num. 11. vbi etiam Lup. S. 1. num. 24. de vsur. Bald. in l. 1. num. 26. ff. pro soc. Ias. cons. 164. num. 16. vol. 2. Nauar. in c. si fœneraueris, num. 32. 14. q. 3. Garz. de contr. cap. 41. num. 5. & alios, nihilominus huiusmodi contractus re vera non potest propriè dici societatis, vt diximus d. q. 48. ampl. 2. vers. Sed re vera; sed locationis operum, & assecurationis, pro quo duplici contractu sufficienter dicitur campsori satisfieri per solutionem prouisionum, quæ à cãpsoribus communiter in hac re præfiguntur, & sufficientes pro vtroque contractu iudicantur, vt in terminis nostris docet Couar. lib. 3. var. resolut. cap. 2. num. 5. Nauar. in Man. c. 17. num. 253. & 256. & ita seruari Genuæ testatur Scac. de commerc. & camb. §. 3. Glos. 3. num. 41. & 42. & supra diximus d. q. 48. ampl. 2. Imò esto quòd prædictus cõtractus sit etiam societatis, non tamen ob id tollitur quin socius possit assecurare pecuniam collatam ab alio socio, mediãte iusta, ac rationabili mercede, vt patet ex iis, quæ adnotauimus d. ampl. 2. & rectè declarat Scac. eod. tract. §. 1. q. 7. p. 2. ampl. 9. num. 6. & §. 3. Glos. 3. num. 41. & 42.

Sola igitur restat difficultas de campsore, an pecunias apud ipsum depositas, vt negotiaretur in cambiis, possit cambire in se ipsum. Pro explicatione autem Tituli, ac rei determinatione licèt faciant ea, quæ supra adnotauimus, q. 50. limit. 2. nihilominus ad clariorem intelligentiam ponamus casum, quòd Sempronius, Caius, & Meuius deponant apud Titium campsorem duodecim millia aureos, vt eos negotiaretur in cambiis Genuæ per Placentiã, & Placentiæ per Genuam, solutis eidem ordinariis prouisionibus. Titius ipse videns, quòd cambire per Lugdunũ, Metinam, vel per Anuersam, aut sericorum, vel lanarum negotiationem multò maiorem vtilitatem afferre, quàm cambia Genuæ per Placẽtiam, & è conuerso, volens vti dictis pecuniis in negotiis sericorum, ac lanarum, aut in negotiis cambiorum per Lugdunum, Metinã, & Anuersam, ipsemet Titius campsor vt Titius, à se ipso vti procuratore, seu negotiorum gestore dictorum deponentium, accipit cambio Genuæ per Placẽtiam dictas pecunias, soluendo cambiorum lucra, retentis tamen sibi solitis, & ordinariis prouisionibus. Quæritur, an ipse Titius licitè possit prædictas pecunias cum se ipso cambire modo supradicto.

Prima fronte videtur negatiuè respondendum esse. Etenim à generalitate verborum cõtractus initi inter supradictos depones, & ipsum Titium, obligatum ad negotiandum eorum pecunias super cambia Genuæ per Placentiam, & è conuerso, videtur exclusa persona prædicti Titii campsoris: quia hoc modo sibi auctorizaret in facto proprio contra tex. in l. 1. & in l. pupillus, ff. de author. tut. & cur.

His tamen non obstantibus, in contrariũ
2 est veritas: siquidem non potest assignari di-
uersitatis ratio, cur Titium deponentium
apud se pecunias possit dare cambio Ter-
tio, & non sibi ipsi, cùm vna, & eadem per-
sona possit fungi officio pluriũ personarum:
3 nec ex eo, quòd procurator sit pecuniarum
Dominorum, deterioris conditionis esse
debet, quàm aliis: siquidem proprium mu-
4 neris nemini damnosum esse debet, c. peruenit, de fideiuss. & l. si seruus communis, ff. de furt. quin potius debet esse melioris conditionis, cùm de eo præcipuè confidant pecuniarum Domini. Et cùm simus in actibus, in quibus vnus potest sustinere vices pluriũ, vt habetur ex Cyn. in l. cùm ipse, de cõtrah. empt. in casu de quo agitur, Titius, & põ vt campsor accipit cambio, & dat cambio vt campsor, & procurator eorum, qui deposuerunt apud ipsum pecunias, vt illas negotiaretur in cambiis, vt latè de hac re supra egimus d. q. 50. limit. 2. cui nos remittimus, ne bis idem repetere videamur.

Ad contrarium igitur respondetur, quòd rati locum sibi vendicaret, quando adesset aliqua suspicio fraudis, quæ hoc casu cessat: siquidem pretia cambiorum pendent ab auctoritate publica: ita videtur intelligi tex. in l. 1. §. item ipse tutor, ff. de auctorit. tutor. & l. fistulas, §. fundum, ff. de contrah. empt.

An

An viduæ, & pupilli, & alij deponentes apud campsorem suas pecunias sub certo, ac determinato lucro ad rationem 5. vel 6. pro singulis 100. in anno, salua sorte, dicantur ficca cambia celebrare. Q. LIII.

SVMMARIVM.

1 *Viduæ, & pupilli qualiter pecunias suas dare soleant, seu deponere apud campsores, vt eas negotientur in cambijs, explicatur.*

2 *Pactum de determinato lucro in cambijs, vi nostra Extrauag. damnatur.*

3 *Deponi possunt pecuniæ apud campsorem, vt eas negotietur in cambijs sub certo, ac determinato lucro, & salua sorte.*

4 *Deponi possunt pecuniæ apud campsorem, vt eas negotietur non solùm in cambijs, sed in qualibet negotiatione sub certo, ac determinato lucro & salua sorte.*

5 *Deponi possunt pecuniæ apud campsorem, ad cambiorum societatem sub certo, ac determinato lucro, quando dans pecunias cãpsori verisimiliter putat eum negotiaturum fore in cambijs veris, ac realibus.*

6 *Pactum de lucro determinato licèt non possit fieri in cambijs potest tamen fieri in societate cambiorum, & num. 7.*

AD tituli explicationem, est adnotandum, quòd Genuæ, & in tota Liguria, ac 1 in multis alijs Regionibus viduæ, ac pupilli maximè suas pecunias dare solent campsoribus, vt per spacium vnius anni, vel etiam plurium eas negotientur in cambijs nundinarum Lugduni, Placentiæ, &c. periculo ipsorum campsorum, cum pacto, vt deponentibus reddat pro lucro quinque, vel sex pro centenario, singulis annis, etiam si cambia reddant minus: verùm si plus reddant, totum illud incrementum supra quinque, vel sex, efficiatur ipsorum cãpsorum. Quæritur igitur, an huiusmodi cambia ficca esse censeantur.

In hanc difficultate videtur prima facie 2 affirmatiuè respondendum esse. Probatur, quia in huiusmodi cambijs præfigitur precium firmum, ac determinatum, cùm deponentes pecunias vi pacti exigant quinque, vel sex pro quolibet centenario; id autem expresè prohibetur vi nostræ Extrauag. §. 2. in illis verbis, *Statuimus ne deinceps quisquam audeat, siue à principio siue aliàs, certū, ac determinatum interesse, &c.* Ob id ait Nauar. c. 17. num. 301. & in c. si fœnerauerit, num. 54. 14. q. 3. Garz de contr. p. 1. cap. 1. concl. 4. & alij, quòd hecèt in alijs, contractibus possit pacisci determinatum lucrum ratione lucri cessantis ad arbitrium boni viri; nihilominus id prohibitum est in cambijs vi nostræ Extrauag. loco citato.

His tamen, non obstantibus, contrariam 3 sententiam arbitror de iure veriorem esse, quam tenet Nauar. in d. cap. si fœnerauerit, num. 32. Valent. 2. 2. disp. 5. q. 25. pun. 2. Azor. par. 3. Instit. moral. lib. 10. de camb. cap. 11. q. 1. Scac. de commerc. & camb. §. 1. q. 5. num. 15. & §. 3. Glos. 3. num. 36. Iustin. de cõtin. camb. q. 10. num. 2. & patet ex ijs, quæ supra adnotauimus, q. 48. ampl. 3. dum ostendimus, deponentes huiusmodi non solùm pacisci posse, vt sors salua remaneat; verum etiam, vt ipsis soluatur certum, ac determinatũ lucrum, dummodo soluant pretium tàm assecurationis sortis, quàm assecurationis lucri. Probatur, quia dictus cõtractus licèt sit vnus formaliter; est tamen triplex virtualiter. Etenim vnus dicitur societatis, in qua vidua, seu pupillus, aut quilibet alius confert pecuniam, campsor verò confert industriam. Secundus est assecurationis capitalis ab accipiente pecuniam. Et tertius denique est contractus assecurationis fructuum. Vndè si cambia Genuæ per Placentiam probabiliter sperentur reddditura duodecim pro quolibet centenario, si quis det campsori centum sub dicto lucro ad rationem quinque, vel sex, iustè dicitur contrahere; siquidẽ industria cãpsoris sufficienter æstimatur tribus aureis; æstimati assecurationis sortis, satis erit vnũ aureorũ; & assecuratio lucri rectè quoque fiet pro duobus aureis; atque ideo, qui deponit pecuniã iustè percipiet illa sex certa, etiam si cambia minus redant. Nec campsor læsus dici potest, quòd totum incrementum percipiet dans pecuniam; si cambia reddant tantùm sex, vel minus: quia nõ ob id cãpsor sẽ[illegible] nihil

nihil consequi ex huiusmodi societate, cùm
spes lucrandi duodecim pro quolibet cen-
tenario sit pretio æstimabilis, arg. tex. in l. si
iactum retis, ff. de action. empt, illa igitur
probabilis spes, quòd cambia sint reddi tura
supra sex aureos, est iustum stipendiũ cam-
psoris.

Ampliatur hæc conclusio, vt vera sit non
4 solùm in casu, de quo agitur, & in societate
cambiorum; sed etiam in societate aliarum
rerum. Vndè si vidua det alicui mercatori
sericorum, frumenti, lanarum, &c. suam pe-
cuniam ad rationem quinque, vel sex pro
quolibet centenario singulis annis, salua
sorte, & intentionem habeat lucrandi illa
quinque, vel sex omni iusto titulo, quo po-
test, & ad id assentiat mercator; huiusmodi
contractus proculdubio erit licitus: siquidẽ
licèt sit vnus formaliter; est tamen triplex
virtualiter, nempe societatis, assecurationis
sortis, & assecurationis lucri. Vndè si mer-
catura serici, v.g. probabiliter speretur red-
ditura ad rationem quindecim pro quoli-
bet centenario, & industria mercatoris æsti-
metur quatuor, vel quinque pro negotia-
tione singulorum centum aureorum, pro
assecuratione sortis, & lucri iusta videtur
solutio quatuor aureorum, atque ideò lici-
tè consequi potest sex aureos, singulis annis
pro quolibet cẽtenario, vt habetur ex Less.
lib. 2. de Iust. & iur. cap. 25. num. 24. Valent.
2.2. disp. 5. q. 24. & q. 25. pun. 2. Tolet. lib. 5.
suæ sum. cap. 4. Graff. in suis decis. lib. 2. cap.
120. num. 39. Iustin. loco citato, sub num. 8.
vbi num. 9. rectè quoque ait post alios, non
obstare Bull. Sixti V. quæ incipit; *Detestabi-
lis*, qua tanquam vsurariæ condemnantur
societates omnes, in quibus vnus socius se-
curam reddit sortem alterius; quoniam Bul-
la intelligitur prohibere pacta tantùm illi-
cita, quæ fieri solent in huiusmodi assecura-
tionibus, non autem licita, vt diximus d. q.
48. ampliat. 3. vers. Et hanc praxim, vbi non
nullas alias responsiones attulimus ad dictã
Bullam.

Sic ampliata limitatur eadem conclusio,
5 vt ita demum in societate cambiorum, de
qua agitur, possint illa sex percipi à confe-
rente pecuniam, quando dans pecuniam
campsori verisimiliter putat, campsorem
fore pecuniam illam negotiaturum in cam-
bijs veris, & realibus: secus verò si sciat, vel
probabiliter credat pecuniam illam esse ne-
gotiaturum in cambijs siccis, ac vsurarijs,
vel nullo pacto negotiaturum: quoniam tūc
non posset incrementum illud consequi; sed
perceptum teneretur restituere illi, à quo
per campsorem fuerit extortum, iuxta ea,
quæ habentur ex Sot. lib. 6. de Iustit. & Iur.
q. 7. artic. 2. Lup. in c. nauiganti, num. 71. in
fin. de vsur. Azor. p. 3. Inst. moral. lib. 10. de
camb. cap. 11. q. 1. & nos adnotauimus d. q.
48. limit. vnica. Verum tamen est, quòd si
deponens pecuniam suam penes campso-
rem vt supra, verisimiliter credat, ab eo esse
dandam cambijs realibus, si deinde com-
periat eam dedisse cambijs siccis, vel nullo
modo dedisse ad cambia, poterit illa quin-
que, vel sex sibi retinere ratione lucri ces-
santis, si dictam pecuniam alij dedisset, qui
ad cambia realia implicasset, aut ad aliam
iustam negotiationẽ, ex qua licitè illa quin-
que, aut sex lucratus fuisset: secus autem si
otiosam apud se habuisset; quoniam tunc
restituere incrementum illud teneretur, iux-
ta ea, quæ supra adnotauimus d. q. 48. limit.
vnica, vers. Beneuerum est, & q. 11. ampl. 1.
quibus adde ea, quæ supra cumulauimus,
q. 34. concl. 1. circa fin.

Secundò limitatur eadem conclusio, vbi
6 Nummularius accipit pecunias ab huius-
modi personis in vim cambij iuxta ea, quæ
supra adnotauimus, q. 50. limit. 2. quoniam
tunc deponens pecuniam vt supra, non pos-
set pacisci lucrum illud determinatum, vel
saltem non posset percipere in loco cele-
brati contractus, etiam si litteræ mittantur,
vt rectè declarat Azor. par. 3. Instit. moral.
lib. 10. de camb. c. 11. q. 1.

Ad contrarium patet responsio ex dictis.
7 Etenim in casu, de quo agitur, non fit pactũ
de determinato lucro, ac interesse cambij:
quia dans pecuniam campsori, nõ dat illam
eidem ad cambium; sed ad societatem cam-
biorum, vendens lucrum speratum ex tali
societate, quinque, vel sex pro singulis cen-
tum: & ideò tale pactum non potest dici cõ-
tra dispositionem nostræ Extrauag. Vndè
cùm sit casus diuersus, ex diuersis non fit il-
latio, l. Papinianus exuli, ff. de minor. Imò si
deponens daret pecuniam campsori ad cã-
bium, seruatis seruãdis sub dicto lucro quin-

que, vel lex, vt supra, non desunt, qui velint, id non posse dici propriè interesse determinatum; atque ideò non esse contra nostram Extrâuag. quos retulimus supra, q. 37. circa prin. Sed re vera illi loquuntur in casu longè diuerso.

An campsor mutuãs suas pecunias, & accipiens à mutuatario obligatione in forma depositi, cum pacto soluendi ipsi lucrum iuxta pretium fori Genuæ per Placentiam, ratione lucri cessantis, ac dãni emergentis, & solutis etiam eidem prouisionibus, dicatur rectè contrahere. Q. LIV.

SVMMARIVM.

1 *Negotiandi modus Placentiæ, & in alijs locis frequentissimus refertur.*

2 *Campsor accipiens pecunias cambio Genuæ per Placentiam gratia eorum, quibus eas mutuat, potest ab eisdem recipere obligationem in forma depositi soluendi dictas pecunias mutuo datas vna cum lucro cãbiorum iuxta pretium fori Genuæ per Placentiam, ac solitis prouisionibus.*

3 *Interesse damni emergentis ex mutuo licitè percipi potest.*

4 *Campsor accipiens pecunias cambio, easdemque dans mutuo, potest à mutuarijs exigere interesse lucri cessantis, & in pactum deducere, si altùm inueniat cambio ipsas accipere volentem.*

5 *Interesse lucri cessantis debetur ex mutuo citra omnem moram: quando mutuum est vera causa, cessationis talis lucri.*

6 *Iustum, & iniustum non consistit in bonitate, aut prauitate animorum, & intentionis; sed in rerum, & operum externorum æqualitate, ac inæqualitate.*

7 *Interesse lucri cessantis licèt non possit exigi totum id, quod speratur; in aliquibus tamen casibus iustè exigitur.*

8 *Campsor volens extrahere à reali cambio suas pecunias, aut nolens dare cambio, vt eas mutuet ad instantiã, & gratiam mutuatariorum, potest ab eis pacisci interesse lucri cessantis, & num. 9.*

9 *Interesse lucri cessantis potest à quolibet negotiatore pacisci, extrahente à negotiatione suas pecunias, vt illas mutuet.*

10 *Interesse lucri cessantis, quo casu non debeatur extrahenti pecunias suas à cambio, vt det alteri mutuo, & num. 11.*

11 *Interesse lucri cessantis non debetur extrahenti pecunias suas à negotiatione, vt illas mutuet, si ad aliam lucrandi rationem se conferat.*

12 *Interesse lucri cessantis speratum tunc potest pacisci totum, quando paciscitur indeterminatè; aliàs secus.*

13 *Interesse lucri cessantis non debetur extrahẽti pecunias suas à negotiatione, vt mutuet, gratia sui, & non mutuatarij, & num. 15.*

14 *Interesse lucri cessantis ex mutuo licèt possit pacisci; non tamen debet exigi in principio contractus.*

15 *Campsor extrahens pecunias à cambio, vt mutuet gratia sui tantùm, & non gratia mutuatarij, nõ potest ex tali mutuo lucrum pacisci, nec prouisiones exigere.*

1 Hic negotiandi modus Placentiæ, & in multis alijs locis est frequentissimus. Solet enim Titius, v. g. campsor ad preces multorũ varijs, ac diuersis personis mutuare suas pecunias, atque adeo Sẽpronio mutuauit duo millia aureos, Caio quatuor millia, Seio mille, & sic de alijs, recipiẽdo ab eis obligationẽ in forma depositi, soluendi dictas pecunias ad primas nundinas, puta apparitionis vna cũ lucro cãbiorum, & recãbiorũ iuxta pretiũ fori Genuæ per Placentiã: & Placẽtiæ per Genuã, & casu quo non soluãt cõdicto tẽpore teneãtur ad cãbia, & recãbia iuxta dictũ pretiũ vsq; ad realem, & actualẽ solutionẽ. Et sæpe sæpius euenit, vt nõ soluãt, nisi post tres, vel etiã quatuor nũdinas, & plures, soluentes interim prouisiones dicto Titio cãpsori, quæ solui solent iis, qui aliorũ nomine negotiãtur in cãbijs: quę cãbiorum lucra asserit in instrumẽto percipere, ratione dãni emergẽtis. Siquidem ait, dictas pecunias accepisse ad cãbiũ ab alijs, vt mutuet eas supradictis mutuatarijs: & prouisiones insuper asserit percipere pro cãbiorum negotijs, quæ pro eisdem mutuatarijs facit: & aliquando, inquit, recipere di-

cta lucra ratione lucri cessantis; quoniã easdem pecunias erat alijs cãbio daturus. Ait etiã ipse Titius cãpsor, quòd multoties habet domi pecunias otiosas, & cùm nõ inueniat illas dare cãbio Genuæ per Placentiã, & dare cãbio per alias nundinas, & loca, exponeret se periculo perdendi eas, idcircò mutuat supradicto modo, ne amittat tãtùm interesse, quantum oportet eum soluere pecuniarum Dominis, quas pro illis negotiatur. Quæritur modo an huiusmodi contractus sit licitus?

Pro determinatione huius difficultatis est distinguendum, quòd aut dictus Titius campsor prædictas pecunias accipit ad cãbium Genuæ per Placentiã, & è conuerso, vt mutuet supradictis Sempronio, Caio, & Meuio, atq; ideò eorum gratia: aut accipit cãbio vt det cambio alijs sub lucro, vel negotietur in mercibus, & habeat præ manibus merces, aut personas, quibus det cambio, & deinde rogatus à dictis Sempronio, Caio, & Meuio, eisdem mutuat modo supra
dictos aut deniq; accepit cãbio, vt det alijs cãbio, aut negotietur in mercibus, vt supra; sed quia non inuenit dare cãbio citra periculũ amittendi sortẽ, nec vult, aut nõ potest pecunias ipsas acceptas ad cambium applicare iustæ negotiationi, ne apud se habeat otiosas, easdem mutuat prædictis Sẽpronio, Caio, & Meuio modo supradicto. His breuiter sic adnotatis, sit

Prima Conclusio.

Campsor accipiens pecunias cambio
2 Genuę per Placentiam gratia prædi-
ctorum Sẽpronij, Caij, & Meuij, vt eisdẽ il-
las det mutuo, potest ab ipsis recipere obli-
gationẽ in forma depositi, vt supra soluendi
dictas pecunias mutuo datas ad primas nũ-
dinas vna cũ lucro cãbiorum iuxta pretium
fori Genuę per Placentiã: & si non soluant,
cõdicto tẽpore, teneantur ad cãbia, & recã-
bia, &c. Probatur, quoniã campsor hoc casu
obligationẽ illã, & lucrũ prędictũ à mutua-
3 tarijs exigit, ratione interesse dãni emergẽ-
tis: quod quidẽ licitè potest in mutuo paci-
sci, ac exigi, vt habetur ex Nauar. in c. si fœ-
neraueris, num. 58. 14. q. 3. Salon. 2. 2. q. 78.
ar. 2. contr. 8. num. 10. Bann. ibidẽ in resp. ad
1. concl. 1. Aragon. in eundẽ locum in solutione 1. arg. Molin. de contr. disp. 314. Less. lib. 2. de Iust. & iur. c. 20. dub. 10. Azor. 3. p. Inst. moral. lib. 3. c. 4. & c. 7. q. 5. Ioan. de Salas de vsur. dub. 18. Reginald. lib. 23. suæ prax. num. 69. Rebel. de obligat. iustit. lib. 8. q. 8. Bonac. de contr. disp. 3. q. 3. pun. 3. propos. 1. & ex alijs. Est tamẽ verum, quòd hoc casu non video, quo titulo campsor prouisiones solitas consequi possit, si pecunias prædictas cambio non erat daturus deinde nomine alterius; sed tantũ acceperit gratia dictorum mutuatariorũ; nisi velimus dicere prouisiones percipere ratione fideiussionis, & eo quòd stet, vt dicunt, *Del credere*, iuxta ea, quę habentur ex Scac. de commerc. §. 3. Glos. 3. num. 41. & 42. quoniã dum accipit pecunias cambio, licèt eas deinde mutuet; nihilominus remanet obligatus campsori.

Secunda Conclusio.

Campsor accipiens pecuniam cambio,
4 eandẽque dãs mutuo, vt supra, si aliũ
inueniat, cui det cãbio sub dicto lucro, po-
test à mutuatarijs exigere, & in pactũ dedu-
cere interesse lucri cessantis. Probatur; quo-
niã interesse lucri cessantis debetur ex mu-
tuo citra morã aliquã, etiã si spõtè pecunia
extrahatur à reali cãbio, quãdo mutuũ est
5 mera causa cessationis talis lucri, vt latè
probat Salon. 2. 2. q. 78. num. 2. contr. 9.
concl. 6. Nauar. in c. nauiganti, num. 26. de
vsur. & in Man. c. 17. num. 283. litt. G. Petr.
Nauar. lib. 3. de restitut. c. 2. num. 300. Less.
lib. 2. de iustit. & iur. c. 20. dub. 11. num. 81.
Molin. de cõtr. disp. 316. num. 8. & alij. Ete-
nim ratio aliqua nõ datur, quæ luciãdi mo-
dũ ex se iustũ reddat iniustum, ex eo quòd
spõtè sit volitũ. Si enim, qui per iniuriã co-
gitur mutuare, de lucro cessante pacisci po-
test, cur nõ poterit pacisci etiã, qui nõ cogi-
tur; cũ iustũ, vel iniustũ nõ cõsistat in boni-
6 tate, aut prauitate animorũ, & intentionũ,
sed consistit in rerum, & operũ externorum
æqualitate, & inæqualitate, vt post Arist. &
D. Thom. ait Nauar. in c. si fęneraueris, not.
16. num. 53. 14. q. 3. Et re vera ait Less. loco
citato, iniuria non facit, vt centum, quæ al-
teri mutuas, sint æqualia centum, & de-
cem, quæ ab illo exigis; sed lucrum spe-

ratum

ratum per centum id efficit:alioquin si propter iniuriam esset illa æqualitas, darentur decem illa pro iniuria illata, non autem pro lucro cessante: atq; ideò lucrũ cessans esset impertinẽs. Adde, quòd si campsor daturus erat prædictas pecunias cãbio, nomine aliorũ, potest etiã solitas prouisiones exigere; dũmodo hæc omnia nota fecerit mutuatarijs tẽpore celebrati cõtractus, iuxta ea, quę habentur ex Salon. 2.2.q.78.art.2.contr.8.

Ampliatur hæc cõclusio, vt quãuis inte-
7 resse lucri cessantis regulariter exigi nõ possit totũ id, quòd speratur, cùm lucrũ in potẽtia quantũuis proxima minus valeat, quã lucrũ in actu; interesse tamen lucri cessantis, de quo agitur, potest exigi totum, & integrum citra diminutionem aliquã: siquidem lucrũ ex tali cãbio Genuæ per Placentiam, prout euẽtus declarauerit, est indeterminatũ, & indeterminatè deducitur in pactũ: at quando lucrũ cessans deducitur in pactum indeterminatè, est integrè persoluendũ, ita vt ex euentu postea fuerit deprehensum interesse fuisse centũ aureorũ, totũ debeatur, & si fuerit plus, illud plus quoque solui debet: & si minus, aut nihil; minus aut nullũ interesse venit persoluẽdũ, vt rectè docet Less. d.c.20.dub.11.num.97. & Salon. loco cit.

Secũdò ampliatur ipsa cõclusio, vt inte-
8 resse lucri cessantis debeatur cãpsori, vt supra, siue pecuniã suã destinarã reali cambio, alicui petẽti eam mutuet; antequam mutuo quis petat, cãmpsor ipse à reali cambio subtraxerit, vt ei, quẽ nouerit mutuo petiturũ mutuet; & siue reali cãbio absolutè non destinauerit, sed sub cõditione dicens, vellem pecuniã meam ad reale cambium dare, nisi multi mutuũ peterẽt: quoniam in omnibus prædictis casibus mutuum est causa cur cesset campsori lucrum, vt rectè declarat Less. d.dub.11.num.88.89.& 95.

Tertiò ampliatur eadẽ cõclusio, vt quæ
9 diximus de cãpsore subtrahente pecuniam reali cãbio, vt mutuet, extendatur ad quẽlibet aliã pecuniã mutuantẽ, destinarã alij iustæ, ac licitæ negotiationi, aut emptioni rei frugiferæ: nam adhuc ratione mutui poterit cãpsor, & quilibet mutuãs pacisci, & exigere lucrũ cessans, cũ militet eadẽ ratio, vt habetur per Doctores, quos refert, & sequitur Scac. de cõmerc. & cãb. §.1.q.7.p.2. ampl. 8. vbi rẽ hanc latissimè explicat, & multipliciter ampliat, & limitat. Quod quidẽ verum est non solũ si pecunia destinata sit speciali, ac particulari negotiationi; verũ etiã si destinata erat negotiationi in genere, vt fit à quibusdã, qui in omnẽ lucrãdi occasionem sunt intenti: siquidẽ nihil interest, an certæ, vel incertæ negotiationi fuit destinata; dũmodo æquè lucrũ speretur. Verũ tamen est, quòd aliqui volunt eo casu, vt mutuãs non habeat aliã pecuniã otiosam, quã cõmodè in mutuatę locũ possit supponere, & eidem lucro destinare; nisi reposita sit ad dotãdas filias, ad alendã familiã, aut ad alios fortuitus euẽtus, quam proptereа mutuans nollet negotiationis periculo exponere: nã tunc posset interesse lucri cessantis in pactũ deduci, cũ mutuũ illud sit vera causa, cur lucrum cesset, vt habetur ex Molin. de contr. disp.316.& Less. loco citato, num.86.

Sic ampliata limitatur dicta cõclusio, vt
10 cãpsor ad hoc possit in pactũ deducere, & percipere interesse lucri cessãtis ex mutuo, de quo agitur, requiritur, vt non solùm pactũ paratũ habeat aliquẽ, cui det cãbio modo prædicto; verũ etiã, vt is, qui paratus sit pecuniã petere ad cãbium, sit persona, cui cãpsor credere velit suã pecuniam, vt quia eundẽ æstimat diuitẽ, & potentẽ ad soluendũ cambium in loco destinatę solutionis: aliàs si fidẽ ei nõ habeat, nec erat illi daturũ suã pecuniã, nõ potest eã dare alteri mutuo sub interesse cãbij realis Genuę per Placentiã, &c. Etenim hoc casu nõ dicitur cessare ei lucrũ aliquod, cũ illi, vt supra petenti nolebat suam pecuniã dare ad cãbium, nec habebat aliũ, cui daret, vt habetur ex Ioan. Bapt. Lup. in c. nauiganti, num.68. de vsur. & ex alijs, quos refert, & sequitur P. Iustin. de contin. camb. q.8. sub num.2. §. Tertiò è da notare.

Secundò limitatur, vt tunc cãpsor possit
11 recipere interesse lucri cessantis, vt supra, quãdo ex subtractione suæ pecuniæ à cambio reali, aut ab alia iusta negotiatione, non se conferat ad aliam rationem lucrandi per artificium, aut per aliam industriam, & ita compenset totum lucrum cambij realis, seu iustæ negotiationis: aliàs non posset ratione lucri cessantis aliquid expetere: quia per mutuum non cessat illi lucrum ab-

solutè, cùm detur ei lucrandi occasio alia
via, quam non habuisset, si in negotiatione
cambij realis, aut alterius rei permansisset.
Quòd si illa lucrandi ratio erit molestior,
poterit molestiam illam æstimare, & pro ea
compensationem exigere. Idem dicendum
est si minus tali via lucretur, quàm per tale
cambium, aut iustam negotiationem lucra-
tus fuisset: siquidem illius, quod minus est,
debet haberi ratio, vt rectè aduertit Less. d.
dub. 11. num. 85.

Tertiò limitatur, vt tunc campsor in casu
12 nostro possit pacisci totum interesse lucri
cessantis, vt supra, quando paciscitur lucrũ,
seu interesse indeterminatè, iuxta ea, quæ
adnotauimus supra in prima ampliatione:
secus autem si interesse paciscatur determi-
natè, nempe decem, quindecim aureis, &c.
quoniam tunc non potest exigi totum lu-
crum speratum; sed minus; quia deducenda
est æstimatio laborum, expensarum, & quá-
tiplus valet lucrum certũ, & præsens, quàm
futurum, & incertum, vt ex communi Do-
ctor. sententia docet Less. loco citato, num.
96. & 97. vbi etiam num. 98. approbat sen-
tentiam Soti lib. 6. de iust. & iur. q. 1. art. 3.
dicentis, laboris, & molestiarum æstimatio-
nem non esse necessariò deducendam.

Quartò limitatur, vt conclusio nostra, lo-
13 cum non habeat, quando campsor nõ gra-
tia mutuatarij; sed ex mera sua electione, ac
motu proprio ex cambio reali, vel iusta ne-
gotiatione pecuniam extractam dat mutuo:
quoniam tunc vsuram committeret cum
obligatione restituendi lucrum ex eo per-
ceptum: siquidem cùm sua spõtè cambium
reale, aut iustam aliam negotiationem di-
miserit, non dicitur sibi lucrum cessare; vt
habetur ex Nauar. in c. naviganti, num. 35.
de vsur. & Scac. de commerc. & camb. §. 1.
q. 7. p. 3. limit. 16.

Quintò limitatur prædicta conclusio, vt
14 licèt permittatur in casu, de quo agitur, pa-
cisci interesse lucri cessantis; non tamen lu-
crum illud exigi debet à principio statim
dato mutuo; sed cõuenienti interuallo: quia
si quis statim velit reddi decem pro centum
mutuatis, in rẽ non mutuabit centum; sed
tantum nonaginta. Beneuerum est, quòd
mutuans centum aureos alicui, vt statim
reddat nouem ratione lucri cessantis ex no-
naginta vno, quæ ipse retinet, vsuram non
committit: quoniam id nihil aliud est, quam
mutuare nonaginta vnum cum interesse, &
alia nouem sine interesse; in quo contractu
non magis grauatur mutuatarius, quàm si
differretur solutio interesse. Ita Less. d. dub.
11. num. 99. & 100. vbi etiam, num. 101. ex
Nauar. & Sot. docet, quòd vt pactio lucri
cessantis sit licita, necesse non est, vt mu-
tuans se non offerat ad mutuandum, sed al-
terius precibus compulsus mutuet: quia
æqualitas, & iustitia contractus non pendet
ex eo, quòd desideretur, vel non deside-
tur illum fieri, vt rectè idẽ Less. loco citato.

Tertia Conclusio.

Campsor si pecunias, quas accepit cã-
15 bio gratia sui tantùm, & cùm non in-
ueniat dare cambio citra periculum, modo
supradicto mutuat, non potest ex tali mutuo
incrementum aliquod percipere nec ratio-
ne interesse lucri cessantis, nec damni emer-
gentis, nec denique ratione prouisionum,
seu stipẽdiorum. Etenim hoc casu campsor
ipse mutuans nullum damnum dicitur pati,
nec lucrum sibi cessat, nec prouisiones per-
dit ratione mutui, cùm pecunias, quas cã-
bio accepit otiosas habeat, nec ad cãbium
dare volebat pro se, nec pro alijs. Vndè ali-
quid ex huiusmodi mutuo percipiens, pro-
culdubio vsuram committeret, cùm solùm
vi mutui, & in pretium mutui, & non ex alia
iusta causa percipiat contra tex. & ibi Do-
ctor in c. consuluit, de vsur.

Ibi, *Præstitutum solutionis terminũ, &c.* An cambium, cuius lucrum augetur propter auctam dilationem ad soluendum, sit siccum. Q. LV.

SVMMARIVM.

1 *Cambium, cuius lucrum augetur propter auctam dilationem ad soluendum, est siccum.*
2 *Cambium, cuius lucrum augetur propter dilatam debiti solutionem, potest iustificari, ratione interesse lucri cessantis, vel damni emergentis.*

Re-

Respondetur affirmatiuè: quoniam lu-
1 crum ex huiusmodi cambio percipitur non ratione loci, sed tantùm ratione tẽporis, seu ratione solutionis ad tempus dilatæ, atque ideò percipitur ex mutuo, & habet manifestam vsuræ prauitatem, iuxta ea, quæ habentur ex Sot. lib. 6. de iustit. & iur. q. 10. art. 2. in concl. respons. col. 2. & q. 12. ar. 5. in fine prin. & per totum. Confirmatur ex nostro §. in illis verbis, *Præstitutum solutionis terminum, &c.* Vbi Roman. Pontifex vsuraria declarat cambia, in quibus campsores præstitutum solutionis terminum, lucro ex tacita, vel expressa conuentione recepto, seu etiam tantummodo promisso differunt.

Ex hoc sequitur, quòd campsor dãs Genuæ mille aureos pro instantibus nundinis Placentiæ ad rationem solid. 66. pro scuto marchar. si deinde campsuario prorogans tempus solutionis vsque ad alias sequentes nũdinas, cum eo pacificatur, vt scutum marcharum intelligatur emptum ad rationem solid. 65. vel 64. proculdubio cambium siccum intelligitur celebrare: siquidem illud incrementum vnius, aut duorum solidorum consequitur campsor ratione solius solutionis ad tempus dilatæ. Ita Fabian. Genuen. de camb. in princ. num. 15. Hieronym. de Luc. eod. tract. vers. Pro decisione, sub num. 45. vers. Non solet, & num. 46. Azor. par. 3. Institut. moral. lib. 12. de camb. cap. 8. versic. Tertia cõditio. Sic etiam cambium siccum dicitur celebrare campsor, qui dat cambio Genuæ mille aureos, soluendos Placentiæ in primis nundinis, & deinde adueniente tempore solutionis litterarum cambij requisitus à campsuario prorogat ei tempus solutionis vsque ad sequẽtes nundinas, cum pacto, quod sibi detur id, quod respondebũt vera cambia in illis sequentibus nundinis: & quòd huiusmodi cambium non est verè cambium, sed mutuum implicitum, vt latè prosequitur Scac. de commerc. & camb. §. 1. q. 7. p. 3. limit. 1.

Limitatur hæc conclusio, vt lucrum cã-
2 bij, de quo agitur iustificari possit ratione interesse lucri cessantis, vel damni emergẽtis, si de hoc interesse fuerit certioratus cãpsuarius tempore dilationis, & concurrant aliæ conditiones requisitæ ad licitè percipiendum huiusmodi interesse, de quibus Salon. 2. 2. q. 78. ar. 2. contr. 8. & alij, quos supra retulimus, q. præced. concl. 1. & 2. Etenim ratione interesse lucri cessantis, vel dãni emergentis potest licitè augeri lucrum propter temporis prorogationem. Est tamen verum quòd huiusmodi lucri incremẽtum est iustum non ratione cambij, sed ratione interesse, vt rectè declarat Scac. loco citato, num. 5. & 6.

An cambium, ex quo campsor maius lucrum accipit, quò magis nundinæ sint distantes, sit licitum. Q. LVI.

SVMMARIVM.

1 *Cambium illud est siccum, cuius lucrum percipitur ratione temporis distantiæ, non autem loci.*
2 *Cambium ex quo campsor maius lucrum consequitur, quò magis nundinæ sint distantes, est licitum.*
3 *Cambium, cuius pretium augetur ratione solius temporis, est vsurarium.*

Hoc cambium est valdè vsitatum Genuæ, & in multis alijs locis Italiæ per Placentiam. Etenim campsor Genuæ, v. g. dat in principio nundinarum 64. solid. recepturus Placentiæ scutum march. quod valuatur solid. 67. & den. 4. In medio dat 65. solid. recepturus idem scutum eodem modo valuatum: Et in fine nundinarum dat 66. solid. vel etiam 67. vt recipiat Placentiæ supradictum scutum. Sic etiam Frãcoforti bis in anno celebrantur nundinæ, circa Pascha scilicet, & in mense Septembris, in quibus fiunt solutiones cambiorum, sicut Placentiæ, & in alijs locis, in quibus nundinæ fiunt: & Antuerpię campsor quinto mense ante nundinas dat scut. 73. grossos pro floreno Germanico, recipiendo Frãcoforti, qui æstimatur ibidem 79. & 80. grossis: in quarto dat 74. pro eodem floreno: in tertio 75. in secundo 76. & in primo tandem mense ante nundinas dat grossos 77. recepturus florenum eiusdem valoris Francofurti.

In hac re videtur prima fronte dicēdum,
1 huiusmodi cambium esse omnino siccum. Nam q. præcedenti probauimus, illud esse cambium siccum, in quo lucrum percipitur propter distantiam temporis; idque ex nostro §. expressè colligitur, in illis verbis, *Præstitutum solutionis terminum, &c.* Siquidem lucrum illud dicitur percipi non ex cambio, sed ex mutuo palliato, seu cooperto pallio cambij, atque ideò ex cābio vsurario, & sicco: sed in cambio, de quo agitur, lucrum percipitur propter solam distantiam temporis: nam quanto nundinæ proximiores sunt, eo minus campsor lucrum sibi cōparat; & è conuerso quo magis nundinæ distant, plus lucri consequitur: ergo cambium prædictum est siccum.

His tamen non obstantibus, contrariam
2 sententiam puto veriorem esse, quam tenet Less. lib. 2. de Iustit. & iur. cap. 23. dub. 6. Scac. de commerc. & camb. §. 1. q. 7. p. 1. à num. 75. ad 79. & nos supra ostendimus, q. 27. in resp. ad tertium. Probatur primò, quoniam non est semper verum, quòd plus æstimatur pecunia præsens in principio nundinarum, quàm in medio, vel in fine: siquidem quandoque accidit oppositum. Et quamuis vt plurimum pluris æstimetur pecunia præsens in principio nundinarum, quàm in medio, vel in fine; id tamen non prouenit ex maiori, vel minori distantia temporis per se; quia ratio temporis est tali cambio accidētaria: sed id prouenit ex eo quod in principio nūdinarum multi sunt campsuarij cambio accipientes, atque ideò vendentes scutum march. Placentiæ, seu florenum Germanicum Francofurti; & pauci campsores cambio dantes, & sic ementes scutum marchar. seu florenum. In medio autem nundinarum sunt pauciores campsuarij; & ideò scutum march. plus vēditur. In fine demum sunt paucissimi campsuarij; & propterea vēditur carius. Etenim pecunia in cambio se habet loco mercis, & ideò crescit, ac decrescit ex paucitate, aut multitudine campsorum, & campsuariorum; sicut mercium pretia crescunt, & decrescunt ex multitudine, aut paucitate emptorum, ac venditorum, ex abundantia, vel penuria mercium, vt habetur ex Caiet. de cāb. c. 7. & Scac. de cōmer. & cāb. §. 1. q. 1. p. 1. num. 75. & ex alijs.

Cæterum si ratione solius temporis cā-
bij pretium augeret campsor, vsuram com- 1
mitteret; siquidem pretium cambij non potest variari ratione solius temporis longioris, vel breuioris: quia in cambio non exigitur temporis interuallum, nisi per accidens, quatenus id necessarium est ad transferendas litteras, & ad præparandas solutiones, condicto tempore faciēdas, vt rectè declarat Less. & Scac. locis citatis.

An cambium, in quo campsor dat campsuario merces pro pecunia numerata possit dici siccum. Q. LVII.

SVMMARIVM.

1 *Cambium, in quo campsor dat campsuario merces pro pecunia, est siccum.*

2 *Cambium celebratum pecunia credita, est licitum: sicut etiam si fieret per confessionem de recepto.*

3 *Cambium, in quo campsor dat campsuario merces appretiatas pro pecunia, potest esse validum, attenta rei natura.*

4 *Pretium rei emptæ licèt constituatur in pecunia numerata; potest tamen solui in alijs rebus.*

5 *Pretium dicitur omne illud, quod pro re datur.*

AD hanc quæstionem respondetur bre-
1 uiter affirmatiuè. Etenim cambium, aut est contractus emptionis, vel est contractus permutationis pecuniæ cum pecunia; sed in vtroque casu semper exigitur pecunia: ergo cambium, in quo campsor dat cāpsuario merces pro pecunia non est verè cambium, atque ideò siccum. Minor patet, quia campsor se habet loco emptoris emētis scutum marcharum in nundinis, quod consideratur, vt merx: ergò necessariò debet dare pecuniam pro re; quoniam contractus emptionis, seu venditionis est commutatio pecuniæ ad rem, vt in l. 1. & ibi Doctor. ff. de contrah. empt. Et si contractus cambij est commutatio pecuniæ cum pecunia; tanto magis campsor non potest dare merces, sed omninò tenetur dare pecuniā;

quia

quia aliàs non diceretur commutatio pecu-
niæ cum pecunia. Confirmatur, quia cam-
bium habet magnam affinitatem cum mu-
tuo; sed in mutuo reijcitur onus recipiendi
merces pro pecunia, vt habetur ex Sot. lib.
6. de Iust. & iur. q. 1. artic. 2. col. 6. & ex alijs;
ergò & in cambio. Denique in censu, ac in
societate officiorum non possunt dari mer-
ces loco pecuniæ numeratæ, vt latè proba-
uimus in nostris Comment. in Extrauag.
Pij V. de censib. §. 2. q. 1. & quoad societa-
tem officiorum rectè probat Castrac. tract.
de societ. offic. cap. 7. sub num. 7. vers. Sed
in contrarium: ergò multo magis id dicen-
dum est in contractu cambij, cùm talis con-
tractus suspicionem vsuræ magis contrahat.
Ita Scac. de commerc. & camb. §. 1. q. 7. p.
3. limit. 11.

Limito tamen hanc conclusionem, vt
2 cambium non dicatur siccum, si campsor
det pecuniam creditam ad cambium; quia
licèt census, & societates officiorum prohi-
beantur aliter constitui, quàm in pecunia
numerata, vt de censu ostendimus in dictis
Commentar. §. 2. q. 7. & de societatibus of-
ficiorum Boccac. in tract. de societat. offic.
num. 8. vbi ait, quòd ex consuetudine Vrbis
in contractu societatis non sufficit confessio
de recepto; nihilominus id prouenit vi di-
ctæ Extrauag. & vigore consuetudinis præ-
dictæ prohibetur: at in cambio non video
legem aliquam, aut constitutionem id pro-
hibentem: vndè ex natura rei cùm census
constitui possit ex pecunia credita, vt dixi-
mus d. §. 2. q. 8. sicùt, & societates officio-
rum, cùm solùm consuetudo sit in contra-
rium, non potest assignari diuersitatis ratio
cur in cābijs hoc ipsum seruari possit. Hinc
cambia de communi mercatorum consue-
tudine fieri solent tàm in pecunia numera-
ta, quàm in pecunia credita. Idem puto di-
cendum si pecuniæ solutio fiat per confes-
sionem de recepto: quia militat eadem ra-
tio, arg. tex. in l. illud, ff. ad leg. Aquil.

Imò ex natura rei si volumus cambium
3 esse contractum emptionis, & venditionis
maximè, puto non pugnare, si campsor pro
constituendo cambio det merces appre-
tiatas pro pecunia numerata. Etenim licèt
regulariter rei emptæ pretium constituatur
in pecunia numerata, vt in d. l. 1. ff. de con-
4 trah. empt. l. naturalis, §. & si quidem, versic.
Sed si scyphos, ff. de præscript. verb. l. 1. ff.
de rer. permut. & in Inst. de empt. & vendit.
§. pretium; non tamen ob id sequitur, vt in
alijs rebus pretium constitui, ac solui non
possit, vt in l. pretij, C. de rescind. vendit.
his verbis, *Pretij causa non numerata pecu-
nia, sed pro ea pecoribus in solutum datis, con-
tractus non constituitur irritus.* Siquidem
5 pretium dicitur omne illud, quod pro re
datur, l. seruorum, § 1. ff. de stat. homin. l.
quemquā post prin. ff. de stat. homin. Quod
quidem maximè verum est cùm campsor
emit scutum march. & pecuniam absentem
pretio conuento in pecunia, & soluatur
pretium in specie æstimata, iuxta ea, quæ de
censu diximus, d. §. 2. q. 2. num. 9. Nec ob-
stat, quòd dando merces in pretium scuti
march. empti, contrahitur permutatio rei
ad rem, non autem emptio, & venditio, quæ
est pecuniæ ad rem; quoniam respondetur,
id verum esse si merces darentur inæstima-
tæ: secus autem vbi dantur æstimatæ, vt ha-
betur per Paul. Castrens. in d. l. 1. ff. de rer.
perm. & Alciat. in l. 2. num. 23. ff. si cert. pe-
tat. Dec. cons. 160. col. 1. ad finem, & nos
etiam adnotauimus, d. quęst. 2. in resp. ad 1,
num. 23. & 24.

An cambium celebratum pro pretio currenti cum pacto, vt si pretium augeatur, cedat in vtilitatem campsoris: si vero minuatur, in detrimentum eiusdem non cedat, sit siccum. Q. LVIII.

SVMMARIVM.

1 *Cambium initum pro pretio currenti ea le-
ge, vt si pretium augeatur cedat in vtilita-
tem campsoris: si verò minuatur, secus; est
iniustum.*

2 *Cambium contractum pro pretio currenti,
cum pacto, vt si pretium augeatur, cedat in
vtilitatem campsoris: si verò minuatur non
cedat in ipsius damnum licèt sit iniustum;
non tamen est vsurarium.*

AD hanc difficultatem breuiter respō-
1 detur affirmatiuè. Etenim si quis vē-
dat

dat frumentum pro pretio currenti, & si
pluris valebit in mense Maij, id cedat in vti-
litatem vendentis; non autem in detrimen-
tum, si vendatur pretio minori, proculdu-
bio vsurarius iudicabitur, vt colligitur ex
tex. in c. consuluit, & ibi Hostien. Archid. &
Laurent. de Rodul. §. 2. q. 30. num. 12. de
vsur. Ergo idem dicendum est in casu no-
stro, vt campsor dans cambio pretio cur-
renti cum pacto, quòd si interim cambij
pretium augeatur, teneatur campsuarius il-
lud plus soluere campsori: si verò minuatur,
non teneatur campsor pretium minuere, sed
stare pretio currenti, & conuento, erit di-
cendus vsurarius, cùm talis cõtractus clau-
dicet, & sit inæqualis, vt habetur per Scac.
de commerc. & camb. §. 1. q 7. p. 3. limit. 9.

Sed re vera huiusmodi cambium licèt sit
2 iniustum, cùm campsuarius decipiatur in
pretio, atque ideò contra iustitiam commu-
tatiuam, quia in eo non seruatur æqualitas;
non autem potest dici vsurariũ, nec siccum:
siquidem in tali cambio non interuenit mu-
tuum nec implicitum, nec explicitum; ergo
non est vsurarium; quoniam vsura nõ com-
mittitur nisi in contractu mutui, cùm sit lu-
crum ex mutuo, vt in c. consuluit, & ibi Do-
ctor. de vsur. Nec potest dici siccum quia
cambium non est inualidum, sed læso suc-
curritur per remediũ reductionis ad æqua-
litatem, vt patet ex ijs, quæ nos cumulaui-
mus in nostris Commentar. ad Extrauag.
Pij V. de censib. §. 2. quæst. 26. num. 14. cum
plur. seq. & q. 27. num. 3. Et quamuis vi di-
ctæ Extrauag. census iusto pretio non con-
stitutus annulletur, vt in d. q 26. num. 43.
adnotauimus; id tamen prouenit, non ex na-
tura contractus; sed ex ipsa Extrauag. irri-
tante, nisi census iusto pretio constituatur:
at in cambio, de quo agitur, nulla lex, aut
constitutio extat, quæ illud irritat: quòd si
cambium prædictum non est irritum, nec
etiam erit siccum: siquidem omne cãbium
siccum est irritum, ac nullum ineptum ad
fructificandum, vt supra ostendimus, q. 12.
in proœm. vers. Siccum.

An cambium, in quo campsor vltra lucrum cambij recipit à cãpsuario etiã pignus, sit siccũ. Q. LIX.

SVMMARIVM.

1 *In omni contractu licitum est vnicuique sibi consulere, seque seruare indemnem.*

2 *Periculum amittendi sortem non facit cambium iustum; sed æqualitas pretij.*

3 *Pignus, seu fideiussor licèt recipi possit per cãpsorem à campsuario, cui dedit cambio; debet tamen ab eo minui pretium cambij.*

4 *Pignus licèt recipi possit per campsorem, vt supra; id tamen verum est, quando probabiliter creditur, campsuarium soluturum cãbium in loco destinatæ solutionis: aliàs secus.*

PRo determinatione huius difficulta-
1 tis videnda sunt ea, quæ supra adno-
tauimus q. 24. in qua latè ostendimus, posse
campsorem dantem pecuniam suam cam-
bio, recipere à campsuario pignus, seu fi-
deiussorem. Etenim in omni contractu lici-
tum est vnicuique sibi consulere, seque in-
demnem seruare quantum expostulat natu-
2 ra contractus: nec periculum amittendi sor-
tem facit cambium iustum; sed æqualitas
pretij, cùm periculum sit accidens, quod
potest esse, & abesse, & supponat cambium
in suo esse, vt rectè docet Scac. de com-
merc. & camb. §. 1. q. 5. num. 80. quibus ad-
de Tolet. lib. 5. suæ sum. cap. 52. num. 3 Bo-
nac. de contr. disp. 3. q. 5. pun. vnico, pro-
pos. 5. sub num. 19. & Molf. par. 2. suæ sum.
tract. 12. c. 7. num. 68. & 69.

Est tamen verum, quòd campsor accipit
3 pignus, vel idoneam cautionem à campsua-
rio, cùm nulli periculo exponatur, non po-
test aliquod incrementum percipere vltra
iustum pretium cambij, vt habetur ex Less.
lib. 2 de iust. & iur. cap. 23. dub. 8. num 77.
78. & 79. Imò eo casu campsor nec totum
1 pretium cambij percipere debet: quia dum
minori periculo pecuniam suam exponit,
stante pignore, vel fideiussione, vt supra,
congruum est, vt minus pretij pro cambio
recipiat, vt per Molf. post alios loco citato:
qui etiam ait, quod si campsor citra pignus,
aut fideiussorem solet in pretium cambij
consequi octo, cum pignore, vel fideiussio-
ne non potest consequi nisi quatuor, & sic
mediãtem pretij. Concedit tamen campso-
ri ipse Molf. ibi num. 70. ex Molina, & alijs

solitas

solitas prouisiones, quæ ratione laboris, & ex alijs iustis causis soluitur, de quibus ipse Molf. ibidem, num. 22. Quòd si iustè recipi potest pignus per campsorem dantē cambio, & insuper lucrum cambij, consequenter fit, vt cambiū, in quo campsor vltra lucrum cambij recipit à campsuario etiam pignus, non sit siccum: quoniam cambium siccum cùm sit iniustum, non posset ex eo lucrum iustè percipi.

4 Limitatur tamen ex Io. Bap. Cauat. in suo tract. de camb. tit. de vsur. vers. Quæro Anton. & seq. vt nostra conclusio non habeat locum, quando dans cābio idcirco pignus accipit; quoniam probabiliter credit, campsorem condicto tempore futurū impotentē ad soluendū cambiū: siquidem tūc vsurā committit: nam cambium reale inter alias cōditiones exigit, vt campsor, qui dat cambio certus sit, vel saltem magnam probabilitatem habeat, quòd campsuarius habeat in loco destinatæ solutionis pecuniam, vel creditum quo possit cambium soluere: aliàs si certò sciat, vel probabiliter credat, campsuarium ipsum non habere, nec habiturum fore pecuniam, nec creditum in dicto loco, tunc cambium illud non erit verum, & reale, sed siccum, atque ideò mutuū palliatum pallio cambij, cùm in eo nō habeatur ratio loci; sed tantùm temporis, vt supra ostendimus, q. 12. vers. Præterea requiritur: & infra dicemus q. seq. concl. 1. Beneuerū est, quòd hoc casu, non pignus, sed credulitas dictæ impotentiæ inficit cambium, vt bene aduertit Scac. de commerc. & camb. §. 1. q. 7. p. 2. ampl. 12. sub num. 4. & nos diximus d. q. 24. vbi controuersiam hanc latius explicauimus, cōclusionem multipliciter amplıantes, & limitantes.

An campsor recambiendo cū campsuario, qui tenetur cambium soluere in loco condicto, dicatur celebrare cābium siccū. Q. LX.

SVMMARIVM.

1 *Qui debitum soluit, vt recuperet, non liberatur.*

2 *Cambia Italia non possunt fieri vi nostra Extrauag. nisi pro primis nundinis.*

3 *Campsor recambiendo cum campsuario, qui tenetur cambium soluere in loco condicto, an licitè contrahat, declaratur.*

4 *Cambium reale exigit, vt campsor probabiliter credat, campsuarium habere pecuniā, vel creditum in loco destinatæ solutionis.*

5 *Recambium debet fieri gratia campsuarij, & ad instantiam ipsius, aliàs si fieret ad instantiam, & in gratiam campsoris esset siccum.*

6 *Litteræ acceptatæ non habent vim solutionis.*

7 *Recambium, vt supra debet rarò fieri: aliàs fraudulentum præsumitur.*

8 *Campsoris pecunia per recambium fit campsuarij.*

9 *L. qui sic soluit, ff. de solut. quomodo intelligēda sit, declaratur.*

10 *Campsor recambiendo cum campsuario, qui tenetur cambium soluere in loco destinatæ solutionis, an dicatur contrauenire determinationibus S. Congregationis, declaratur.*

Haec cambij, seu recambij species est valdè vsitata apud campsores nostri temporis. Nam Titius, v. g. qui cambio accepit à Sempronio decem mille aureos Genuæ soluendos in scutis march. in primis nundinis Placentiæ, cùm non nulla debita contraxerit, cogitur in dictis nundinis magnam pecuniæ summam ad cambium accipere, vt suis creditoribus satisfaciat. Et quoniam timet non habiturum creditum in ipsis nundinis, atque ideò dubitat, an possit suis creditoribus satisfacere, confisus prædicto Sempronio campsori, à quo accepit dictos decem mille aureos antequam à nundinis discedat, rogat eum, vt ipse committat suo procuratori, vt denuò cambiat, & sic recambiat secum dictam partitam, & ita factum est. Quæritur igitur, an huiusmodi cābium sit siccum?

In hac re partem affirmatiuam videtur
1 tenere Molina de contr. disp. 404. num. 6. Probatur, quia dum Titius recambiat cum eodem Sempronio, dicitur ipse Sēpronius pecuniam suam cambire cum sua pecunia: siquidem Titius dum est soluturus Sempronio dictam summam, eandem quantitatem ipse Sempronius illi mutuat, qua cambium soluat: quod quidem fieri constat ad palliādum

dum vsuras, secundò probatur ex tex. in l. qui sic soluit, ff. de solut. vbi habetur, quòd qui debitum soluit, vt recuperet non liberatur: quemadmodum nō alienantur nummi, qui sic dātur, vt recipiantur. Hinc ait Azor. 3. p. Inst. moral. lib. 10. de censib. cap. 8. q. 2. vers. Sed quid alteri, quòd numerare pecuniam coram Notario in pretium census statim recipiendam, in fraudem Bullæ Pij V. de censib. nō est vera, sed ficta solutio, sicut, & nos de hac re latè egimus in Commentar. d. Bull. §. 2. q. 3. sed in casu, de quo agitur Titius ita soluit Sempronio, vt eandem pecuniam statim sit ab eo recepturus; ergò non censetur soluisse, nec à primo cambio liberatur. Tertiò probatur ex nostra Extra-
2 uag. §. 2. vbi cambia realia fieri non possunt; nisi pro primis nundinis, vt constat ex illis verbis, *Neque realia cambia aliter quàm pro primis nundinis, vbi illa celebrentur; vbi verò nō celebrantur pro primis terminis, &c.* Ergò vi dictæ Extrauag. cùm prohibeantur recābia, cambium, de quo agitur erit siccum; quia ex eadem Extrauag. omnia cambia declarantur sicca, & vsuraria, quę fiunt contra ipsius prohibitionem, vt patet ex nostro §. in illis verbis, *Quæ omnia nos vsuraria esse declaramus, & ne fiant, districtius prohibemus.* Denique hoc ipsum cambium videtur expressè damnatum, & decretum nō subsistere per Sacram Congregationem nouissimè institutam circa materiam cambiorum ad instantiam Serenissimę Reipub. Genuen. cuius resolutiones, & casus propositos ad verbū retulimus supra q. 42. etenim fuit declaratum non subsistere cambium, cuius solutio fiat in loco destinatæ solutionis ex credito remissę ad eundem campsorem, qui dedit cambio, spectāte: vel ex pecunia met-ipsius campsoris. At cambium, de quo agitur soluitur cum credito remissæ, & eadem pecunia eiusdem campsoris: ergo non subsistit, atque ideò est siccum.

Oppositis tamen non obstantibus, con-
3 trariam sententiam probabilem esse arbitror cum seq. tamen limitationibus, quam tenet Clauar. de camb. par. 2. cap. 2. in resp. ad 2. Veg. in sum. Hisp. par. 1. cap. 46. casu 31. §. Nota vna cosa buona, & alij. Probatur; quia cùm Titius sit accepturus ad cambium in eisdem nundinis magnam pecuniæ quantitatem pro soluendis suis debitis: & ex alia parte cùm non intendat Sempronius suam pecuniam otiosam habere, ab ipso Titio exigendam; non potest assignari diuersitatis ratio, cur possit dictam summam à Titio accipere ad cambium, & non ab eodem Sempronio: cùm igitur eadem militet ratio in vtroque casu, eadem etiam erit iuris dispositio, arg. tex. in l. illud, ff. ad leg. Aquil. Cōfirmatur, quia nos concedimus, licitas esse continuationes cambiorum, & cambiū cum recursa, vt supra ostendimus, q. 40. cum pluribus seq. & tamen præd. cta cambia, & continuationes cābiorum cōstant ex cambijs, & recambijs.

Limitatur tamen hæc conclusio, vt vera
4 sit secundum Clauar. loco citato, tribus conditionibus concurrentibus: quarum prima est, vt Sempronius tempore, quo dedit pecuniam prædictam ad cambium Titio, probabiliter credat, Titium ipsum habere pecuniam, aut creditum in nundinis, & sic in loco destinatæ solutionis, quo possit cābium soluere. Et quidē satis est, si Sempronius credat, vt Titius in nundinis habere possit pecuniam, tempore condictę solutionis, saltem nomine; ac iure alterius cambij cum alio ab ipso campsore distincto cōtrahendi, iuxta ea, quæ habentur ex Azor. p. 3. Instit. moral. lib. 10. de camb. cap. 9. q. 6. in fin. Quòd si Sempronius sciebat, vel probabiliter credebat, tempore celebrari contractus, Titium non habiturum pecuniam, nec creditum in loco cōdicto, tempore solutionis faciendæ, nec ibi soluturum cambium; sed per recambium illud recepturum in loco celebrati cōtractus vna cum lucro; tunc certum est, huiusmodi cambiū esse siccum: quia, vt sæpe diximus, & colligitur ex nostra Extrauag. ad verum, & reale cambium requiritur, vt campsūarius habeat, vel habere possit pecuniam, aut creditum in loco destinatæ solutionis. Ita P. Iustin. de contin. camb. q. 9. num. 9. Est tamen verum, quòd si campsor putet, campsūarium habiturū pecuniam, vel creditum in loco vbi facienda est solutio; & campsuarius probabiliter existimet, se non habiturum ibidem nec pecuniam, nec creditum, tunc rè vera cùm huiusmodi cambium non sit reale licèt campsor non poterit percipere lucrū realis cambij;

pote-

poterit tamen consequi interesse lucri cessantis, si pecuniam suam daturus fuisset alteri ad reale cambium, aut ad aliā honestam negotiationem. Imò si contrahentes tempore celebrationis primi cambij sciebant campsuarium habere pecuniam, vel creditum pro soluendo cambio, & deinde ex superueniente aliquo accidente campsuarius efficiatur impotens ad soluendū cambium ipsum; tunc si recurrat ad campsorem, vt à suo procuratore, vel à se ipso de propria pecunia ipsius cāpsoris accipiēda ad cābium, primū cābium soluat; tūc probabiliter dici potest, cābium ipsū esse reale, vt ex Frācisc. Vipera docet Iustin. de contin. camb. q.9. sub num.10. in fin. qui tamen id limitat, dūmodo non fiat denuò recambium cum eodem campsuario. Dixi, *Probabiliter dici potest*. Quia opposita sententia nobis videtur probabilior, vt infra dicemus: nam hic casus videtur comprehendi sub supra relatis determinationibus nouissimè factis per Sacram Congregationem.

5 Secunda conditio, quę ex Clauar. exigitur ad iustificationem dicti cambij est, vt recambium fiat ad instantiam campsuarij, & in gratiam ipsius: nam si fieret in gratiam campsoris, cambiū diceretur siccum, cùm id fieri non posset, nisi propter charitatem, & affectum erga campsuarium: nec cāpsor obligare potest campsuarium ad recambiēdum, vt habetur per Scac. de commerc. & camb. §.1. q.7. p.3. limit.15. & nos sæpe supra diximus. Ob id Vega loco citato, negat, huiusmodi cambium fieri posse, quando à principio contractus campsor, & campsuarius cōueniunt de recambiendo: aliàs secus; atque adeo subdit, citra talem conuentionē licitum esse recambium, si cambium fuerit solutum à procuratore campsuarij, procuratori campsoris. Esset tamen satis si post recambim procurator campsuarij soluat primum cambium: siquidem Iustin. d.q.9. sub num.10. inquit id fieri posse cùm procurator campsuarij acceptat litteras, & promittat eas soluere tempore solutionis: quoniā quodammodo diceretur satisfecisse, ac soluisse debitum, quod solueret pecunia accipienda cambio ab alijs, nisi procurator cāpsoris vellet secum recābire. Quod verum puto quando procurator Titij, cui præsentantur litterę cābij scribit in suo libro ipsum præsentātem sic volentem pro creditore ipsius scribentis: secus autem si litteræ sint tantùm acceptatæ, & retentæ ab eo, ad quē

6 missę sunt: nam hæc acceptatio, & retentio licèt habeant vim promissionis, ita vt acceptans reputetur sponsor; non tamen dicuntur habere vim solutionis; ita vt campsuarius, qui litteras fecit, sit liberatus, vt habetur ex Scac. post alios de commerc. & cāb. §.2. Glos.5. num.244. quibus adde, quæ supra adnotauimus in explic. proœm. q.8. in resp. ad 3. & infra dicemus, q. proxima.

7 Tertia, & vltima conditio est, ait idem Clauar. vt huiusmodi contractus rarò fiat; quoniam si sępe celebrari contingat, præsumi potest de corrupta mente contrahentium, non cambiendi, sed mutuandi potius cum lucro; atque ideò mittendi tantum litteras ad locum destinatæ solutionis, sed cābia soluendi in loco celebrati contractus.

Ad contraria modo responderi potest.

8 AD primum negatur eo casu, campsorē cambire suam pecuniam cum sua pecunia; sed cum pecunia campsuarij, cùm per recambium, seu per nouum cambium propria fiat: eo quòd cambij trāsfertur dominium penes campsuarium.

9 Ad secundum negatur minor: siquidem campsuarius post solutionem primi cambij non dicitur recipere eandem pecuniam, quam soluit: siquidem dat suam, & recipit alienam per diuersum contractum, nempe per nouum cambium. Esset autem inconueniens, & contra tex. in d.l. qui sic soluit, si statim reciperet pecuniam solutam absque alio iusto titulo: & eo maximè quia in casu nostro momentanea solutio dominium acquirit illi, qui statim reddit. iuxta ea, quæ adnotauimus in nostris Commētar. ad Extrauag. Pij V. de censib. §.3. q.2. num.13. & seq.

Ad Tertium ex nostra Extrauag. patet responsio. Non enim in casu, de quo controuertitur, fit cambium per plures nundinas, sed per primas dumtaxat, & ibi completur primum cambium: & deinde incipit

nouum

nouum cambium, atque ideò recambium.

Ad vltimum respõdetur, quòd nos hanc
10 Clauar. opinionẽ probabiliter tantùm defendimus: & propterea secundum huiusmodi probabilitatem dici potest, quòd cambium, de quo agitur, differt in multis à cambijs propositis à Serenissima Repub. Gen, & per Sacram Congregationem declaratis non subsistere: siquidem in hoc cãbio certi erant contrahentes, vel saltem probabiliter credebant, campsuarium habere in loco destinatæ solutionis pecuniam, vel creditum, quo solueret primum cambium quando campsor nollet cum ipso cãpsuario recambire: at in cambijs propositis per Remp. Genuen. contrahentes certò supponuntur scire, campsuariũ in loco destinatæ solutionis nõ habere pecuniam, nec creditum pro soluendo cambio præter creditum remissæ ad cãpsorem ipsum pertinens, seù pecuniam eiusdem campsoris. Præterea in cambio, de quo agitur non fit pactum de recambiendo ab initio contractus primi cambij: at in illis cambijs tale pactum interuenit ab initio dicti contractus. Denique in hoc cambio fit pactum de recambiendo vt supra, per accidens: quia supponimus, campsuarium ex aliquo accidenti post celebratum primum cambium, fuisse redditum impotentem ad illud soluendum: at in prædictis cambijs ab initio contractus fuit initum pactum de recambiendo per se; quia contrahentes certò sciebant, campsuarium non habere aliam pecuniam, nec creditum in loco destinatæ solutionis; præter dictum creditum remissæ, seù pecuniam ipsiusmet campsoris, quo, seù qua soluat cambium. Vnde huiusmodi differentijs sic stantibus probabiliter puto dicendum, sub declarationibus, seù determinationibus dictæ Sacræ Congregationis non comprehendi cambium, de quo agitur. Dixi, *Probabiliter*. Quoniã; quòd cambium ipsum comprehendatur, probabilius nobis videtur: siquidẽ per determinationem tertij casus, de qua supra, q. 42. licèt permittantur continuationes cambiorum; permittuntur tamen, dummodò solutio primi cambij non fiat de pecunia ipsius campsoris; sed de propria eiusdem procuratoris, vel de aliena, vt patet ex illis verbis, *Domini dixerunt, Tertium casum, qui dicitur cambiũ cõtinuatum, subsistere si Romæ, & Massa vera fiat solutio ex legitimo mandato Didaci ab habentibus vnde soluant ex proprijs, vel alienis pecunijs, quæ non sint creditoris, cui fit solutio secundum eandem rationem bancharium permanentem; ita tamen, vt continuatio, &c.* At in cambio, de quo agitur soluitur ipsum cambium ex pecunia ipsiusmet creditoris, & propterea probabilius dici potest non subsistere iuxta determinationem primi casus. Confirmatur; quia per eandem Sacram Congregationem fuit approbatum cambium continuatũ quinto loco propositum per dictam Serenissimam Remp. Genuen. quod est tenoris sequentis, & in d. q. 42. ad verbum quoque relatum, *Gioanni in Fiera dà scuti* 1000. *à cambio à Pietro per Milano, e conuengono insieme, che Pietro ne faccia la tratta ad Antonio persona distinta, e di negotio, e credito in detta Città di Milano, al quale Gioanni ne fa anco la rimessa. Antonio in Milano passa scrittura di quella partita in debito di Pietro, & in credito de Gioanni, e nõ estinguendo Pietro tal debito con altra rimessa, ò pagamento, come potrebbe fare, riflette nella fiera seguente il suo credito à Gioanni, & il debito à Pietro, & in essa fiera s'estingue, &c.* Vndè Sacra Congregatio dictum cambium approbauit eo quòd cambium ipsum non soluitur ex pecunia campsoris, sed ex pecunia alterius; ergo si cambium soluatur ex pecunia campsoris, clarum est non subsistere iuxta determinationem prædictæ Sacræ Congregationis.

De cambio Pisano an sit siccum. Q. LXI.

SVMMARIVM.

1 *Cambium Pisanum est siccum.*
2 *Cambium Pisanum licèt iustificari possit, concurrentibus aliquibus conditionibus; est tamen ab eo abstinendum.*

HVius cambij meminit Filliuc. tom. 2. qq. moral. tract. 35. cap. 8. de cẽsib. & camb. q. 9. quod, inquit, Pisis celebrari consueuisse eodem tempore, quo nundinæ celebrãtur Placentiæ: & à cambio Placentino

tino in tribus differre. Primò enim in hoc cambio fit pactum de recambio citra conditionem, si campsuarius non soluerit in loco destinatæ solutionis: at Placentiæ fit pactum de recambiendo sub dicta conditione. Secundò in Pisano concurrunt personæ priuatæ: in Placentino autem vt plurimum publicæ. Tertiò minor distantia est Senis Pisas, per quam Ciuitatem fit dictum cambium, quàm Senis Placētiam, per quam celebratur Placentinum.

Ad quæstionem igitur respondetur, prę-
1 dictum cambium esse siccum. Etenim stante obligatione de recambio citra conditionem illam, clarè comprehenditur, voluntatem contrahentium non fuisse cambiendi, sed mutuandi sub lucro recipiendo vna cum sorte in loco celebrati contractus, vt diximus, q. præced. condit. 2. Confirmatur, quia huiusmodi cambium vt plurimum celebratur cum personis, quæ in loco destinatæ solutionis non habent pecuniam, nec creditum pro soluendo cambio contra dispositionem nostræ Extrauag. in hoc S. Denique in hoc cambio non habetur ratio distantiæ loci: nam idem lucrum percipitur ex eo, quod ex Placentino; & tamen maior distantia est à Ciuitate Senis ad Placentiam, quàm Senis ad Pisas. Et quamuis huiusmo-
2 di cambium iustificari posset, si concurrant conditiones, de quibus Filliuc. loco citato, num. 446. nihilominus ait idem Filliuc. esse omninò dissuadendum, tùm propter rationes communes cum Placentino: tùm quia Pisis nunquam fit solutio; sed cambium soluitur Senis, vbi celebratur, contra dispositionem nostræ Extrauag.

De quodam cambio inito inter Anturpienses, & Hispaniarum Regem, an sit siccum Q. LXII.

SVMMARIVM.

1 *Cambium Anturpiense qualiter iustificari possit, declaratur.*

2 *Principi dans pecunias cambio sciens, aut probabiliter credens, se illis vsurum in bello iniusto, peccat mortaliter, & tenetur ad dāni illati restitutionem.*

HVius contractus meminit Less. lib. 2. de iust. & iur. cap. 23. dub. 6. num. 58. Etenim dabant Antuerpienses Regi ad vsus bellicos centum millia aureorum; octoginta duo millia in pecunia, & decem & octo millia in pannis dimidio supra iustum pretium æstimatis, recepturi in Hispania post duos menses centum millia aureorum.

Less. loco citato, hunc contractum iusti-
1 ficari posse arbitratur. Nam licèt vendentes aliquid supra rigorosum pretium, vel minus infimo ementes teneantur ad restitutionem eius, quod perceperunt supra iusti pretij latitudinem, vt habetur ex Molin. de contr. disp. 350. num. 3. Petr. Nauar. lib. 3. de restitut. cap. 2. num. 13. Reginald. lib. 25. suæ praxis, num. 288. & alijs communiter; atque ideò iniusta videatur præfatorum pannorum venditio pro decem, & octo millia aureis, & non valebant nisi duodecim millia; nihilominus supponitur illa sex millia aureorum fuisse percepta pro iusto pretio cābij: siquidem campsores quamuis post bimestrem lucrentur sex pro quolibet centenario; illud tamen lucrum pensatis circumstantijs, potest esse iustum: nam campsor pecuniæ quātitatem adeo magnam citra magnos sumptus, ac labores, ac pericula non valet conquirere; cùm eam oporteat, vel ab alijs non absque graui interesse ad cābium accipere, vel ad locum condictum cum magno periculo deferendum curare. Imò satis quidem graue periculum est cum Regibus, & Principibus contrahere: etenim soluunt quando, & vbi volunt, & multoties prætextu læsionis contractus rescindunt, & debita non soluunt: quæ omnia pretio æstimabilia sunt, atque adeo augent pretium cambij.

Contractus iste re vera si in se conside-
2 retur, pēsatis supradictis circumstantijs, non immeritò iustificatur. Verùm si campsor sciat, vel probabiliter credat, talem contractum cedere in damnū militū: vt quia panni militibus vendantur à Ministris Regis eodem pretio, quo fuerunt empti, atque adeo supra rigorosum pretium, atque ita cambij lucrum soluerent ipsi milites dolo circumuenti, proculdubio peccaret, & ad restituēdum damnum militibus teneretur: sicut peccat campsor, qui dat cambio pecunias

Principi, quem certò nouit, vel saltem probabiliter credit se ijs vsurum in bello iniusto: & insuper tenetur ad damni illati restitutionem cum talis damni sit effectiua causa, vt infra, Deo duce, dicemus, q. 71. secus autem si certò, aut probabiliter campsor sciret, pannos prædictos vendendos fore militibus iusto pretio; quoniam tunc contractus huiusmodi esset tolerabilis.

De cambio in monte, an sit siccum. Q. LXIII.

SVMMARIVM.

1 *Cambium in monte quid sit, explicatur.*
2 *Cambium in monte est licitum.*

1 AD tituli explicationem est adnotand. quòd cambium in monte est summa quædam pecuniæ datæ ad cambium, suspẽsum per mercatores tàm in dando, quàm in accipiendo, ab initio vsque ad finem nundinarum, vt rectè declarat Filliuc. tom. 2. qq. moral. tract. 35. de censib. & camb. cap. 9. q. 7. Hoc autem cambium fieri contingit non tantùm quando cambiunt pecuniam propriam; verum etiam & alienam. Et vt res ipsa rectè percipiatur, ponamus casum, quòd Titius det cambio Romæ Sempronio in principio nundinarum per Lugdunum mille aureos sub lucro ad rationem duorum aureorum pro quolibet cẽtenario iuxta pretium fori. Pro huiusmodi cambij solutione in loco condicto, Titius non vult statim sibi tradi litteras, sed differt vsque ad expeditionem litterarum, quę solet esse prope finem nũdinarum: & hoc ideò; quoniam adhuc non statuit, cui nam creditum, vel debitum contractum sit transmissurus. Accidit interea, quòd creuit pretium fori in cambijs ad rationem quatuor aureorum pro singulis centum, & Meuius indigens mille aureis Lugduni dat eidem Titio Romæ tot aureos cum lucro, vt accipiat mille Lugduni. Ipse Titius dat litteras Meuio directas Sempronio, vt soluat ipsi Meuio 1000. aureos Lugduni. Vndè Titius in primo cambio fuit lucratus duos aureos pro singulis centum cum Sempronio, & in secundo cambio cum Meuio alios duos aureos, & insuper vitat impensas prouisionum, quas facturus fuisset Lugduni, si eo forte nomine proprio illos transmisisset, & non habuisset ibi agentem suum. Quæritur igitur quid iuris de hoc cambio?

2 Respondetur ex Filliuc. loco citato, tale cambium esse licitum tàm quoad propriam pecuniam, quã Mercatores cambiũt, quàm alienam; dummodo campsor habeat à Dominis concessum vsum pecunię, donec pręscriptum tempus venerit eam remittendi, vt solent habere mercatores alicuius nominis, & campsores, qui depositarij sunt. Hanc inquam industriam licitam esse, ait Filliuc. Siquidem mercatores consulunt sibi, & nulli faciunt iniuriam. Dixi, *Si concessum habeãt vsum pecuniæ*, aliàs si tantùm sint agentes mercenarij, qui propter stipendium negotientur aliorum pecuniam, ij tenentur exercere cambia, vel ratione ab ipsis Dominis præscripta: vel si huiusmodi diligentiam adhibeant cambiorum in monte, debet assignare ipsimet Dominis tale lucrum; non autem sibimet appropriare: siquidem ob eam causam stipendium consecuntur, vt cãbia scilicet diligenter, & pro Dominorum vtilitate exerceant. Est tamen verum, quòd si Titius, qui dedit mille ad cambium Sempronio, & tenet illos suspensos, vt supra, non dum acceptis litteris, petat ab eodem 500. cui iam dederat mille, & pretium fori creuerit, poterunt litteræ dari pro 500. reliquis 500. iam restitutis per compensationem, quamuis cum iactura ex parte Sempronij duorum aureorum pro singulis centum, cum ad rationem duorum aureorum sub lucro eos acceperit, & reddat ad rationem quatuor: quia illos 500. aureos non recipit ad cambium, nec mittit litteras, vt rectè declarat Filliuc. loco citato, sub num. 460. & 461. nisi velimus dicere vendi cambium aureorum 500. iuxta ea, quæ infra dicemus, q.

De cambio ex officio, an sit siccum. Q. LXIV.

SVMMARIVM.

1 *Cambium ex officio quid sit, ostenditur.*

2 Cam-

2 *Cambium reale expostulat, vt in eo habeatur ratio loci, & non temporis.*

3 *Cambium ex officio est licitum, quamuis non sit verè cambium, sed mutuum ex suscepto officio mutuandi.*

4 *Cambium ex pracedēti obligatione ad cambiendum potest celebrari etiam pro maiori pretio, quàm sit pretium fori, & recepto etiam pignore.*

1 Solet aliqua Ciuitas, seù Resp. constituere officium dandi pecunias cambio egentibus cum salario de publico constituto, recepto pignore, & aliquo paruo lucro, reddendo ab accipientibus cambio vna cum sorte post certum tempus, pro labore Officialium ad instar Montis Pietatis; id autem dicitur cambium per officium, & de hoc quæritur, an sit siccum?

2 In hac re videtur prima facie affirmatiuè respondendum esse: nam cambium reale exigit, vt in eo habeatur ratio loci, non autem temporis in percipiendo ex eo lucrum: sed in cambio, de quo agitur, habetur ratio temporis, non autem loci; quia soluitur in eodem loco, vbi celebratur cum lucro post aliquot tempus: ergò cambium istud non est reale; sed siccum.

3 Hoc cambium re vera non est verè cambium; sed formaliter mutuum ex suscepto officio mutuandi, vt probat argumentum: qui quidem contractus licitus est, quamuis ex tali mutuo incrementum aliquod percipiatur, vt habetur ex Nauar. in Man. c. 17. num. 288. & in c. nauiganti, num. 16. & 17. vers. Septimò quia, ibi, Quartò quia, deviur. Salon. 2. 2. q. 78. in disp. de camb. q. 4. art. 3. contr. 1. num. 3. vers. Ex his tamē, & num. 5. vers. Sit prima, & Scac. de commerc. & cāb. § 1. q. 7. p. 2. ampl. 1. Siquidem hoc lucrum non percipitur ex mutuo, & in pretium mutui; nam id esset vsurarium, atque ideò cābium diceretur siccum; sed percipitur ex alia causa, nempe ex obligatione præcedēti ad mutuandum: quæ quidem obligatio est pretio æstimabilis.

4 Hac ratione cambium ex præcedenti obligatione ad cambiendum, potest celebrari, etiam pro maiori pretio, quàm sit pretium fori, recepto etiam pignore. Vt quando aliqui negotiatores se obligant alicui Republicæ, seù Magistratui, vel aliquibus particularibus illius Ciuitatis, seù loci ad dandum cambio illis, qui habent pecunias, seù credita in loco, pro quo fit cambiū: quia cùm isti remaneant ita obligati, possunt cābire non solùm pro pretio currēti; sed etiam maiori in aliqua moderata quantitate, taxata à Republica, vel à Peritis viris, cùm illa obligatio pretio sit æstimabilis, vt habetur ex Salon. loco citato, contr. 1. num. 5. vers. Sit prima, innčto num. 4. in fin. vers. Nos verò, Romoal. Col. de camb. c. 29. & Scac. d. ampl. 1. num. 5. vbi etiam num. 4. hanc conclusionem ampliat non solùm cum mutuatarius accipit mutuo ab eo, qui ex obligatione prçcedēti tenetur mutuare; sed etiam quando accipit ab eo, qui non est obligatus mutuare ratione laboris, & expensarū, quas faceret, vt mutuaret, si ita cum mutuatario expressè conuenerit.

De cābio, quod vulgò dicitur, *forzoso*. & de cambio ad arbitrium, an sint sicca? Q. LXV.

SVMMARIVM.

1 *Cambium forzosum quid sit, explicatur: & qualiter differat à cambio ad arbitrium, ostenditur.*

2 *Cambium forzosum licitum est; sicut & cābium ad arbitrium.*

1 Cambium dictum vulgariter, *forzoso*, celebratur de loco ad nundinas quādo clauduntur nundinæ, & vt plurimum fit soluendo, v. g. scuta 100. auri in auro in loco pro scutis 100. marcharum in nundinis. Cambium verò ad arbitrium, quod alio vocabulo dicitur per viam commissionum, appellatur cū quis nulla alterius negotij occasione, sed solius lucri causa suas pecunias negotiatur in cambijs, committendo quod ex nundinis, & locis remitrantur per viam nouorum cambiorum ad ea loca, & plateas, in quibus cambia maius lucrum parient. De his igitur cambijs quæritur, an sint sicca?

2 Respondetur negatiuè: quoniam in cambio

2 bio *forzoso*, nulla ratio dilationis temporis
haberi potest, cùm fiat de loco ad nundi-
nas tempore, quo clauduntur; sed loci dum-
taxat, cùm de loco fiat ad nundinas. Et in
cambio ad arbitrium si supponamus reliqua
concurri, satis est si pro iusto pretio exer-
ceantur. Ita Scac. de commerc. & camb. §.
1. q. 7. p. 2. ampl. 2. post Nauar. in Man. cap.
17. sub num. 296. Imò quamuis campsor in
cambio excesserit iustum pretium; non ta-
men ob id cambium diceretur siccum; sed
reducendum esset ad æqualitatem: siquidem
non datur cambium siccum, & vsurarium,
nisi in eo implicitè saltem interueniat mu-
tuum: in hoc autem cambio supponimus
non interuenire mutuum, nec explicitum,
nec implicitum.

De cambio cum agio, an sit siccum, Q. LXVI.

SVMMARIVM.

1 *Cambium cum agio quid sit, declaratur.*
2 *Cambium cum agio est iniustum.*
3 *Venditor non potest rei venditæ pretium alterare vltra rigorosum ex eo tantùm, quòd res vendita sit emptori valdè commoda.*
4 *Cambio dare si quis cogatur, potest ratione interesse, quod pateretur supra iustum pretium cambij aliquid amplius percipere.*
5 *Cambium cum agio licèt sit iniustum; non tamen est siccum.*

AD tituli explicationem est adnotand.
1 quòd huiusmodi cambium apud Ia-
nuenses aliquando fuit in vsu; & in hoc ab
alijs cambijs differre testatur audiuisse
Scac. de commerc. & camb. §. 1. q. 7. par. 3.
limitat. 2. quòd alia cambia fiunt vtilitate
vtriusque tàm campsoris scilicet, quàm cam-
psuarij; istud verò & si fiat vtriusque vtilita-
te; fit tamen gratia, & commoditate vnius
tantùm, nempe campsuarij: & propterea al-
teratur commune pretium cambij, vt cam-
psor pro illa campsuarij commoditate ali-
quid amplius accipiat.

Ad quæstionem breuiter respondemus
2 ex Scac. loco citato, huiusmodi cambium
esse iniustum: siquidem rei venditor non
potest ex eo tantùm rei venditæ iustum
pretium alterare, & accipere aliquid aliud
3 supra rigorosum, quòd res illa sit emptori
multum commoda, seù necessaria; sed quòd
venditori plus valeat, vt habetur ex Moli-
na de contract. disp. 351. num. 2. Vndè si
quis vẽdat alicui carius, & supra rigorosum
pretiũ ex eo, quod re vẽdita valdè indiget,
peccat, & ad restitutionem tenetur, vt post
alios probat Scac. loco citato, limitat. 6.
num. 3. Est tamen verum, quòd si cam-
4 psor importunè rogatus cogatur dare cam-
bio, & inde maius interesse lucri cessantis,
seù damni emergentis pateretur, quàm esset
lucrum cambij, tunc incrementum illud iu-
stè recipere posset, ratione lucri cessantis, si
de eo cum campsore conuenerit: quia pos-
set eo casu non cambire, sed mutuare, & for-
midatum interesse mutuatario notificare, &
de eo pacisci, vt per eundem Scac. loco ci-
tato: Hac ratione iustificatur cambium ini-
tum cum eo, cui campsor non vult dare suas
pecunias, nisi accipiat pro Hispania, vel
alio loco distanti soluẽdas, pro quibus erat
campsurus, vel soluat pretium currens pro
dictis locis, ratione lucri cessantis. Dixi,
Pro quibus erat campsurus, quia aliàs dice-
retur siccum; cùm lucrum sibi non cessa-
ret.

Non tamen puto cambium cum agio es-
5 se siccum, quamuis sit iniustum, quia dum
illud incrementum percipitur, ratione su-
pradictæ commoditatis, non dicitur perci-
pi ex mutuo, atque ideò non potest dici
vsurarium; nisi velimus dicere, quòd omne
1 cambium iniustum sit siccum, cùm sit inuti-
le ad fructum producendum pro ea parte,
qua iniustum est.

An cambium celebratum cum persona inhabili ad contrahendum sit siccum. Q. LXVII.

SVMMARIVM.

1 *Cambium celebratum cum inhabili ad contrahendum, siccum esse, qui doceant, referuntur.*
2 *Cambium celebratum cum persona inhabili*

ex

ex defectu consensus, est siccum.

3 *Cambium celebratum cum persona inhabili an valeat quoad vtilitatem talis personæ.*

4 *Religiosi an cambia validè contrahant, declaratur.*

5 *Religiosi per professionem priuantur velle, ac nolle.*

6 *Cambium celebratum cum persona inhabili ex defectu consensus adeo est siccum, vt cãpsor ex eo lucrum consequi nequeat, nec quidem ratione interesse.*

7 *Cambium initum cum persona inhabili ex defectu consensus, est siccum, siue ipsa sit quæ det cambio: siue, quæ accipiat.*

8 *Cambium celebratum à persona inhabili ex defectu consensus, Genuæ est validum respectu fideiussorum in cambio adhibitorum: & idem dicendum videtur de iure communi.*

9 *Cambium celebratum cum habentibus dilucida interualla, tempore quo erant sanæ mẽtis est validum.*

10 *Dilucida habentes interualla tempore; quo sunt sanæ mentis, possunt testamenta condere, & quoscunque contractus celebrare.*

11 *Cambium initum cum prodigo, cui per iudicis sententiam non est adhuc interdicta bonorum administratio, est validum.*

12 *Cambium celebratum cum persona inhabili ex defectu ætatis, est validum ad vtilitatem illius: siccum verò in damnum alterius contrahentis.*

13 *Pupillus licèt obligari non possit citra tutoris auctoritatem; alium verò sibi obligare potest citra vllam tutoris auctoritatem: & idem dicendum est de Minore adolescente curatorem habente.*

14 *Statutum præcipiens suam dispositionem seruari ad litteram, quomodo intelligendum sit, declaratur.*

15 *Cambium celebratum cum mulieribus citra sollemnitates statutarias, licet sit inualidum in damnum contrahentium cum ipsis; est tamen in vtilitatem earundem mulierum.*

16 *Mulieres de iure non prohibentur contrahere, nec earum contractus exigunt sollemnitatem aliquam.*

17 *Minores adolescentes, & qui curatores habent, si citra eorum authoritatem cambia celebrent, & contractus mediante iuramento confirment, cambia sunt valida, sicut & alij contractus eodem modo celebrati; etiam in eorum damnum.*

18 *Minores si læsi appareant, restituuntur in integrum, non obstante iuramento, ab eis præstito; etiam aduersus alios minores: sicut & mulieres læsæ aduersus alias mulieres.*

19 *Cambium celebratum cum persona inhabili ratione conditionis, nempe cum seruis, &c. est siccum.*

20 *Cambium cum seruo, Præposito, aut institore, aut quocunque modo iussu Domini, est validum.*

21 *Cambium celebratum cum persona inhabili ratione officij, ac dignitatis, an & quando sit validum.*

22 *Tutores, & Curatores prohibentur cambia celebrare cum pupillis, & minoribus.*

23 *Contractus Minorum, & mulierum citra debitas sollemnitates licèt sint inualidi; datur tamen hinc inde repetitio eorum, quæ data sunt, & accepta.*

EXemplum poni potest in eo, qui suas pecunias dedit cambio furioso, mentecapto, prodigo, cui interdicta est administratio, pupillo, Minori curatorem habenti, vel non habenti, & obliganti bona stabilia; iuxta ea, quæ habentur ex Scac. de commerc. & camb. §. 1. q. 7. p. 3. lim. 17. in prin. & alijs huiusmodi, qui inhabiles sunt ad cõtrahendum sine certa sollemnitate.

In hac re quidam volunt, cambium cum
1 persona inhabili celebratum esse omninò siccum. Etenim cùm huiusmodi personæ inhabiles sint ad contrahendum, contractus cambij ab ipsis celebratus est nullius momenti; atque adeo cambium est siccum, & aridum ad producendum lucrum aliquod iuxta ea, quæ supra adnotauimus in explic. proœm. q. 12. versic. Siccum. Vndè si incrementum aliquod campsor ex tali cambio percipiat, cùm iustus percipiendi titulus desit, tenetur ad illius restitutionem, vt habetur ex Fabian. Genuen. de camb. in prin. sub num. 49. vers. Hoc idem: & Scac. d. limit. 17.

Hæc opinio non est simpliciter vera, & ideò pro eius determinatione est distinguẽdum de personis inhabilibus. Nam quædam personæ Inhabiles sunt ad contrahendum ex defectu liberæ voluntatis, vt sunt

furiosi, frenetici, mentecapti, &c. quædam verò personæ sunt inhabiles ad contrahendum ex defectu imbecillitatis intellectus, seù prudentiæ, ac ratione ætatis, vt sunt Impuberes, & Minores; vel ratione sexus, vt sunt Mulieres. Quędam denique sunt inhabiles ratione decentiæ status, conditionis, ac dignitatis, & munerum; siquidem Officialibus, ratione decentiæ status, Religiosis, & alijs eiusmodi prohibita est negotiatio, sicut ratione munerum tutoribus cum pupillis, vt ostendimus in nostro tract. de societ. lib. 1. cap. 3. q. 12. & idem diximus ibidem q. 9. de Clericis, & omnibus alijs Ecclesiasticis: & q. 7. de seruis ratione conditionis. His breuiter sic adnotatis, sit

Prima Conclusio.

CAmbium celebratum cum persona in-
2 habili ex defectu voluntatis, seù consensus, est siccum. Etenim cùm huiusmodi cambium sit nullum, per consequens est siccum, cum sit aridum, & insufficiens ad fructificandum, seù ad ferendum lucrum aliquod, iuxta ea, quæ supra adnotauimus in procem. q. 13. vers. Siccum. Hinc sequitur, quod furiosi, frenetici, ebrij, lunatici tempore actualis infirmitatis, mentecapti, & alij eiusmodi cùm nulliter contrahant, vt latè nos ostendimus in tract. de societ. lib. 1. c. 3. q. 3. si cambia celebrent, talia cambia sicca erunt, cum nullam vim habeant. Idem dicendum est de infantibus, & proximis pubertati, & infantiæ; nam saltem quoad eorum damni si cambia ab ipsis celebrata sicca
3 sunt: secus autem quoad ipsorum vtilitatem, iuxta tex. in §. sed quod diximus. & ibi Glos. in Instit. de inut. stipul. illis verbis. *Sed in proximis infantiæ propter vtilitatem eorum benignior iuris interpretatio facta est, vt idem iuris habeant, quod pubertati proximi.* Et nos latè declarauimus in d. nostro tract. de societ. lib. 1. cap. 3. quæst. 1. concl. 1. per totam: quibus etiam adde, quæ per nos tradita fuerunt in nostris Comment. in Extrauag. Pij V. de censib. §. 1. q. 19. sub num. 5. Eadem ratione Religiosorum cam-
4 bia citra Superiorum consensum sicca sunt: siquidem Religiosi per emissam professionem velle, ac nolle priuantur, vt in cap. non dicatis, 12. q. 1. & c. Religiosus, de Cler. & in 6. & in specie habetur ex Fabian. Genuen. de camb. in initio, num. 45. vers. Nono, & ex alijs, quos refert Scac. de commer. & camb. §. 1. q. 7. p. 3. lim. 17. num. 23. quod verum puto, quando Religiosi accipiunt cābio citra Superiorum licentiam: aliàs secus: nam mediante Superiorum auctoritate, sicut possunt accipere mutuo, & alios similes contractus celebrare, ita etiam accipere cambio. Imò si citra Superiorum licentiam cambia celebrent, si cambia sint Monasterio vtilia, valida sunt, atque ideò non erunt sicca: siquidem alij contractus per Religiosos initi validi sunt in vtilitatem Monasterij, etiam si nulla intercesserit Superiorum licētia, vt habetur ex Innoc. in c. cùm olim, il 2. de priuil. quem sequitur Panor. in cap. quanto, num. 2. de offic. ordin. & nos latè in d. tract. de societ. lib. 1. cap. 3. q. 8. conclus. vnic. limit. 2. Religiosi enim per professio-
5 nem priuantur velle, & nolle ciuiliter tantùm, non autem naturaliter: atque ideò in hoc differunt à furiosis, mentecaptis, & alijs eiusmodi, qui cum rationis vsu careant, non habent liberum consensum.

Ampliatur hæc conclusio, vt cambium
6 celebratum cum persona inhabili ex defectu consensus, adeo sit inualidum, & siccū, vt ex tali cambio campsor nō possit lucrum retinere, nec ratione quidem lucri cessantis, vel damni emergentis; quia si ratione interesse posset sibi lucrum illud retinere saltem pro illa quātitate interesse, quod fuerit passus; id esset ratione alicuius legitimi contractus implicitè contenti sub dicto cambio nullo, vel ratione moræ, iuxta ea, quæ supra adnotauimus, q. 46. sed consequens est falsum ergo, & antecedens. Minor patet, quoniam huiusmodi personę sicut sunt inhabiles ad celebrandum contractum cambii, ita inhabiles sunt ad celebrandos quoscunque alios contractus, & ad cōtrahendam quamcunque moram: siquidem is, qui suarum rerum administrationem non habet, aut animi iudicio caret, contrahere nullo modo potest, nec aliquo modo in mora constitui, vt rectè inquit Scac. loco supracitato, num. 2.

Secundò ampliatur, vt cambium cele-
7 bratum cum persona inhabili ex defectu consensus adeo sit siccum, & inualidum, vt

ex

ex eo non possit lucrum consequi siue persona inhabilis sit, quæ dat cambio, siue quæ recipit. Siquidem cambium cum sit nullum, deficit iustus titulus percipiendi lucrũ, vt per Scac. loco supra relato, limitat. 17. num. 16. cum plur. seq.

Sic ampliata limitatur eadem conclusio
8 in Repub. Genuen. in qua hæc personæ inhabilitas, quæ inficit contractum cambij initi cum persona inhabili non se extendit ad fideiussorem, seù mãdatorem habilem; quoniam is intelligitur obligatus vt principalis, & insolidum, vt constat ex lib. 4. statut. Genuen. cap. 12. §. vlt. Imò idem puto dicendum esse de iure communi, vbi fideiussor insolidum se obligaret cum persona inhabili: nam tunc licet persona inhabilis non teneatur stare contractui; tenetur tamen fideiussor, qui se obligauit insolidum, & est persona ad contrahẽdum habilis: siquidem eo casu fideiussor esset Correus, & vtile per inutile non vitiatur, quando vtile separabile est ab inutili, vt in c. vtile, & ibi latè Dyn. & alij, de regul. iur. in 6.

Secundò limitatur conclusio, vt cãbium
9 celebratum cum furiosis, & mentecaptis ita demum sit siccum, si celebretur cum furiosis, & mentecaptis, qui actu sint tales tẽpore celebrationis contractus: secus si dilucida habeant interualla, & cambium contraxerunt tempore quo erant sanæ mentis; quoniam tunc cambium esset validum, & reale: siquidem tales furiosi dilucida habẽtes interualla eo tempore, quo sunt sanæ mentis, possunt non solùm testamentum condere, verum etiam quoscunque
10 contractus celebrare, vt in l. furiosum, & ibi Doctor. C. qui testam. facer. poss. Menoch. cons. 82. num. 220. lib. 1. & alij quos retulimus in tract. de societ. lib. 1. cap. 3. quæst. 3. concl. 1. limit. 1. vbi etiam ostendimus, an & quando dispositio facta ab habente dilucida interualla, intelligatur in dubio facta furiosis, vel sanæ mentis tempore.

Tertiò limitatur ipsa conclusio, vt quam-
11 uis cambium celebratum cum persona inhabili, vt supra ex defectu consensus sit nullum, ac siccum; nihilominus si fuerit contractũ à prodigo, cui per iudicis sententiam non est adhuc interdicta bonorum administratio, nec datus est ei tutor, erit validum, ac firmum, nec dicitur siccum: quoniam prodigus quamuis in elargiendo nõ habeat perfectum rationis vsum; nihilominus antequam per iudicis sententiam sit ei interdicta bonorum administratio, & datus curator, habet liberam bonorum suorum administrationem, ita vt ad sui libitum possit ea distrahere, & contractus celebrare, vt in l. is cui bonis, & ibi Rip. & alij, ff. de verb. oblig. Erit igitur cambium celebratum à prodigo siccum, quando ab illo prodigo fuit celebratum, cui per iudicis sententiam est interdicta bonorum administratio, & datus curator: quoniam eùm sit ei interdicta bonorum administratio, nulliter contrahit, vt in d. l. is, cui bonis, & ibi Doctor. communiter, & nos latè de hac re egimus in d. tract. de societ. lib. 1. q. 3. concl. 2. & 3. & in nostris Commentar. ad Extrauag. Pij V. de censib. §. 1. q. 18. num. 17.

Secunda Conclusio.

12 Cambium celebratum cum persona inhabili ex defectu ætatis licèt sit siccum quoad vtilitatem eius, qui cum tali persona cõtrahit: est tamen validum in vtilitatem ipsius personæ inhabilis. Hæc conclusio patet ex §. pupillus in Inst. de inutil. stipul. vbi habetur, quod pupillus licèt citra tutoris auctoritatem obligari non possit;
13 alium tamen sibi obligare etiam, sine tutoris auctoritate potest. Idem dicendum est de Minore adolescente, curatore habente, & de aliis personis prohibitis contrahere citra sollemnitates aliquas: nam licèt cambium huiusmodi personis damnosum sit siccum; erit tamen validum, quoad earum vtilitatem, vt in specie Scac. post alios de commerc. & camb. §. 1. q. 7. p. 3. limit. 17. num. 9. 10. & 11. vbi id extendit locum sibi vendicate, etiam si statuta prohibentia cõtrahi cum his, & similibus personis, præciperent esse intelligenda ad litteram, reiecta omni, & quacũque interpretatione namstatutum annullans ipso facto contractum factum à Minore, & ab aliis similibus sine sollemnitatibus statutariis, intelligendum esset de contractu damnoso, non autem vtili; siquidem statutum licèt mandando ser-
14 uari suam dispositionem ad litteram, excludat

cludat omnem,& quamcunque interpreta-
tionem;nõ tamen excludit interpretationẽ;
sine qua statutum induceret absurdum , vt
habetur ex Alber.Brun.tract.de statut.ar.5.
q.29.sub num.108.& seq. & num.115. His
adde,quæ diximus in tract. de societ. lib.1.
c.3.q.1.& 2. Quæ diximus de cambio inito
cum persona inhabili ratione, ætatis, & sic
imbecillitatis intellectus extendimus etiam
ad cambium celebratum cũ persona inha-
bili ratione sexus . Vndè si mulieres ex for-
15 ma statuti non possunt cõtrahere citra sol-
lemnitates aliquas per statutum ipsum præ-
scriptas, si cãbium celebrent,id erit siccum
si tendat in earum damnum; secus autem si
sit illis vtile, vt habetur ex Scac. loco cita-
to. Dixi, *Ex forma statuti* : quia de iure mu-
lieres non prohibentur contrahere , nec ad
16 contrahendum exigitur aliqua sollemnitas,
vt latè ostendimus in d.tract.de societ. c.3.
q.5.concl.1.& 2. Vndè mulier si citra sol-
lemnitates statutarias contrahat, licèt con-
tractus sit inualidus in eius damnum; est ta-
men validus quoad eiusdem vtilitatem , vt
probauimus d.q.5.concl.2.vers. Est tamen
verum.

Imò Minores adolescentes curatorem
17 habentes , si citra eorum curatorum cam-
bia celebrent, & mediantè iuramento con-
tractum confirment , & iurent non contra-
uenire, contractus erit validus etiam in eo-
rum damnum. Siquidem quamuis contra-
ctus initus cum minore absque sui curatoris
auctoritate,& statutarijs,ac iuris sollemnita-
tibus sit inualidus;si tamen in contractu iu-
ramentum intercesserit,per iuramentum fir-
matur,vt in auth.sacramenta puberũ, & ibi
Doctor. C. si aduers. vendit. Ludouic. de
Auend.de censib.Hispan.cap.81.num.5.&
alij,quos retulimus d.tract. de societ. lib.1.
cap.3.q.2.concl.3. limit.1. vbi tamen dixi-
mus,quòd si minor læsus appareat,non ob-
stante iuramento, in integrum restituitur,
18 per tex.in l.in causæ,la 2. ff.de minor. & id
etiam si cum minore contraxerit : sicut &
mulier cum muliere:nam minor læsus resti-
tuitur aduersus minorem lædentem;sicut &
mulier læsa aduersus aliam mulierem,quam-
uis contractus fuerit iuramento firmatus :
siquidem inter duos priuilegiatos potior
est conditio eius,qui læsus apparet,arg.tex.
in cap. auditis , de restit. spoliat. l.fin. ff.ex
quib.caus.maior. cum alijs à nobis cumula-
tis d.q.2.concl.2.ampl.1.& q.5. in fin.

Tertia Conclusio.

CAmbium celebratum cum persona in-
19 habili ratione conditionis,& eo quòd
est sub aliena potestate posita,est siccum,ac
nullius momenti. Vndè serui nulliter con-
trahunt cambia : nam ex eorum contractu
non nascitur ciuilis actio, sed tantùm natu-
ralis,vt in l.si quod Dominus, ff. de condit.
indeb.& §.sunt inutiles,in Instit.de inutilib.
stipulat. latè Tusch. ver.seruus concl.233.
20 num. 2. Beneuerum est , quòd si seruus sit
Præpositus, aut institor , vel aliàs iussu Do-
mini cambium celebrauerit , aut peculium
habeat, & contrahat , vel cambium sit ver-
sum in Domini vtilitatem,cõtra ipsum Do-
minum dantur actiones de eo,quod iussu,&
de in rem verso,vt in l. 1.in fin. & seq. l. ha-
beat, §. fin. & l.seq.ff.de institut.l.1.& 2.ff.
quod iuss. l.si seruus , & ibi Glos. & l.fin. ff.
pro socier.& patet ex ijs,quæ diximus in d.
tract.de socier. lib.1, cap.3. q.7. Idem di-
cendum est de cambio celebrato cum Re-
ligiosis , etiam militaris ordinis , nisi cam-
bium fuerit Monasterio vtile , vt supra ad-
notauimus concl. 1. quibus adde , quæ cu-
mulauimus in d.tract.de societ.lib. 1.cap.3.
q.8. per totam, & præsertim, limit.2. Non
tamen eodem modo dicendum est de filijs
familias, quamuis sint sub potestate Patris,
maximè si sint maiores,& peculiũ habeant,
quod quomodo procedat, latè tractauimus
d.c.3.q.6.

Quarta Conclusio.

CAmbium celebratum cum persona
21 inhabili ratione officij , ac dignitatis
est omninò siccum,& inualidum, siue dam-
nosum sit,siue vtile. Hæc cõclusio est Scac.
de commerc.& camb.§.1.q.7.par.3. limit.
17.num.15.in fin. Probat istam sententiam
ex eo,quòd personæ inhabiles ratione offi-
cij, ac dignitatis prohibentur omninò con-
trahere. Huiusmodi sunt Officiales tempo-
rales,quibus est interdicta negotiatio in lo-
co

co, vbi ius dicunt, vt in l. principalibus, iuncta l. Præsidis, ff. si cert. petat. latè Strach. de mercat. p. 3. num. 17. Molina de contr. disp. 343. in prin. & Scac. loco citato, sub num. 16. vbi tamen hanc conclusionem limitat, quando Officiales nō sunt perpetui, & cambia celebrant per modum negotiationis: aliàs secus. Idem dicendum est de tutori-
22 bus, ac curatoribus cambia celebrantibus cum minoribus, seù pupillis: quoniam curatores, & tutores prohibentur cum Minoribus, & pupillis contrahere; vt in l. si in emptione, §. fin. ff. de cōtrah. empt. l. Titium, & Meuium, §. altero, ff. de admin. tut. ergo prohibentur quoque cambia celebrare, cùm cambij contractus sit contractus verè, & propriè, vt supra ostendimus in proœm. q. 9. Est tamen verum, quòd si pupillus, aut Minor plures tutores, seù curatores habeat, quorum quilibet insolidum administrandi potestatem potiatur, tunc puto, pupillum, seù minorem posse cambium celebrare cum curatore, seù tutore, altero curatore, seù tutore auctoritatem præstante, vt patet ex iis, quæ nos adnotauimus in supra relato tract. de societ. lib. 1. cap. 3. q. 1. cōcl. 3. limit. 3. Illud autem nolui silentio hoc lo-
23 co esse prætereundum, quod habetur ex Scac. d. limit. 17. num. 26. docente, quòd quāuis ex cōtractu celebrato cum muliere, minore, & alijs eiusmodi, denegetur hinc inde actio; conceditur tamen hinc inde potestas dicēdi, & excipiendi de nullitate cōtractus, atq; adeò repetēdi hinc inde datū, & acceptum: quoniam hæc veniunt in necessariam consequentiam nullitatis contractus, ne quis videatur locupletari cum alterius iactura, iuxta ea, quæ habentur ex Rot. Diuers. decis. 88. num. 4. p. 2.

An cambium celebratum in Ecclesia sit siccum. Q. LXVIII.

SVMMARIVM.

1 *Cambia in Ecclesijs iure Diuino sunt prohibita, sicut etiam iurē Canonico damnantur in Ecclesijs omnes aliæ negotiationes.*

2 *Ludi publici in Ecclesijs fieri omninò prohibentur; sicut, & causa criminales, & ciuiles ibi exerceri, nisi sint Ecclesiasticæ.*

3 *Cambia, quamuis exerceri in Ecclesijs prohibeantur, non tamen in eis facta sunt irrita, sicut irriti nō sunt alij cōtractus in eis initi.*

1 QVòd cambia in Ecclesijs celebrari prohibeantur tùm de iure Diuino, tùm etiam de iure Canonico, patet ex illo Matt. cap. 21. & Luc. cap. 9. & est tex. in c. 2. de immun. Eccles. in 6. Etenim in illis Sācti Euangelij locis legitur, quod Christus Dominus Templū ingrediens mensas Nūmulariorum euertit, dicens, *Scriptum est, Domus mea domus orationis est; vos autem fecistis eam speluncam latronum.* Et id non alia ratione, nisi, quia Ecclesia non est locus ad exercendam artem Nummulariorum, vt rectè docet Medin. tom. 2. de restit. q. 5. & 30. vers. Per hæc, col. 1. in fin. Sot. lib. 6. de iustit. & iur. q. 2. ar. 2. coroll. 5. col. 4. Idem dicendum est de cœmeterio, & de omnibus alijs locis sacris, vt per eundem Medin. d. q. 5. & alios apud Scac. de commerc. & camb. §. 1. q. 7. p. 1. num. 60. vbi id ampliat, vt non solùm in huiusmodi locis cambia exerceri non possint; sed nec quidem alia negotia; iuxta illud Domini Matt. cap. 13. de quo, d. 88. in fin. *Nolite facere domum Patris mei, domum negotiationis.* Et d. cap. 2. de immunit. Eccles. in 6. *Cessent in Ecclesijs eorumque cœmeterijs negotiationes, & præcipuè nundinarum.*

Et tantò minus in Ecclesia ludi publici
2 haberi possunt, vt latè probat Azor. par. 2. Inst. moral. lib. 9. cap. 9. à q. 1. vsque ad q. 9. Imò ad Ecclesiæ immunitatem, ac decentiam quoque pertinet, ne causæ criminales, vel ciuiles in ea tractentur, cap. 1. & c. cum Ecclesia, de immun. Eccles. iuncto c. licet, eo tit. in 6. Quod verū est, nisi causæ sint Ecclesiasticę vt nos adnotauimus in nostris Commentar. ad Bull. cœnæ Domini, lib. 2. can. 15. q. 16. num. 35. vbi num. 36. probauimus quoque, non esse contra libertatem Ecclesiasticam datio tutoris, & curatoris, & Scholares ad gradum Doctoratus in Ecclesia promoueri.

Non tamen arbitror, cambia, & alios cō-
3 tractus, & reliquos actus in Ecclesia initos esse irritos, ac nullos; atque ideò cābia esse sicca, ac insufficientia ad producendum lucrum,

crum, seù incrementum aliquod: quoniam licèt ea, quæ fiunt, contra legem prohibentem de iure sint irrita; etiam si lex non procedat vltra irritando actum, vt in l. non dubiũ, C. de legib. nihilominus, id est verum, quando ex alia lege, iure, ac ratione certa non constat, gesta rata esse, ac firma: Modo in casu nostro quamuis non adsit lex, quæ cambia in Ecclesia facta contra Canonum, & legis Diuinæ prohibitionem rata habeat, si tamen cambia realia sint, & iusta recta ratio suadet, vt firma remaneant ad tollendas lites, & dispendia, ac ad obuiandum fraudibus, quæ in hac re fieri possent, iuxta ea, quæ supra adnotauimus in procem. q. 15. in resp. ad vlt. arg. vbi ad d. l. non dubium multipliciter fuit responsum.

De cambio vendito infra terminum solutionis faciendæ, an sit siccum. Q. LXIX.

SVMMARIVM.

1 *Cambium celebratum, non missis litteris, vi nostræ Extrauag. siccum declaratur.*
2 *Cambium venditum infra terminum solutionis faciendæ, non est siccum.*
3 *Cambium, non missis litteris, qualiter subsistere possit, declaratur.*

1 VIdetur prima facie affirmatiuè respõdendum esse. Etenim cãpsor lucraretur in cambio, nõ missis litteris; nam emit v.g. Genuæ scutũ March. in principio nundinarum soluendum Placentiæ solid. 66. & deinde idem scutum in medio nundinarum vendit solid. 66. & den. 5. vel 6. atque ideò lucrum consequitur ex cambio non missis litteris. At cambium, ex quo lucrum percipitur, non missis litteris, per nostram Extrauag. in nostro §. declaratur siccum, vt patet in illis verbis, *Ii, qui pecuniam recipiunt, litteras quidem suas cambij tradunt, sed non mittuntur.* Ergò cambium venditum infra terminũ solutionis faciendæ redditur siccum, & vsurarium.

2 Oppositis tamen nõ obstantibus, in contrariũ est veritas. Nam si huiusmodi lucrum esset illicitum, ac vsurariũ, id esset; quia procederet ex contractu ex sui natura illicito; sed hoc est falsum; ergo, &c. Minor patet; quoniam tàm primus, quàm secundus habent omnia essentialia: siquidem in primo campsor dedit pecuniam præsentem suo campsuario, vt reciperet absentem, consignandam tempore nundinarum in nundinis, facta conuentione, contractus permutationis fuit completus, cũ mutuo consensu perficiatur, vt patet in cõtractu emptionis, & venditionis, ad quem saltem cambij contractus reducitur. In contractu enim emptionis, ac vẽditionis, facta de pretio cõuentione, dicitur perfecta venditio etiam ante rei traditionem, ita vt venditor cogi possit ad rei venditę traditionem, l. 1. ff de action. empt. & l. vilarius, §. offerri, ff. eod. & §. 1. in Instit. de empt. & vendit. Vndè per supradictum primum cambium campsor acquirit dominiũ pecuniæ absentis, & sic scuti marchar. Placentiæ soluendi, cùm iam dederit pecuniam præsentem Genuæ, vt rectè docet Astens. lib. 3. cap. 8. ar. 5. Syl. in sũm. ver. Emptio. num. 3. & est tex. in l. quæ vendidi, ff. de contrah. empt. Secundus contractus habet etiam sua essentialia; quia supponimus campsorem alienasse rem suam pretio iusto illi, qui nõ prohibetur emere, & accepit pecuniam præsentem Genuæ, vt daret pecuniam absentẽ Placentiæ: & sic scutum march. quod Placentię cõsideratur vt merx quædam, vt sæpe diximus.

3 Ad contrarium ex nostra Extrauag. patet responsio: siquidem vi nostræ Extrauag. licèt prohibeatur cambium sine missione litterarum; id tamen intelligi debet de cãbio perfecto non modo quoad contractum; sed etiam quoad executionem contractus. Satis enim fuit, quòd tempore contractus intentio contrahentium esset iusta, & litteræ suo tempore debuissent destinari. Quòd si ab initio campsor intentionem habuerit recedendi à primo contractu per venditionem, de qua agitur, tunc quidam volunt, cãbium dici palliatum, & lucrum vsurarium: quod mihi videtur valdè dubium.



An

An facta venditione cambij per campsorem infra solutionis terminum, campsuarius possit se redimere. Q. LXX.

SVMMARIVM.

1 *Cambij venditione facta infra solutionis facienda terminum, campsuarius non potest se redimere.*

AD tituli explicationem supponamus, quòd Titius dedit cambio Sempronio mille aureos Genuæ, soluendos Placētiæ ad primas nundinas vna cū lucro cambij. Accidit, quòd ante tempus nundinatū ipse Titius pecunia indigens cambium illud vna cum lucro, & sic scutum marchar. quod erat recepturus Placentiæ vendidit Meuio minoris, quàm emit, vt statim pecuniam recipiat ad consulendum proprijs necessitatibus. Quæritur, an Sempronius possit statim pretium offerre, quod est minus, quia anticipatò soluitur, & ita se redimere?

Prima facie videtur affirmatiuè respondendum esse. Nam potest Meuius ius, quod Titius in Sempronium habet minoris emere: ergò, & ipse Sempronius; cùm non possit assignari diuersitatis ratio, cur potius Meuius possit dictum cambium minoris emere, & non Sempronius.

Contrariā tamen sententiam tenet Azor.
1 p.3. Instit. moral. lib. 10. cap. 11. q. 3. Nam Sempronius ex cambio verò antea facto debet mille aureos, & certum etiam lucrum in proximis nundinis soluere: & propterea non potest hoc debitum minoris redimere, & extinguere; quia in omnem euentum debet soluere mille aureos vna cum lucro, & hæc sententia nobis videtur vera.

Ad contrarium patet responsio. Est enim dispar ratio: siquidē Meuius ex nullo priori contractu debebat Titio mille aureos cum lucro. At Sempronius ex priori cambio licito cogebatur Titio soluere mille vna cum lucro.

An campsor, qui dat cambio pecunias Principi, quem certò nouit, vel saltem probabiliter credit, se ijs vsurum in bello iniusto, peccet? Q. LXXI.

SVMMARIVM.

1 *Principi dans cambio suas pecunias, quem certò nouit, vel saltem probabiliter credit se illis vsurum in bello iniusto, mortaliter peccat, & ad restitutionem tenetur damnorum illatorum.*

2 *Cambio dans ei, quem probabiliter nouit, se pecunia ad cambium accepta vsurum ad celebranda cambia sicca, peccat mortaliter, & tenetur ad damni illati restitutionem.*

QVòd talis campsor eo casu peccat,
1 tenet Fabian. Genuen. de camb. num. 50. vers. Duodecima: quem refert, & sequitur Scac. de commerc. & camb. §. 1. q. 7. p. 3. limit. 18. Etenim huiusmodi cambium est illicitum, & inhonestum. Vndè sicut mortaliter peccat, qui vendit arma illi, quem scit ea emere ad nocendum iniustè, aut ad bellum, quod nouit esse iniustum, vt habetur ex Nauar. in Man. c. 23. num. 90. vers. Peccat: ita etiam lætalem culpam contrahit, qui dat pecunias cambio Principi, quem scit, se illis vsurum in bello iniusto, cùm militet eadem ratio, arg. tex. in l. illud, ff. ad leg. Aquil. Alia quamplurima cumulat Scac. loco citato, pro corroboratione dictæ conclusionis, quę videri possunt apud ipsum.

Hæc sententia re vera est citra difficulta-
2 tem: imò campsor hoc casu non solùm peccat, sed etiā efficitur restitutioni obnoxius, & damna tenetur reficere, si dando pecunias cambio Principi fuit damnorum illatorum effectiua causa: siquidem omnis restitutionis obligatio prouenit, vel ratione rei iniustè acceptæ, vel ratione iniustæ acceptionis, vt habetur ex Caiet. in sum. vers. Restitutio, & ex alijs Doctor. communiter. At campsorem certum est concurrere ad iniustam acceptionem dum concurrit ad iniustam damni illationem. Idem dicendum est de eo, qui dat cambio pecuniā ei, quem scit, se ea vsurum ad celebrandum cambium siccum, & cum effectu celebrauit; quoniam peccat mortaliter, & tenetur ad damni illa-

ti

ti restitutionem, vt rectè post alios probat Ioan. de Salas tract. de vsur. dub. 44. sub num. 5. & de camb. dub. vlt. in fin. vbi etiam tractat de campsoribus dantibus ad cābium ijs, quos sciūt ad ludos, & luxus, aliaque delicta committenda pecunias postulare: & concludit cum Salon. de camb. q. 4. art. 2. contr. 14. ad fin. cum Fabian. Genuen. eod. tract. num. 49. & 56. illos non esse citra culpam, tum quia tales cābio accipientes cùm vt plurimum nullam habeant pecuniam, vel creditum in locis destinatæ solutionis, cambia, quæ cum eis exercentur sicca sunt; tum etiam quòd estò quòd in locis designatis solutioni, pecuniam & creditum haberent; nihilominus, qui norunt pecunias acceptas cambio in prædictos vsus esse conuertēdas, consentiunt, & cooperātur peccatis, & prodigalitati illorum.

De petentibus, & accipientibus pecunias ad cambium siccum, an peccent Q. LXXII.

SVMMARIVM.

1 *Non licet ab aliquo petere, vel accipere quod est intrinsecè, & ex obiecto malum.*

2 *Petere, vel accipere non licèt, quod non licet appetere.*

3 *Petere, vel accipere ab aliquo non licet, quod ille licitè præstare non potest.*

4 *Maleficium solui alio maleficio, non licèt petere.*

5 *Inducere aliquem ad peccandum est scandalum actiuum.*

6 *Cambio sicco pecuniam petere, licitum est, aliqua existente necessitate.*

7 *Petens pecuniam ad cambium siccum dupliciter potest se habere.*

8 *Accipientes pecunias ad cambium siccum, licèt nullam iniustitiam committant contra campsores ita dantes; possunt tamen iniustitiam committere aduersus eorum creditores, vxorem, & filios.*

9 *Lucrum ex mutuo in tantum est vsura, in quantum est inuoluntarium ex parte dantis.*

10 *Iniuria non infertur, vbi iniustitia non committitur.*

11 *Accipere, ac petere pecunias ad cambium siccum ab eo, qui non est paratus dare cambio sicco, non licet.*

12 *Petere, seù accipere sub vsuris non licet à non parato ad fœnerandum.*

13 *Vsura ex suo genere est lętalis culpa, intrinsecè, & ex obiecto mala.*

14 *Petere, seù accipere sub vsuris, & ad cābium licitum est extremè indigenti, etiam à non parato, si ille recuset mutuare gratis, aut dare cambio reali.*

15 *Extremè indigenti nō succurrens cùm possit, perindè est, ac si eum occidat.*

16 *Licitum est suadere minus malum ad euitandum maius.*

17 *Minus malum consulens ad euitandum maius, non dicitur consulere malum; sed bonum.*

18 *Ex duobus malis minus est eligendum.*

19 *Electio minoris mali, non est mala, sed bona.*

20 *Minus malum inferēdum vni consulere, non est licitum ad euitandum maius malum præparatum alteri.*

21 *Licitum est consulere minus malum inferendum vni ad euitandum maius malum præparatum alteri, quando is, cui illud minus malum consulitur inferri, tenebatur aliàs pati ex debito iustitiæ.*

22 *Extremè indigenti licitum est consulere, vt necessaria sibi comparet de domo talis diuitis; & non de domo pauperis.*

23 *Eleemosyna est debitum iustitiæ.*

24 *Cambio sicco pecunias licitum est ab eo petere, vel accipere, qui paratus est ad dandum suas pecunias ad cambium siccum.*

25 *Licitū est vti peccato eius, qui ad peccandum paratus est, quando peccatum illud cedit in bonum aliquod.*

26 *Sicario parato ad rapiendum, vel ad occidendum, licitum est ostendere bona, quæ rapiat, ne occidat.*

27 *Cambio sicco tunc licitum est petere pecunias à parato ad fœnerādam, quando aliqua necessitas adest ex parte petentis.*

28 *Ex debito charitatis, & sub pœna lętalis culpæ tenemur vitare peccatum proximi.*

29 *Ad petēdum cambio sicco, & mutuo sub vsuris à parato ad fœnerandum non exigitur ex parte petentis extrema necessitas.*

30 *Accipiens mutuo sub vsuris, & ad cambium siccum a parato vt supra, ad mercandum pro*

pro alenda familia secundum decentiam status, vel ad emendas possessiones aliquas, &c. non peccat.

31 *Petere ab initio mutuo sub vsuris, seù cambio sicco à principio formaliter, & expresŝè non licet.*

32 *Consentire in peccatũ alterius nullo vnquam tempore licet.*

33 *In dãnis, & pœnis temporalibus incurrendis ad excusandam culpam sufficit metus maioris damni, vel pœnę.*

34 *Petens ab initio sub vsuris formaliter, & expreßè à parato ad fœnerandum, est illum ad peccandum inducere.*

35 *Petere ab initio formaliter, & expreßè mutuo sub vsuris, seù cambio sicco à parato ad fœnerandum, quando nouit petens cãpsorem non aliter mutuaturum quàm sub vsuris, & daturum suas pecunias, nisi ad cambium siccum.*

36 *Petens ab initio vt supra formaliter sub vsuris à parato ad fęnerandum, potest excusari à culpa ex probabili iuris ignorantia.*

37 *Ignorantia probabilis, etiam si iuris sit, excusat à culpa.*

38 *Inaduertentia naturalis excusat Doctos, quos non excusaret iuris ignorantia.*

39 *Intrinsecè malum duplex.*

40 *Intrinsecè malum omninò tàm secundum substantiam actus, quàm ex circumstãtia numquam licet petere citra culpam: secus autem in intrinsecè malum ex circumstantia tantùm.*

41 *Petere, & appetere, vt quis dat cãbio sicco, & mutuo sub vsuris, cur possit, ratio redditur.*

42 *Petens mutuo sub vsuris à parato ad fænerãdum, directè petit mutuum; ad solutionem autem vsurarum paßiuè tantùm se habet.*

43 *Maleficium opera Malefici dißolui posse, qui doceant, referuntur.*

44 *Maleficium opera malefici dissolui non posse, communis extat opinio.*

45 *Maleficium est malum intrinsecè omninò tã secundum substantiam actus, quàm secundum circumstantiam.*

46 *Vsura est intrinsecè mala secundum circumstantiam tantùm; non autem secundum substantiam actus.*

47 *Petens mutuo sub vsuris, seù cambio sicco à parato ad fenerandum, non est illum inducere ad peccatum.*

1 IN hac difficultate videtur prima facie dicendum, quòd petentes, & accipientes pecunias ad cambium siccum mortaliter omninò peccent. Probatur hæc sententia primò; quia non licet ab aliquo petere, aut accipere, quod est intrinsecè, & ex obiecto malum, quantumuis cognoscatur paratus ad illud præstandum: sed dare pecunias ad cambium siccũ, est intrinsecè, & ex obiecto malum; ergò non licet eas ad cambium siccum petere, vel accipere ab aliquo, & si cognoscatur paratus ad non aliter eas præstandas, quàm ad cambium siccum. Maior patet inductione in omnibus vitijs: ex quo enim fornicatio, homicidium, & alia eiusmodi sunt intrinsecè, & ex obiecto mala, eo quòd sunt contra ius naturale, & Diuinum, cùm prohibentur in Decalogo, non est licitum petere ab aliquo vt homicidium, aut fornicationem committat, quamuis paratus sit ad occidendum, vel fornicandum. Minor patet ex ijs, quæ supra adnotauimus in procem. q. 12. vers. Siccum verò cãbium: vbi onstendimus, quòd cambium siccum non est verè cãbium, sed apparens, ac æquiuocè tale: quoniam in re est mutuum vsurarium cambij pallio indutum: at mutuum vsurarium intrinsecè, & ex obiecto malum esse satis nos ostendimus in nostris Commentar. in Bull. cœnæ Domini, lib. 1. cap. 4. q. 7. num. 58. & latius in Commentar. ad Extrauag. Pij V. de censib. in proęm. q. 4. à num. 19. ad 32.

2 Secundò, quod non licet appetere, non licet petere, nec accipere: Sed sic est, quòd non est licitum appetere, vt quis pecunias det ad cambiũ siccum: ergò non est licitum ab eo petere, aut accipere pecunias ad cãbium siccum. Maior patet; nam ex quo non licet appetere rem alienam, aut alterius nuptam, iuxta illud Decalogi, *Non alterius nuptam, nec rem cupies alienam.* Idcircò, & eò minus fas est eas petere, vel accipere Minor probatur; quoniam aliàs citra culpam licita esset complacentia de alterius peccato: quod est omninò falsum, cùm id charitati repugnet, de qua Apostol. 1. Corinth. c. 11. inquit, non gaudet super iniquitate.

3 Tertiò, non est licitum petere, vel accipere ab aliquo, quod ille licitè pręstare non valet: Sed campsor nõ potest suas pecunias

licitè dare ad cambium ſiccum: ergo nec licitum eſt à campſore ad cambium ſiccum illas petere, aut accipere. Maior eſt maxima Theologica, quæ verificatur in omnibus vitijs: nam non poſſum ab aliquo iuſtè petere, vt homicidium cōmittat, furetur, mentiatur, &c. quoniam ille prædicta omnia licitè, & citra culpam pręſtare non poteſt. Minor eſt clara ex noſtra Extrauag. vbi damnantur cambia ſicca tanquam vſuraria, & ex ijs, quę ſupra adnotauimus, q. 12. in proœm.

4 Quartò non licet petere maleficium ſolui alio maleficio à malefico quantumuis ad id parato, & cognito: ergò non licet ab aliquo petere, vel accipere pecunias ad cābium ſiccum, quantumuis parato, & cognito. Antecedens patet ex D. Tho. in 4. sēt. d. 34. q. vnica, ar. 3. & eſt tex. in c. admoueant, 26. q. 7. conſequentia probatur, quoniam nō eſt maior ratio in vno caſu quàm in alio.

5 Denique petens ab aliquo pecunias ad cambium ſiccum, dicitur illum inducere ad peccandum: ergò citra culpam non poteſt quis petere ab aliquo pecunias ad cambium ſiccum. Antecedens patet, quia petens pecunias, illaſque accipiens à campſore ad cambium ſiccum, eſt cauſa effectiua illius peccati, eiuſdemque iniquitati verè dicitur cooperari. Conſequentia probatur; quia nemini licet inducere aliquem ad peccandum: eo quòd inducere aliquem ad peccandum eſt ſcādalum actiuum; quod in re graui eſt culpa lætalis.

6 His tamen non obſtantibus, in contrarium eſt communis ſententia; aliqua tamen concurrente neceſſitate, quam tenet Ioan. de Salas, & alij, quos allegat in ſuo tract. de camb. dub. 45. Pro hac eadem ſententia faciunt quæ habentur per Doctor. in cap. ſuper eo, de vſur. Caietan. in opuſc. 17. reſp. 14. quæſt. 3. Conrad. de contr. quæſt. 47. concl. 3. Nauar. in Man. cap. 17. num. 262. Molina de contr. diſp. 335. & idem Ioan. de Salas in ſuo tract. de vſur. dub. 48. vbi probant licitum eſſe petere mutuo ſub vſuris, quando aliqua ſubſit neceſſitas ex parte petentis. Sed quoniam horum opinio non eſt adeo indiſtinctè vera, vt declaratione aliqua non egeat, idcircò pro eiuſdem explicatione eſt adnot. quòd petens, ſeù acci-
7 piens ad cambium ſiccum, dupliciter ſe habere poteſt, primò, vt petens, ſeù accipiens pecunias ad cambium ſiccum ab eo, qui paratus non erat ad dandum ſuas pecunias cambio ſicco: ſecundò, vt patet ab eo, qui aliàs dare pecunias ad cambium erat expoſitus, ac paratus. Et vtroque caſu poteſt contingere, vt petat adhuc dupliciter: primò vt prius poſtulet pecunias mutuo gratis, vel ad cambium reale ſibi tribuendas; ſed cùm campſor gratis mutuo, aut ad reale cambium recuſauerit, aut aliquo euidenti ſigno indicauerit nolle aliter quàm ad cambium ſiccum ſuas pecunias dare, eas ad cambium ſiccum petat, & accipiat. Secundò, vt accipiens pecunias ad cambium ſiccum, ita ſe habeat, vt ab initio formaliter, & expreſsè petat eaſdem ad cambium ſiccum. Et denique in omnem euentum diſtinguendum eſt, an petens ad cambium ſiccum ſit neceſsitate, vel egeſtate aliqua preſſus: vel nulla inopia, neceſsitate, aut aliqua alia cauſa compulſus. His breuiter ſic adnotatis, ſit

Prima Concluſio.

8 Accipiētes pecunias ad cambium ſiccum, licèt nullam iniuſtitiam committant contra campſores ita dantes; poſſunt tamen iniuſtitiam committere aduerſus eorum creditores, vxorem, & filios. Hęc concluſio colligitur ex ijs, quæ habentur ex Sot. lib. 6. de iuſt. & iur. q. 1. art. 5. Nauar. in Man. cap. 17. num. 263. Molina de contract. diſp. 335. & ex alijs. Probatur cōcluſio quoad primam partem; quoniam vſurarij nulla afficiuntur iniuria ab accipientibus ſub vſuris: quia vſurarij voluntariè dant mutuo ſub vſuris, & vſuras exigunt: & volenti, ac patienti nulla fit iniuria, l. cùm donationis, C. de transact. l. venditor, C. de reſcind. vēdit. l. in diem, ff. de aqua plu. arc. & cap. ſcienti, vbi Dyn. & alij, de regul. iur. in 6. Imò ipſi accipientes ſub vſuris iniuria afficiuntur ab vſurarijs: quia ſupponimus mutuatarios non ſpontè, ſed inuitos vſuras ſoluere, preſſos iniquitate, ac impietate vſurariorum nolentiū gratis mutuare: ſiquidē lucrū ex mutuo in tantū eſt vſura, in quantum eſt inuoluntarium ex parte dantis: eo quòd ſi ſpontè detur ex mera liberalitate mutuatarij, vſura

ra non esset, sed officium naturæ mercede
remuneratum, vt habetur ex Molina de
contr. disp. 303. sub num. 5. Less. lib. 2. de
Iustit. & iur. cap. 20. dub 5. sub num. 37.
cum alijs, quos allegat. At campsores
dantes pecunias ad cambium siccum vsura-
rij sunt, eo quòd vsuram committunt, vt su-
pra ostendimus in proœm. quæst. 12. Pro-
10 batur modò consequentia: quia vbi non
infertur iniuria, ibi nulla committitur iniu-
stitia: dicitur enim iniuria eo quod non iure
fiat, atque adeo contra ius, & iustitiam. quæ
dicitur constans, & perpetua voluntas ius
suum vnicuique tribuens, leg. iustitia, ff. de
iustit. & iur. & §. 1. in Institut. eodem titul.
Quoad secundam partem patet conclusio:
quoniam ad cambium siccum accipientes
pecunias, possunt multum æs alienum irra-
tionabiliter contrahere ad ludos exercen-
dos, sollemniter epulandum, & ad alia eius-
modi: propter quod bona sua dissipantes
impotentes efficerentur ad soluenda debi-
ta, ad satisfaciendum creditoribus, ad sub-
ministranda necessaria vxori, ac filijs, quos
iure naturali tenentur alere, vt in §. ius na-
turale, in Institut. de iur. nat. gent. & ciu.

Secunda Conclusio.

Non potest quis citra culpam petere,
11 seù accipere pecunias ad cambium
siccum ab eo, qui pecunias dare cambio
sicco non est paratus. Hæc conclusio est
D. Thom. 2. 2. q. 78. artic. 4. & in eum Sal-
lon. in princ. eiusdem art. Innocent. Panor.
& aliorum in cap. super eo, de vsur. Molinæ
de contract. disp. 335. & eorum omnium,
qui volunt, mutuatarium citra culpam non
posse petere, seù accipere sub vsuris ab eo,
12 qui ad fœnerandum non est paratus. Pro-
batur; quia nulli fas est aliquem ad peccan-
dum inducere, cùm id sit scandalū actiuum,
cooperatio, concursus, & consensus ad pec-
catum illius: ergo quis à non parato non
potest citra culpam petere, seù accipere pe-
cunias ad cambium siccum, & sic ad vsu-
ram; quia id esset inducere illum ad pecca-
tum, cùm vsura ex suo genere sit lætalis cul-
pa, eo quòd est intrinsecè, & ex obiecto
13 mala, contra legem Diuinam, ac naturalem
c. super eo, de vsur. atque adeo hoc casu tàm
dantes, quàm accipiētes pecunias ad cam-
bium siccum lætalem culpam contraherēt.
Limitatur hæc conclusio, vt locum non
14 habeat in eo, qui cùm extremè indigeat
petierit pecunias mutuo, vel ad cambium
reale ab aliquo diuite, & ille dare eas recu-
sauerit: quoniam tunc potest illum induce-
re citra omnem culpam ad contrahendum
secum cambium siccum, & ad mutuandum
sub vsuris. Ita Panor. & alij in cap. super
eo, de vsur. Angel. ver. vsura 2. §. 2. Sot. lib.
6. de Iustit. & iur. quæst. 1. artic. 5. Nauar. in
Man. cap. 17. num. 263. Salon. 2. 2. q. 78.
artic. 4. contr. 1. cum alijs, quos allegant.
Probatur, quia hoc casu non est proximum
ad peccandum inducere; sed potius consu-
lere, vt minus peccet, idest, vt potius com-
mittat peccatum vsuræ, quod est minus,
quàm peccatum homicidij, quod est maius.
Etenim, qui extremè indigenti non subue-
nit, cùm possit, & debeat, perinde se habet,
15 ac si pauperem illum occideret, iuxta illud
D. Ambr. in cap. Pasce, 86. d. *Pasce fame mo-
rientem, si non pauisti, occidisti.* Atque licitum
est suadere minus malum ad euitandum
maius, vt est tex. in cap. si quod verius, 33.
16 q. 2. vbi D. August. agendo de viro adulte-
ræ, volente alterum ex duobus præstare,
vxorem scilicet adulteram occidere, vel eā
dimissa, & viuente, aliam ducere, & manere
cum ea in adulterio, sic ait, *Si facturus est
quod non licet, iam faciat adulterium, & non
committat homicidium,* licet neutrum facere
debeat. Sic etiam D. Chrysost. homil. 27. ad
Popul. Antioch. tractans de eo, qui iurandi
consuetudinem habet, inquit, consulendum
ei esse, ne iuret per Deum; sed iuret per ca-
put suum: quod iuramēti genus nec quidem
licitum est, cùm id prohibeat Dominus
Matt. cap. 5. dicens, *Neque per caput tuum
iuraueris:* Gen. quoque cap. 37. volentibus
fratribus per inuidiam occidere Ioseph co-
rum fratrum, suasit Iudas illum venundari
Ismaelitis, inquiens, *Quid nobis prodest si
occiderimus fratrē nostrū, & celauerimus sā-
guinē ipsius; melius est, vt venūdetur Ismaeli-
tis, & manus nostræ non polluantur: frater e-
nim, & caro nostra est.* Ex quibus patet licitū esse

consulere minus malum ad euitandum maius.

Ratio autem cur licitum sit suadere mi-
17 nus malum ad euitandum maius, hæc est; quia qui consulit minus malum ad euitandum maius, non dicitur consulere malum; sed bonum: eo quòd consulit præelectionem minoris mali, & vitationem maioris, quæ præelectio bona est: atque ideò huius consilij obiectum bonum est. Hinc rectè, ait D. Gregor. in can. Nerui, 13. dist.
18 quòd ex duobus malis minus est eligendum: siquidem licet facere minus malum, sit malum; tamen electio minoris mali non
19 est mala, sed bona: ergo rectè consulitur minus malum ad euitandum maius; atque ideò extremè indigens, & petens pecunias à diuite ad cambium reale, vel mutuo sibi gratis tribuendas, si diues ille subuenire petenti nolit, cùm possit, & debeat, citra culpam potest eundem inducere ad secum contrahendum cambium siccum, & ad sibi mutuandum sub vsuris. Quod quidem tunc verum esse dicimus, si tria copulatiuè concurrant. Primum, vt omnes vias, ac media tentauerit prius ad suadendum huiusmodi diuiti ad gratis mutuandum, ad reale cambium contrahendum, aut alia iusta via ad subueniendum ipsi extremè indigenti; & in vanum fuerit elaboratum, vt habetur ex Salon. loco citato. Secundum, vt petens vt supra pecunias ad cambium siccum extremè indigeat; quia si extremè non egeat, id non poterit citra culpam: siquidem tunc non esset suadere minus malum ad euitandum maius: nam maius malum est fœnerari, quàm non succurrere extremè non indigenti: licet nos concedamus tantam necessitatem non requiri ad petendum, seù ad accipiendum pecunias ad cambium siccum, à parato ad fœnerandum, vt infra, Deo duce, dicemus. Tertium exigitur, vt iniustitia minor sit inferenda, & eidem personæ, cui præparata erat maior: secus autem si iniustitia minor esset Tertio inferenda; atque ideò extremè indigens non potest inducere diuitem reale secum cambium celebrare, aut gratis mutuare recusantem, ad dandum pecunias ad cambium siccum, seù ad mutuandum sub vsuris Tertio, vt sibi gratis mutuum præstet, vel secum reale cambium celebret: quoniam non est licitum suadere minus malum inferendum vni ad euitandum maius malum præparatum alteri: non enim fas est minus damnum consulere, nisi quia comparatione maioris, bonum est illi, cui minus infertur: id autem locum sibi vendicare nequit, nisi ratione eiusdem personæ, & non diuersarum: aliàs recipienti illud minus malum, esset absolutè, ac simpliciter malum, & nulla ratione bonum: quod neque consilio, neque fauore, neque vllo alio modo licitum est alicui cum aliquo concurrere: quia non licet prospicere bono vnius cum detrimento alterius, vt rectè docet Sot. lib. 4. de iust. & iur. q. 7. art. 3. quem refert, & sequitur Salon. 2. 2. q. 78. artic. 4. contr. 1.

Hac ipsa ratione, si Titius vellet alte-
20 rum ex duobus malis inferre: Sempronium scilicet occidere: vel eius filiam violare; non possum Titio consulere stuprum cum filia ipsius Sempronij ad euitandum eiusdem homicidium. Nec obstat text. in cap. si quod verius, 33. quæst. 2. quem supra retulimus: & vbi D. Augustinus agens de viro adulteræ, qui decreuerat vxorem adulteram interficere, vel, ea dimissa & viuente, cum alia in adulterio permanere, suasit adulterium, ne fiat homicidium; atque ideò videtur consuluisse minus malum inferendum vni, ad euitandum maius præparatum alteri: quoniam respondetur, quod D. Augustin. non consuluit, vt vir adulteræ, ne illam occidat, aliam honestam ducat, & ex honesta adulteram faciat; sed ne vxorem occidat, adulterium cum altera, qua suo vitio turpis esse velit, committat. Vndè loquitur respectu eiusdem viri, quid illi magis expediat, occidere, vel mœchari. Maiorem difficultatem in hac re affert illud, quod legitur Gen. cap. 19. Vbi Loth obtulit filias suas sodomitis, ne in hospites eius nefarium illud scelus committerent: sed respondetur ex mente nonnullorum, quòd oblatio illa filiarum Loth non fuit habita eo animo, vt ita res fieret, sed ad demõstrandum quàm molestum ipsi fuisset talem iniuriã suis hospitibus irrogari, & propterea

Loth

Loth verè non obtulit filias, atque adeò non suasit minus malum inferendum vni ad euitandum maius alteri præparatum: aliàs proculdubio lætalem culpam contraxisset contra iustitiam, ac pietatem paternam aduersus proprias filias, etiam ad euitandum maius sodomitarum peccatum illas prostituendo.

Non tamen negamus probabilem esse
21 opinionem eorum, quos refert Salon. loco citato, dicentium, licitum esse consulere minus malum inferendum vni, ad euitandum maius præparatum alteri, quando is, cui illud minus malum consulitur inferri, tenebatur aliàs pati ex debito iustitiæ. Vndè licitum esse arbitror extremè indigenti consu-
22 lere, vt necessaria sibi comparet de domo talis diuitis, & non de domo pauperis: quia diues ille ex debito iustitiæ tenebatur illi subuenire, vt habetur ex D. Thom. 2. 2. q. 58. ar. 11. in resp. ad primum: siquidem de iure necessaria extremè indigenti tanquam sua debêtur, cùm necessitatis tempore omnia sint communia, cap. discipulos, de pœnitent. d. 5. Hinc Dominus Matth. cap. 6.
23 appellat eleemosynam indigenti debitam, iustitiam, dicens, *Attendite, ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus vt videamini; cùm ergo facis eleemosynam noli tuba canere, &c.* Quod quidem verum puto, nisi consulens probabiliter sciret, diuitem illum, & quemcunque alium similem admonitos non esse necessaria subministraturos ipsi indigenti: secus autem si probabiliter crederet talem diuitem, aut alium daturum esse illi eleemosynam vbi fuisset admonitus: nam tunc non videtur licitum esse tale consilium præstare; quoniam consulere hoc casu indigenti è domo illius, qui probabiliter necessaria ei contulisset, ea sibi propria auctoritate comparare, negari non potest, quin iniuria inferatur ipsi diuiti: & ita fortè supradictum exemplum voluit intelligere loco citato.

Tertia Conclusio.

24 Licitum est ad cambium siccum petere, & accipere pecunias ab eo, qui expositus, ac paratus est suas pecunias dare cambio sicco, & mutuo vsurario. Hæc conclusio est D. Thom. 2. 2. quæst. 78. artic. 4. quem Doctores communiter sequuntur. Probatur, quia accipiens ad cambium siccum, & sic mutuo sub vsuris à parato ad fœnerandum, ac dandum cambio sicco, non dicitur illum inducere ad fœnerãdum, & ad secum celebrandum cambium siccum; sed vtitur iniquitate illius ad bonum aliquod consequendum, nempe ad subuentionem propriæ necessitatis, vel alterius: at
25 licet vti peccato eius, qui ad peccandum paratus est, quando peccatum illud cedit in bonum aliquod. Sic D. August. epist. 154. quærenti, an licitum sit vti iuramento pagani, per falsos Deos iurantis; atque ideò lætalem culpam contrahentis, cùm honorem, & cultum verò Deo debitum falsis Dijs tribuat, respondit, *Qui vtitur fide illius, qui per falsos Deos iurat, non ad malum, sed bonum, neque peccato illud se sociat, qui per dæmonia iurauit; sed pacto eius bono, qui fidem seruauit.* Confirmatur, quia Sicario parato ad rapienda bona, vel ad
26 occidendum, fas est ostendere bona, quæ rapiat, ne occidat. Hinc Ierem. cap. 41. commendãtur honesti quidam Ciues Hierosolymitani, qui Ismaeli magno Sicario ostenderunt thesauros, quos raperet, ne illos occideret: hoc enim casu ostendentes thesauros latroni, quos certò sciebant rapturos, non peccarunt; quia non se associauerunt iniquitati illius, nec illum induxerunt ad rapiendum, cùm sit ille iam paratus ad rapinam; sed vsi fuerunt iniquitate eius ad bonum consequendum; nempe ad mortem vitandam, & libertatem assequendam. Ergo eodem modo, qui pecuniam ad cambium siccum accipit à campsore parato ad ita cambiendum, & sic ad fœnerandũ, nõ dicitur associari peccato illius, offerẽdo ei vsurã soluere ad subueniendũ suis necessitatibus, quibus premitur, cũ vsurarius dicatur raptor, c. si quis vsurã accipit, 14. q. 3. &

& in vtroque casu militet eadem ratio, arg.
tex.in l.illud,ff ad leg. Aquil. Sic Deus vti-
tur peccatis hominum, quando peccata il-
la cedunt in bonum aliquod iuxta illud D.
August. in Enchir. cap. 11. *Summa Dei sa-*
pientia nulla in nobis permitteret mala, nisi
nosset ex illis maxima elicere bona.

Hæc conclusio limitatur primò, vt ita
27 demum licitum sit ad cambium siccum pe-
tere, & accipere ab eo, qui paratus est pecu-
nias dare cambio sicco, quando aliqua ne-
cessitas adest ex parte petentis: alias citra
omnem necessitatem petens ad cambium
siccum à quantumuis parato, vt supra mor-
taliter peccaret, vt contra aliquos tenet
Conrad. de contr. q. 47. & Molin. eod. tract.
disp. 335. Etenim ex debito charitatis, &
28 sub pęna lætalis culpę tenemur vitare pec-
catum proximi nostri, quando sine maximo
incōmodo, & molestia id facere possumus,
iuxta illud Ecclesi. cap. 17. *Vnicuique man-*
dauit Deus de proximo suo. Modo quamuis
campsor habitualiter sit paratus ad dandum
cambio sicco, & sic ad fœnerandum, cùm
in quolibet actu fœnerationis peccet mor-
taliter, petens ab eo secum cōtrahere cam-
bium siccum citra necessitatem aliquam, di-
citur proculdubio contra charitatem age-
re. Est tamen verum, quod ad petendum
29 pecunias ad cambium siccum, & sic mutuo
sub vsuris non exigitur extrema necessitas;
qualem patiuntur hi, qui aliter conseruare
nequirent proprium indiuiduum, nisi ad
cambium siccum, & mutuo sub vsuris pe-
cunias acciperent: alias nulla differentia es-
set inter petentem cambio sicco ab eo, qui
non est paratus, & à parato ad fœnerādum:
vt igitur aliqua differentia constituatur in-
ter petentem ad cambium siccum pecunias
à parato ad fœnerandum, & inter petētem
à non parato, dicendum est, quòd si hoc ca-
su requiritur necessitas extrema ad excu-
sandum petentem ad cambium siccum, seù
mutuo sub vsuris, quod idem est, à peccato,
in priori casu non requiritur. Vndè ad ex-
cusandum à peccato petētem ad cambium
siccum à parato, vt supra dicendum est, sa-
tis esse quamlibet necessitatem, quæ non sit
extrema, etiam si illa esset, quę communiter
appellatur honesta quædam vtilitas, con-
ueniens ad decentiam status, vt cum com-
muni ferè sententia tenent Salon. 2. 2. q. 78.
artic. 4. contr. 1. Conrad. de contr. q. 47. &
Molina eodem tract. 335. Rationem autem
hanc esse volunt, quia licitum est vti pecca-
to alicuius parati ad peccandum, quoties
peccatum illud cedit in bonum aliquod, vt
supra ostendimus; at quælibet honesta vti-
litas statui conueniens cùm sit bonum ali-
quod, satis erit ad excusandum à culpa pe-
tentem, vt supra ad cambium siccum. Hinc
sequitur excusari, qui pecuniam ad cam-
30 bium siccum acciperet, & sic sub vsuris ad
mercandum pro alenda familia, secundum
decentiam status: aut ad ludos faciendos in
aduentu sui Principis, & ad alia eiusmodi:
quoniam hæc omnia pertinent ad decen-
tiam status. Sic etiam accipiens pecunias
ad cambium siccum ad emendas possessio-
nes aliquas, quæ emendæ commodè sibi
offerunt, culpam aliquam non contrahit: si-
quidem licet hæc petendi ratio non possit
dici propriè, ac formaliter egestas; dicitur
tamen honesta quædam vtilitas, quæ largo
modo potest quoque dici necessitas, qua-
tenus satis esse dicunt præfati Doctores ad
petendum cambio sicco, & sub vsuris. Non
tamen excusarentur accipientes cābio sic-
co, ad ludendum, venandum, ad sollemniter
epulandum, & ad alia eiusmodi, citra necés-
sitatem aliquam; vt per Doctor. supracita-
tos.

Secundò limitatur supradicta conclusio
31 vt tunc licitè petatur mutuo sub vsuris, &
ad cambium siccum, quando prius petitur
pecunia sub cambio reali, vel mutuo gratis,
& campsor ad cambium reale, vel mutuo
gratis dare eam recusauerit: secus autem si
à principio formaliter petatur ad cambium
siccum, quoniam citra culpam peti non
posset ab vsurario, quantumuis parato ad
fœnerandum. Quòd priori modo licitè peti
possit cambio sicco, seù mutuo sub vsuris
patet; quia si huiusmodi petendi modus li-
citus non esset, nunquam daretur casus, in
quo citra culpas fas nobis non esset petere
pecuniam ad cambium siccum, seù mutuo
sub vsuris à parato ad fœnerandum: & ali-
quando licitum esse, aperte docet D. Thom.
2. 2. q 78. art 4.

Nec obstat si dicatur, quòd consentire
32 in peccatum alterius nullo vnquam euen-
tu

ru permittitur, etiam ad propriam vitam redimendam; sicut non licet consentire in fornicationem, etiam ad mortem vitãdam: ergo non licet petere pecuniam cambio sicco; vel mutuo sub vsuris, etiam campsuario recusante eam non aliter dare quàm cãbio sicco, & mutuo sub vsuris, cùm id esset consentire peccato ipsius campsoris: quoniam respondetur ex Duran. in 3. sentent. d. 37. q. 4. quòd in damnis, & pœnis tempo-
33 ralibus incurrẽdis ad excusandam culpam sufficit metus maioris damni, vel pęnæ: quia ex duobus malis temporalibus minus permittitur eligẽdum, vt in c. nerui, 15. d. Nam eligendo quis minus damnum, & minorem pœnam, non dicitur consentire, aut concurrere ad iniquitatem inferentis illud malum, aut pœnam: sed in hoc tantùm, quòd est pati minus damnum ad euitandum maius. Vndè sicut Viator, cui dicit Sicarius da mihi centum; aliàs te occidam, licitè, ac prudenter dat illi centum, quæ rapiat, ne occidat; ex quo directè intendit conseruationem propriæ vitæ, & ad Sicarij rapinam concurrit tantùm passiuè; nempe quia potius eligit pati damnũ illud ducatorum cẽtum, quàm mortem subire, cùm prius sit minus malum, & posterius maius; ita qui petit cambio sicco, & promittit vsuras campsori parato ad fœnerandum, & nolenti nisi ad cambium siccum suas pecunias dare, non dicitur concurrere ad peccatum ipsius campsoris; sed potius se offert pati solutionem vsurarum mediante cambio sicco, quæ est minus malum, quam pati necessitatẽ qua præmitur, cùm pecunia careat, qua possit propriæ necessitati consulere, quæ est maius malum: siquidem directè, & per se primò ipse vult à necessitate liberari; ad solutionem autem vsuræ concurrit tantùm passiuè, cùm re vera illas soluere nollet, si campsor pecunias gratis mutuare vellet, vel sibi saltem dare cambio reali. De peccato fornicationis est diuersa ratio, vt infra dicemus.

Quòd autem posteriori modo non liceat
34 petere mutuo sub vsuris, & cambium siccum à parato ad fœnerandum, à principio scilicet, formaliter, & expresśè; colligitur ex D. Thom. 2. 2. q. 78. ar. 4. vbi ait, licere quidem accipere sub vsuris ab vsurario parato ad fœnerandum, nullo tamẽ modo licitum esse inducere illum ad fœnerandum: qui autem à principio petit ab vsurario quantumuis parato expresśè, & formaliter pecunias mutuo sub vsuris, seù ad cambium siccum, verè dicitur illum ad fœnerandum inducere: sicut qui petit ab aliquo id, quod sine peccato præstare non potest, verè dicitur illum ad peccatum inducere. Id quidem magis verum esse, ait Salon. loco citato, contr. 2. vbi campsor paratus ad fœnerandum, ac ad dandum pecunias suas ad cambium siccum, aliquando dat ad cambium reale, seù mutuat gratis, ac sine vllo fœnore: nam cùm sit quandoque solitus gratis mutuare, & dare ad cambium reale, petere ab eo à principio, & expresśè sub vsuris, est actiuè, ac formaliter illum inducere ad fœnerandum, & offerre illi occasionem peccandi. Confirmatur; quia sicut petere sub vsuris ab eo, qui non est paratus ad fœnerandum, est peccatum; ita pariter exponere se periculo petendi sub vsuris ab eo, qui fœnerari non est paratus: at quando vsurarius campsor aliquando mutuat sine vsura, seù dat ad cambium reale, cùm forsitan eo tẽpore, & eo casu, quo petens ab eo non est paratus, consequenter, vel petit ab eo, qui non est paratus, vel certè exponit se periculo petendi ab eo, qui tunc non erat paratus.

Hæc, quæ diximus vera esse arbitror, nisi
35 petens formaliter, & expresśè ab initio sub vsuris, seù ad cambium siccum à parato ad fœnerandum, nouerit cum non aliter mutuaturum, & daturum cambio, nisi sicco, & sub vsuris: siquidem hoc casu petens non peccaret, si non reperiat aliquem, qui sibi vellet dare pecunias cambio reali, aut mutuo gratis, vt habetur ex Dur. in 3 sent. d. 37. q. 4 Palud. ead. dist. q. 2. D. Anton. 2. p. tit. 1. cap. 9 §. 1. & ex alijs, quos refert, & sequitur Salon. 2. 2. q. 78. art. 4. contr. 2. Etenim sic petens perinde est, ac si diceret, Mutua mihi gratis, seù da mihi pecunias tuas ad cambium reale; sed quia certò scio, te nõ mutuaturum gratis, nec dare ad cambium reale, mutua sub vsuris, & dà ad cambium siccum. Vndè quod directè petitur ab vsurario est mutuum, seù propriæ necessitatis redemptio, quod obiectum est bonum: peccatum verò vsurarij non est volitum directè; sed ad promissionem vsurarum, & sic ad

ad peccatum fœnotis concurrit passiuè tantùm; nempè, quòd potius vult pati iniquitatem vsurarij, & sic solutionem vsurarum, quod est minus malum, quàm pati necessitatem, qua præmitur, quod est maius. Quocirca sicut Viator incidēs in latrones, quos certo nouit paratos ad occidendum, vel rapiendum, non peccat offerendo illi pecuniam, quam rapiant, ne occidant; ita petens mutuo sub vsuris, seù cambio sicco ab vsurario, quem certo nouit non aliter mutuaturum, nisi sub vsuris, nec aliter daturum cambio nisi sicco, non peccat petens ab initio formaliter mutuo sub vsuris, & ad cambium siccum. Et sicut viator concurrit passiuè tantùm ad rapinam; quam faciunt latrones; ita petens ad cambium siccum, & mutuo sub vsuris, passiuè tantùm concurrit ad rapinam vsurarum, quam committit ipse cāpsor vsurarius: siquidem vsurarius raptor est, & vsura rapina, c. si quis vsuram, 14. q. 3. Imò sicut obiectum Viatoris offerentis pecuniam latronibus bonum est, cum sit propriæ vitæ conseruatio; ita obiectum petitionis ad cambium siccum, & mutuo sub vsuris bonum est, cùm non aliud sit, nisi mutuū, seù cambium reale, & propriæ necessitatis, qua præmitur redemptio.

Denique supradictam limitationem sub-
36 limitamus, vbi petens mutuo, & ad cambium siccum ab initio, & formaliter à campsore parato ad fœnerandum, probabiliter, seù inuincibiliter ignorat, teneri prius petere mutuo pecunias tanquam gratis sibi tribuendas, vel ad cambium reale modo supradicto, quoniam tunc excusatur à peccato, vt habetur ex Dur. in 3. sent. d. 37. q. 4. Palud. ead. dist. q. 2. D. Anton. 2. par. tit. 1. cap. 9. §. 1. & alijs; licèt contrarium doceat Nauar. in Man. cap. 17. num. 262. Ratio autem hæc est, quia probabilis, seù inuincibi-
37 lis ignorantia, etiam si iuris sit excusat à peccato, vt latè Dyn. & alij in c. ignorantia, de regul. iur. in 6. & D. Thom. 1. 2. q. 6. art. 8. in corp. Vndè personæ maximè simplices sic petentes mutuo sub vsuris, & ad cambium siccum, excusantur à peccato; quia non sunt omnibus præsertim simplicibus perspectę huiusmodi subtilitates Theologicæ. At Theologi, & Confessarij ita petentes ex capite ignorantię non excusarentur: siquidem nō dicerentur laborare ignorantia vincibili, & improbabili, cùm turpe sit alicui ignorare id, in quo versatur, l. 2. §. seruius, ff. de orig. iur. Et licèt huiusmodi res sint subtilitates Theologicæ; non tamen ita sunt obscuræ, vt mediocri adhibita diligentia edisci non possint; atque ideò non possunt dici iuris obscuri, vt earum ignorantia valeat à culpa excusare, iuxta ea, quæ habētur ex Io. Andr. in c. 1. de postul. Prælat. in 6. Est tamen verum quòd licèt improbabilis iuris ignorantia non excuset Doctos; ni-
38 hilominus eos excusat naturalis inaduertentia: quia naturalis inaduertentia æquipatatur probabili ignorantiæ; siquidem vtraque reddit actionem inuoluntariam, vt rectè probat Suar. de censur. disp. 4. sec. 8. num. 11. Vndè si quis quantumuis doctus non aduertens præfatum petendi modum esse quodam genus inducēdi ad peccatum, & eo modo petat pecunias mutuo sub vsuris, seù ad cambium siccum, culpā aliquam non contrahit.

Restat modo, vt ad contraria respondeamus.

39 AD primum pro solutione eius est adnot. quòd intrinsecè malum stat dupliciter: nam quodam dicitur intrinsecè malum omninò tàm secundum substantiam actus, quàm ex circumstantia. vt fornicari, occidere, mentiri, &c. & quodam dicitur intrinsecè malum ex circumstantia tantùm, vt est simonia, dare mutuo sub vsuris, &c. Modò respondēdo ad maiorem dicimus, quòd
40 id, quod est intrinsecè malum omninò, tàm secundum substantiam actus, quàm secundum circumstantiam non licèt ab aliquo petere, etiam si certò cognoscatur paratus ad illud præstandum: nam cùm hoc secundum substantiam actus malum est, eo ipso quòd illud postulat, inducit fratrem suum simpliciter ad malum, atque adeo est illi scandalum, & causa ruinæ: at quando id, quod petitur secundum substantiam actus bonum est; ex sola verò circumstantia malum, & potenti nociuum, vt est simonia, quę secundum substantiam actus bona est, quia non est prohibitum dare rem temporalem

pro

pro spirituali, vt in c. sicut Episcopum, 1. q. 3. & cap. dilectus, de simon. petentem illud necessitate aliqua compulsum, solùm petere eo casu, quod secundum substantiã actus bonum est: circumstantiam verò illam licet videatur secundum externum sermonem petere; re tamen ipsa, cum illi nociua sit, nõ petit formaliter, & propriè, sed offert se tãtùm ad ferendam, & sustinendam, vt suæ consulat necessitati: & propterea intrinsecè malum huiusmodi, secundum circũstantiam actus tantùm, non est incongruum petere, cùm non petatur id, quod malum est, sed quod bonum. Hoc modo se habet is, qui ab vsurario, quem nouit nullo modo mutuaturum nisi sub vsuris, & nullo modo dare ad cambium, nisi siccum: petit enim statim à principio pecunias ad cambium siccum, & mutuo sub vsuris: quia directè petit id, quod bonum est, nempe cambium, seù mutuum; vsuras autem licet videatur secundum externum sermonẽ offerre; re tamen ipsa cùm vsurarum solutio nociua illi sit, non offert formaliter, & propriè; sed tantùm offert se vsurarium illud damnum sustinere, & pati, vt suæ consulat necessitati.

Ad secundum respondetur negando
41 minorem: nam concurrentibus omnibus illis circumstantijs, quas in solutione præcedentis argumẽti adduximus, possum appetere, quòd aliquis det pecunias cambio sicco, & sub vsuris, sicut petere: quoniã petens cambium siccum, & mutuo sub vsuris, concurrentibus illis circumstantijs, nihil minus appetit, quàm peccatum vsurarij, seù solutionem vsurarum, quàm offert, cùm optaret omninò gratis mutuum sibi impẽdi, vel saltem cambium reale celebraret: sed cum pecunia indigeat, nec habeat, à quo mutuo gratis, vel ad cambium reale accipiat: nec alium mutuantem, aut dantem cãbio, quàm campsorem illum vsurarium, quem certò nouit nullo alio modo mutuaturum, quàm sub vsuris, & daturum ad cambium quàm siccum, secundum externam tãtùm vocem petit sub fœnore, & cambio sicco; re vera autem mutuum tantum, aut cambium reale petit, & appetit: & conditionem illã, sine qua campsor non vult mutuare nisi sub vsuris, & sub cambio sicco, non petit, nec appetit; sed passiuè duntaxat se offert subire ad propriam necessitatem redimendam.

Ad Tertium dicitur, quòd minor non est
42 omninò vera: nam in casu nostro, concurrentibus supradictis circumstantijs, cãpsor licitè potest præstare, quod actu petitur: nã qui petit, solùm petit pecunias, quibus indiget, & sic mutuum, seù cambiũ solutionem verò vsurę non petit secundum rem; sed illi passiuè se tantùm habet, vtens malitia, & iniquitate illius ad redimendam suam necessitatem.

Ad quartum argumentum pro ipsius so-
43 lutione est adnot. quòd Angel. in sum. ver. Superstitio, num. 3. & Aur. in 4. d. 34. dicũt licitum esse vti opera malefici, parati ad soluendum maleficium aliquod per aliud maleficium: & hanc sentẽtiam quidam volunt tenere etiam Sanch. de matr. lib. 7. disp. 95. num 11. & habetur expressè in l. eorum, C. de Malef. vbi habetur, quòd facientes incantationes ad finem malum, sunt puniedi; non autem ad finem bonum aliquod assequendum. Vndè secundum horum sententiam possumus negare antecedẽs. Sed re vera in contrarium est communis opinio, vt rectè
44 docet Caiet. in q. illa de Malef. tom. 2. suorum opusc. tract. 11. Imò asserere, peti posse maleficiũ maleficio est solui, erroneũ, vt definiuit Cõc. Parisien. ar. 5. & 7. Nec tex. in d. l. eorum Id cõcedit, sed impunitum tantùm dimittit: & hanc notam tribuere Sanch. videtur quippè satis incongruum: siquidem Sanch. si rectè perpendatur nihil tenet contra Concilium, & communem Doctor. sententiam. Etenim non concedit peti posse maleficium à malefico solui per aliud maleficium, quod nulla alia via, nisi per maleficiũ soluere potest; sed tantùm ait peti posse maleficium solui à malefico, qui plura media habeat ad soluendum maleficium; quædam scilicet licita, & quædam illicita; quãuis constet petenti fore, vt medio illicito vtatur: nam petitur à malefico solutio maleficij, quam potest medio licito facere. Sicut quãdo petitur iuramentum ab Infideli, parato ad iurandum, qui certò scitur iuraturus per falsos Deos: nam cùm Infidelis ille possit, si velit, iurare per verum Deum, si iurat per falsos Deos, sibi imputatur, & petens tale iuramentum ad bonum aliquod, non peccaret.

Vndè

Vndè concesso antecedente, responden-
45 tes formiter ad argumentum, negamus cō-
sequentiam: nam est dispar ratio in malefi-
cio, & vsurario: quia cùm maleficium sit ma-
lum intrinsecè, & omninò, tàm scilicet secū-
dum substantiam actus; quàm secundū cir-
cumstantiam, petere à Maleficio, vt malefi-
cium aliquod per aliud maleficium, & ope-
ram dęmonis dissoluat, est petere ab illo
formaliter, & directè actum intrinsecè, &
omninò malum, & quod nullum obiectum
bonum habere potest: quod nulla ratione
licet, neque ad bonū finem, neque propter
proprium commodum: at mutuatarius po-
stulans mutuum sub vsuris, & cambium sic-
46 cum à campsore vsurario parato cum om-
nibus illis circumstantijs, quas supra consti-
tuimus, petit actum secundum sui substan-
tiam bonū, nempè mutuum, seù cambium,
quod potest mutuans, & cāpsor rectè exer-
cere, sicut Infidelis iuramentum: circumstā-
tia verò illa, cum qua petit, non est à volun-
tate petentis, cui nociua est sed ex iniquita-
te vsurarij nolētis aliter mutuare quàm sub
vsuris, & dare cambio sicco: quocirca non
petit illam; sed tantum se offert pati illud
damnum vsuratium ad redimendam suam
necessitatem, qua premitur: hoc autem li-
cet. Est tamē verum, quòd Salon. 2. 2. q. 78.
ar. 4. contr. 2. inquit, licitum non esse petere
formaliter ab Infideli iuramentū per falsos
Deos ad firmandum contractum aliquem:
sicut licitum esse cōclusimus petere forma-
liter, & expressè mutuo sub vsuris ab vsura-
rio parato, qui certò scitur, sè non aliter mu-
tuaturum, nisi sub fœnore: quia contractus,
seù dictum Infidelis potest alijs vijs confir-
mari, nempè testibus, scripto, pignore, &c.
Vndè celebrans contractum cum Infideli
non est dicendus exigere iuramentum ab
illo per falsos Deos, vt redimat vexationem
suam: sicut petens mutuo sub vsuris ab vsu-
rario parato, quem certò nouit non aliter
mutuaturum, nisi sub fœnore.

Ad quintum patet responsio ex dictis:
47 tunc enim petens pecuniam ad cambium
siccum; & sic mutuo sub vsuris, esset indu-
cere cāpsorem ad peccatum, quando cam-
psor non esset paratus ad fœnerandum: aut
si paratus esset non concurrerent circum-
stantiæ supra relatæ: secus autem cōcurren-
tibus supradictis circumstantijs; quia tunc
accipiens, aut petens pecuniam ad cambiū
siccum, se haberet ad peccatum campsoris
vsurarij, passiuè tantum.

De cooperantibus ad cambia sicca exercēda, an peccent, & ad restitutionem teneantur. Q. LXXIII.

S V M M A R I V M.

1 *Cooperari ad cambia sicca exercenda, duobus modis contingit.*

2 *Cooperantes ad cambia sicca exercēda agendo partes accipientium pecunias ad cābium siccum in casibus sibi concessis, non peccant, nec ad aliquam restitutionem tenentur.*

3 *Actio cooperantis sumit speciem ab actione eius, cui cooperatur.*

4 *Cooperantes ad cambia sicca exercēda agendo partes eius, qui pecunias ad cambium siccum accipit in casibus sibi non permissis, licet peccent; non tamen ad restitutionem tenentur.*

5 *Cooperantes ad cambia sicca agendo partes campsorum dantium pecunias ad cambia sicca, si efficaciter cōcurrant ad ea exercenda, ad vsuras soluendas, vel solutas non repetendas, &c. peccant, & ad restitutionem tenentur.*

6 *Consulens alicui, vt pecunias det cambio sicco, seù mutuo sub vsuris, an, & quando peccet, & restitutioni sit obnoxius, declaratur.*

7 *Domini temporales, & alij adiuuantes campsores ad celebranda cambia sicca, & vsuraria, an, & quando peccent, & teneantur ad restitutionem, explicatur.*

8 *Clem. I. de vsur. cōtrauenientes nūquam excusantur à culpa, quamuis aliquo casu excusentur à pœna.*

9 *Tutores, & curatores dantes pecunias pupillorum, & minorum cambio sicco, & sic sub vsuris peccant, & ad restitutionem tenentur.*

10 *Notarij instrumenta cambiorum siccorum, & vsurariorum rogantes: & testes, an, & quando peccent, & restitutioni efficiantur obnoxij, declaratur.*

11 *Proxenetæ, seù sensales agentes partes campsoris danti cambia sicco, & sic mutuo sub vsuris,*

vsuris, an, & quando peccent, & restituere teneantur, ostenditur.

12 *Confessarij audiẽtes cõfessiones vsurariorum, ac dantium pecunias ad cambium fictum, an aliquãdo peccent, & restituere teneãtur, explicatur.*

13 *Mutantes pecunias vsurario, aut eas apud ipsum deponentes, vt det cambio ficco, & sic mutuo sub vsuris, peccant, & ad restitutionẽ tenentur.*

AD tituli explicationẽ est adnot. quòd
1 duobus modis cõtingit ad cãbia ficca cooperari. Vno modo partes agendo eius, qui ad cambium ficcum accipit, & sic campsuarij: altero modo agendo partes cãpsoris cambio ficco pecunias dantis. Vtroque modo, aut eorum altero cooperantur ad cambia ficca exercenda mutuantes pecunias campsoribus cãbia ficca exercẽtibus, aut apud eosdem pecunias deponẽtes, negotiorum gestores, tutores, curatores, campsorum huiusmodi famuli, proxenetæ, Domini temporales Iudices, Aduocati, Tabelliones, testes, consulentes, & quocunque modo cambia ficca suadentes, ac denique cõfessarij. De his omnibus quæritur an peccent cooperando ad cambia ficca exercenda, & ad restitutionem aliquam teneantur. Pro huius rei determinatione sit

Prima Conclusio.

COoperantes ad cambia ficca exercẽ-
2 da agendo partes eius, qui ad cambium ficcum pecunias accipit in casibus sibi concessis, nullam culpam cõtrahunt, nec ad restitutionem aliquam tenentur. Hæc conclusio patet ex traditis per Molin. de cõtr. disp. 331. num. 2. Rebell. lib. 8. de vsur. q. 16. sec. 4. sub num. 15. & 19. Azor. lib. 5. Instit. moral. cap. 17. in prin. p. 3. Less. lib. 2. de Iustit. & iur. cap. 20. dub. 21. num. 184. Salon. 2. 2. q. 78. art. 3. contr. 9. sub num. 3. Bann. ibidem dub. 5. concl. & alios dicentes, quòd cooperantes ad vsuram agendo partes euis, qui ad vsuram accipit in casibus sibi concessis, non peccant, nec restitutioni sunt obnoxij: at dantes ad cambia ficca dicuntur dare mutuo sub vsuris sub pallio cambij, vt supra ostendimus, quęst. 12. in
3 proœm. vers. Siccum. Probatur, quoniam actio cooperantis sumit speciem ab actione eius, cui cooperatur, sed accipientes mutuo sub vsuris, & ad cambium ficcum in casibus sibi permissis non peccant vt q. pręcedenti probauimus: ergò nec ipsi cooperãtes. Pręterea cooperantes huiusmodi nullam iniustitiam committunt contra eum, qui ad vsuram accipit, seù ad cambium, quod idẽ est: ergò non peccant nec restitutioni sunt obnoxij. Clara cõsequentia. Antecedens probatur ex eo, quòd volenti, ac patienti nulla fit iniuria. Non igitur prædicti cooperatores culpam aliquam contrahant, nec ad restitutionem aliquam tenentur. Imò Rebel. loco citato, inquit, quòd mutuatarius, & sic accipiens ad cambium ficcum, pro cooperatione illis debitor constituitur. Hi sunt famuli, seù ministri etiam ipsius campsoris dãtis ad cambium ficcum, quos precibus inducit cambio ficco volens pecunias, vt ipsi sub dicto cambio eas petant à campsore eorum Domino: hi enim restituere non tenentur, estò persuadeant compsori, vt ad cambium ficcum suas pecunias pręstet: & esto quòd petentibus cãbio ficco persuadeant, vt vsuram soluant, ne alia vice campsor dare illis ad cambium ficcum deneget; quamuis hoc casu possent peccatum scandali committere, vt infra concl. seq. dicemus. Idem dicendum est de Notarijs de consensu accipientis cambio ficco, & sic mutuatarij instrumentũ conficientibus, vt rectè docent Molin. & Bann. locis citatis. Item famuli horum campsorum, qui pignora recipiunt, & asseruant, qui pecuniam numerant, qui referũt omnia in rationũ libros, & proxenetę, qui quęrunt eos, qui pecunia egent, & adducunt ad campsores ipsos vsurarios, ad restitutionem aliquam non obligantur. Ita Less. loco citato; estò quòd interdũ peccẽt, vt suo loco dicemus. Est tamen verum, quòd cooperatores huiusmodi peccare possunt in modo petendi ad cambium ficcum, seù mutuo sub vsuris, non seruantes ordinem malitiosè, aut culpabiliter, mutuatarijs, & accipientibus ad cambium ficcum non peccantibus. Et aliquando peccant è conuerso accipientes, & mutuatarij, nõ seruantes in petendo vt supra ordinem, ipsis cooperãtibus nullam culpã cõtrahentibus.

Se-

Secunda Conclusio.

4 COoperantes ad cambia sicca exercẽda, agendo partes eius, qui ad cambium siccum pecunias accipit in casibus sibi non permissis, licet peccent cooperando; nõ tamen ad restitutionem aliquam tenentur. Hæc conclusio probatur eodem modo. Etenim actio cooperantis sumit speciem ab actione eius, cui cooperatur; sed accipiẽtes cambio sicco, & sic sub vsuris in casibus sibi non permissis, licet peccent, non tamen tenentur ad restitutionem, cùm nullam iniustitiam committant cõtra campsores vsurarios: ergo eodem modo cooperantes. Ex hoc infertur, quòd proxenetæ agentes partes accipientium ad cambium siccum, & sub vsuris, estò quòd campsorem ad fœnerandum inducant, & ob id peccent peccato scandali illum ad peccandum inducendo; non tamen ad aliquam restitutionem tenentur, etiam quòd suadeant accipienti ad cãbium siccum, vt vsuram campsori soluat, ne alia vice dare cambio sibi deneget. Vt colligitur ex ijs, quæ docet Molin. vbi supra, sub num. 2. Quòd si campsorem non inducant ad dandum cambio sicco, & sic ad fœnerandum, & partes tãtum agant accipientis cambio sicco indigentis, à peccato, & à restitutione efficerentur immunes, iuxta ea, quæ habentur ex Nauar. & alijs, quos ipse citat in suo Man. cap. 17. num. 267.

Tertia Conclusio.

5 COoperantes ad cambia sicca agendo partes campsorum dantium pecunias ad cambia sicca, si efficaciter concurrant ad ea exercenda, ad vsuras soluendas, vel solutas non repetendas, aut causa sint sine qua cambia huiusmodi non celebrarentur, aut vsuræ non soluerentur, peccant lęaliter, & ad restitutionem tenentur. Hæc conclusio patet. Etenim campsoris ipsi peccant, & restitutioni efficiuntur obnoxij: ergò, & cooperantes: actio enim cooperantis, vt diximus, sumit speciem ab actione eius, cui cooperantur. Quod quidem verum est, etiam si cooperantes lucrum vsurarium apud se non accipiãt: nam peccatum, seù debitum restituendi non solùm contrahitur ratione rei iniquè acceptæ; sed etiam ratione iniustæ acceptionis: sed quicunque cooperatur cõtractui, vel solutioni vsurarum, & concurrit ad illas, quamuis non recipiat apud se vsuras; cooperatur tamen, & concurrit ad iniquam acceptionem illarum: ergo peccat, & tenetur restituere, vsurario non restituente, atque adeo campsore cambium siccum exercente, lucrum vsurarium ex eo recipiẽte, & non restituente. Confirmatur, quoniam agentes, & consentientes pari pœna puniuntur, iuxta illud Apostoli ad Rom. 1. dicentis, *Non solum, qui faciunt; sed etiam, qui facientibus consentiunt, digni sunt morte*.

Ex hoc infertur primò, quod consulens,
6 aut suadens alicui, vt suas pecunias det cãbio sicco, lucrum ex eo vsurarium exigat, peccat, & ad restitutionem tenetur, sicut qui suadet alicui, vt furtum committat, non modo peccat, sed etiam tenetur de damno illato, vt per Nauar. in sum. c. 17. num. 265. & Sot. lib. 6. de iustit. & iur. q. 1. art. 4. circa fin. Quod verum putat Less. lib. 2. de iustit. & iur. cap. 20. dub. 21. num. 178. in fine, nisi fortè putauerint, accipientibus cambio sicco, qui aliter pecuniam obtinere nequeant, id gratum fore: tunc enim eorum partes quodammodo videntur agere, ac ipsis tacitè consentientibus, & ratum habentibus, suadent. Item exigitur, vt consilium influat in effectum, ita vt causa sit, cur campsor cãbio sicco det pecunias, & fiat vsurarius, cur non mutuet gratis, vel saltem non det cambio reali, cur lucrum vsurarium non restituat, & alia huiusmodi: aliàs sic consulentes, licèt peccent; ad restitutionem tamen non tenerentur, vt contra nõ nullos tenet Azor. lib. 5. inst. moral. cap. 17. q. 1. par. 3. Rebel. lib. 8. de vsur. q. 16. sec. 4. num. 21. & alij. Etenim excommunicatio lata contra consulentes, non comprehendit simpliciter consulentem consilio adeo simplici, vt sine illo delictum subsecutum adhuc esset, ac cum illo: sicut lata contra mandantes, fauentes non extenditur in eos, sine quorum iussu, mandato, aut fauore crimen commissum adhuc fuisset: sed hæc omnia debent influere in effectum ad excommunicationem contrahendam, vt habetur ex Nauar. in Man. cap. 27. num. 51. & nos latè in nostris Com-

Commentar. ad Bull. coen. lib. 2. can. 11. q. 17. sub num. 8. vers. Beneuerum est: ergò dicendum est in casu nostro, vt exigatur, vt consilium influat in cambium siccum celebrandum, vsurarium lucrum exigendum, vel ad exactum non restituendum adhoc, vt consulentes huiusmodi non tantùm peccent; verum etiam restitutioni efficiantur obnoxij.

7 Secundò infertur, Dominos temporales, Iudices, Aduocatos, & quoscunque alios, qui statuto, præcepto, patrocinio, aut quouis alio modo celebrantes cambia sicca adiuuant in lucris vsurarijs exigendis, & in solutis non restituendis, peccare mortaliter, & ad restitutionem teneri; quoniam hi omnes dicuntur verò cooperari ad cambia sicca celebrāda, atque adeo ad vsuras exercendas. At actio cooperantis cùm sumat speciem ab actione eius, cui cooperatur, sicut campsores peccant dantes cambio sicco, & ad restitutionem tenentur, ita etiam illis vt supra cooperantes. Quiquidem tenentur insolidum in defectum campsorum, & ipsis restituentibus, campsores eisdem remanēt obnoxij, vt patet ex traditis per Syl. in sum. ver. vsura, 7. q. 10. Nauar. in Man. c. 17. num. 275. Molin. de contr. disp. 331. num. 5. Rebell. lib. 8. de vsur. q. 16. sec. 4. num. 16. Azor. lib. 5. Instit. moral. cap. 17. q. 4. p. 3. & Less. lib. 2. de Iust. & iur. cap. 20. dub. 21. num. 179. vbi etiam prædicta limitat non procedere si supradicti Domini tēporales, &c. vsurarios in Repub. tantùm permittant ad maiora incommoda vitanda per modum simplicis tolerantiæ, nullum eis auxilium præbentes, quales sunt Iudæi, & similes Infideles, Christianis Principibus subiecti: siquidem hoc casu non possunt dici vsurarum, & cambiorum siccorum causa; nisi ingentes summas pro licentia fœnerandi exigant: nam ob id ipsi vsurarij vsuras augent, & pauperes magis exhauriunt. Eadem ratione peccant, & ad restitutiones tenētur Communitates, & earum Potestates, Iudices, & quicunque alij Officiales, qui condiderint, scripserint, vel dictauerint statuta, quibus cambia sicca permittantur, & lucra ex eis vsuraria soluantur, aut repeti prohibeantur postquam fuerint soluta, & sunt ipso facto excommunicati, vt in Clem. 1. de vsur. vbi etiam simili pœna plectuntur Iudices, qui scienter iudicare præsumpserint, vt vsuræ promissæ soluantur, aut solutę non restituantur: & supradicta statuta infra tres menses non cancellantes. Est tamen notandum, quòd in quibusdam Prouincijs prædicta Clementina non seruatur: nam in illis vsuræ ab Infidelibus exerceri permittuntur: & promittentes eas à Magistratibus soluere compelluntur: quod, an rectè fiat, alij iudicent, inquit Salon. 2. 2. q. 78. art. 3. contr. 9. num. 7. in fin.

8 Ego verò citra omnem dubitationem puto, quod estò, quòd dicta Clementina quoad pœnam locum sibi non vendicet in dictis Prouincijs; non tamen huiusmodi personæ à culpa, ac à restitutione sunt immunes, cùm verè dicantur cooperari iniquitati vsurariorum, & actio cooperantis sumat speciem ab actione eius, cui cooperatur. Et re vera hæc sententia communis est, quam tenet Sylu. in sum. ver. vsura, 7. q. 6. Conrad. de contract. q. 25. cum trib. seq. Couar. lib. 4. var. resolut. cap. 1. num. 8. Molin. de contr. disp. 304. num. 17. & 18. Salon. 2. 2. q. 78. art. 3. controuer. 9. num. 6. & 7. Pro qua re est etiam tex. in cap. post miserabilem, de vsur. Et quamuis Nauar. lib. 5. suorum consil. consil. 3. sub tit. de Iudæis, in antiq. impres. velit, potestatem statuere posse, vt vsuræ promissæ in casibus, quibus licitè tolerari possunt, ad euitandum maius malum spirituale, soluantur: & id ob communem consuetudinem non nullarum Ciuitatum, vbi vsuræ promissæ petuntur, & mutuatarij ad illas soluendas compelluntur: & eo maximè quoniam putat, solutionem vsurarum non esse contra ius naturale, eùm soluens vsuras nullam iniuriam, nec iniustitiam inferat vsurario: & propterea respondet ad d. cap. post miserabilem, de vsur. nihilominus opinio ipsa Nauar. à Doctoribus communiter reprobatur, vt patet ex supra relatis Doctoribus. Etenim consuetudo hoc casu cùm sit contra ius naturale, non excusat huiusmodi statuentes: nam quamuis soluere vsuras non sit contra ius naturale; statuere tamen vt vsuræ promissæ soluantur, aut solutæ non repetantur, est ad vsuras extorquendas cooperari: quod est contra ius naturale.

Z Nec

Nec responsio eiusdem Nauar. ad d.cap. post miserabilem nobis probatur, dum ait, text. illum solum probare, quòd attento solo iure communi, Iudæi teneantur quidem restituere vsuras extortas Christianis; sed non probat, quòd iure particulari non possit contrarium statui: quoniam cùm vsurarum extorsio, & ad easdem exercendas, ac extorquendas cooperatio sit contra ius naturale, vt supra diximus, nullo iure speciali adiuuari possunt vsurarij ad vsuras exercendas: quia statuta contra ius naturale sunt nullius momenti: & propterea, cùm text. in d.cap. post miserabilem, & Clement. 1. de vsur. fundentur in naturali lege, nullo positiuo iure tolli possunt. Neque communi sententiæ contraria est Iul. III. Bulla, quæ incipit, *Cum sicut accepimus*. Siquidem Bulla illa statuit generaliter, Notarios posse conficere instrumenta in contractibus celebratis inter Christianos, & Iudæos, toleratis, & permissis: at contractus vsurarij non sunt tolerati, nec permissi secundum formam capitulorum, quorum meminit ipsa Bulla, vt per Azor. par. 3. Institut. moral. lib. 5. cap. 17. quæst. 6. versic. Ad Bullam: sed tantùm Iudæis toleratur vsurarum extorsio, vt impuniti remaneant.

Tertiò infertur, tutores, & curatores
9 dantes pecunias pupillorum ad cambium siccum, & sic sub vsuris, seù vsuras exigentes pupillorum nomine, peccare, & ad restitutionem teneri insolidum, vt latè probat Azor. loco citato, quæst. 10. cum alijs, quos allegat; ita vt etiam finita administratione, accipientes ad cambium siccum, atque adeo mutuatarij possint contra ipsos agere pro vsurarum restitutione, vt est Glos. in cap. fin. 46. dist. Imò pupillus pro quo tutor cambia sicca celebrauit, & extortas vsuras deinde restituit; potest tutori petenti ab eo damna resici pro vsuris, quas restituit, excipere, vsuras retinere pro lucro, quod ipsi pupillo cessauit ob pecuniam pupillarem apud se à tutore retentam; atque ideò non tenetur damna reficere, licèt vsuræ sint conuersæ in eiusdem vtilitatem; nisi vsuræ excederent moderatum lucrum, si in possessiones, vel aliam iustam negotiationem, vt debebat, ipsam exposuisset, vt benè docet Sylu. in sum. ver. vsura, 7. num. 5. Quæ quidem vera sunt, cùm tutor verisimiliter potuisset pupillarem pecuniam in emptionem stabilium, censuum, aut iniustam aliam negotiationem conuertere: aliàs secus, vt idem Syl. in sum. ver. tutela, q. 4.

Quartò infertur, quòd Tabellionem,
10 seù Notarij instrumenta cambiorum siccorum rogantes peccant mortaliter, & ad restitutionem tenentur: & idem dicendum est de testibus in prædictis instrumentis vsurarijs adhibitis: quoniam omnes isti cooperatores sunt, & influunt ad vsuras exercendas, & causa sunt, cur vsuræ soluantur; atque adeo concurrunt ad iniustam acceptionem, ratione cuius oritur obligatio ad restituendum. Quod quidem tunc verum est, quotiescumque instrumenta sunt simulata, vt quia contrahentes in rei veritate sicca cambia celebrarunt; sed in instrumento Notarij, & testium dolo constat de cambijs realibus: secus autem si instrumenta simulata non sint, sed in eis constet de cambijs siccis, & vsurarijs, prout in rei veritate ipsa celebrarunt, & solam facti veritatem enarrent, & fideliter scribant, quod inter contrahentes fuerit conuentum, ita vt contractus manifestè appareat vsurarius. Ratio autem cur priori casu Notarij, & testes peccent, & restitutioni efficiantur obnoxij, & non in posteriori, hæc est quoniam Notarij, & testes, vel eorum alter infideliter se gerunt, pallianres vsuras in fauorem vsurarij, & cùm vigore talis scripturæ exigantur vsuræ, dicuntur effectiuè concurrere ad vsuras exercendas: nisi Notarius instrumentum rogauerit, volente mutuatario, & qui ad cambium siccum accipit qualecunque sit; nam tunc licèt peccet ob iuramentum, maximè ab eo præstitum tempore quo in Notarium fuit creatus, de fidelitate seruanda, & veritate exprimenda in omni scriptura ab eo conficienda; non tamen obligatus remanet ad restituendas vsuras; quia non lædit inuitum, sed volentem, cui non fit iniuria, vt sæpè diximus. At posteriori casu licèt Notarij, & testes peccent, ad restitutionem

tamen

tamen non tenentur; quia cùm instrumenta apertè sint vsuraria, illorum vigore non possunt mutuatarij, & qui acceperunt pecunias ad cambium siccum compelli ad vsuras soluendas, vt habetur ex Molin. de contr.disp.331.num.6.Rebel.lib.8.de vsur. q.16.sec.4.num.19.& latè Azor.p.3.Instit. moral.lib.5.cap.17. q.6. vbi id limitat non procedere in Notario conficiente instrumentum vsurarium inter Christianum, & Iudęum; quoniam in scriptura huiusmodi solum est testificatio eius, quod fit, & propterea non solùm non tenetur ad restitutionem;sed nec aliquam quidem culpam contrahit.

Hæc tamen vera sunt, quotiescunque Notarij instrumenta rogauerint in Prouincijs, in quibus seruatur d.Clem.1. de vsur. cuius vigore vsurę sunt omninò prohibitę: & cùm primùm nouerit Iudex, contractum esse vsurarium, punit celebrantem, atque adeo in huiusmodi Prouincijs non possunt compelli mutuatarij, ac accipientes cambio sicco vi talium instrumentorum ad solutionem vsurarum: secus autem dicendum est de Prouincijs,in quibus d. Clem.non est in obseruantia: nam tunc vigore dictorum instrumentorum de facto compelluntur ad vsuras soluendas, quas promiserunt, vt per Doctor.supra citatos, & pręcipuè Molin. loco citato, vbi etiam num.7. addit ex Sot. & Nauar. esse obseruandum, quòd vbi testes, & alij cooperantes bona fide ad contractum, vel ad actum aliquem concurrunt, quem probabiliter vsurarium, & iniustum ignorarent, ad restitutionem aliquam non obligari: quoniam ad eam non tenentur ratione rei iniustè acceptæ; quia supponimus ad ipsum non peruenisse: nec ratione iniustæ acceptionis; eo quòd nullam culpam contraxerũt,bona fide ad huiusmodi actum concurrentes:ergo ad nullius rei restitutionem tenentur.

Quintò infertur,Proxenetas,seù sensales
11 agentes partes campsoris dantis cambio sicco, & sic vsurarij ad vsuras exercendas, peccare, & ad restitutionem teneri: siquidem cooperantur ad iniustum actum, vt per Azor.loco citato,quæst.7.& Molin. d. disp.331.num.10. contra Syl. & alios existimantes, quòd quando solùm cooperantur, vt mutuo eis detur ad vsuras, non postea,vt vsura exigatur,& soluatur,ad restitutionem non tenentur: hoc enim falsum est: etenim, vt quis restituere teneatur vt cooperans ad iniustitiam, satis est, vt partialis causa sit talis effectus,estò quòd effectus ab alijs causis liberis intermedijs pẽdeat;quod patet in consulente furtum, aut homicidũ, vt per eundem Molin. ibi, num. 3. Dixi, *Agentes partes campsoris dantis cambio sicco*, quia si partes agant accipientis, à peccato, & restitutione efficerentur immunes, iuxta ea,quæ supra diximus,concl.2. Quibus adde Nauar. cum alijs, quos ipse citat in suo Man. cap.17. num.267. vbi ait, prædictos proxenetas agentes partes campsoris teneri etiam ante excussionem principalium: quoniam non censentur accessorij; sed vt principales delinquentes. Est tamen verum,quòd Molin.ibidem,circa fin. ait,illud in vniuersum esse seruandum quoad huiusmodi cooperatores,quòd si de aliquo verisimiliter credatur,accipientem cambio sicco, & sic mutuatarium nolle illum ad restitutionem obligare, tunc restituere non esse compellendum. Imò multi ex dictis facilè à mutuatarijs veniam obligationis restituẽdi obtinebunt, si eam petant: hoc idem docet Rebell.lib.8.de vsur. q.16. sec.4. sub num.8.in fin.& Less.lib.2.de iust.& iur.cap. 20.dub.21. num.183.

Sextò infertur, confessarios audientes
12 confessiones campsorum dantium cambio sicco,& sic vsurariorum, si ex denegatione admonitionis sequatur, vt nõ fiat vsurarum restitutio, peccare, & insolidum teneri ad restitutionem,vt habetur ex Syl.in sum.ver. vsura, 7.q. & ver. Restitutio, 3.q.7. Quod quidem verum esse,ait Azor.loco citato,q. 5. quotiescumque confessarius siuè interrogatus, siuè non interrogatus verbis suis causa est, vt restitutio non fiat; quia tunc se habet vt consulens,vel inducens vsurarium ad non restituendas vsuras: secus autem si confessarius prætermisit tantùm admonere pœnitentem de vsuris restituendis: nã tunc restituere non cogitur;quia non tenetur ex officio cõsulere bono Tertij, sed solũ ex officio tenetur cõsulere bono pęnitẽtis, & lege sola charitatis cogitur bonũ Tertij procurare. Sed re vera hoc dictum Azor. mihi

videtur nõ esse citra difficultatem aliquam, cùm confessarius se habeat, vt Iudex, vt in c. verbum, de pœn. d. 1. quo circa videtur ex officio teneri ad decernendum, pœnitentem esse vsurarum restitutioni obnoxium: & si id prætermittat, & propterea pœnitens non restituat, verè causa est damni cambio sicco accipientis, seù mutuatarij, à quo cãpsor vsuras extorsit. Nec ignorantia nisi iuris sit obscuri videtur eum excusare, cùm dicatur ignorare id, quod scire tenetur; atque ideò huiusmodi ignorantia diceretur crassa, quæ non excusat.

Septimò infertur, quòd mutuantes pe-
13 cunias campsori vsurario, aut apud eundem deponentes, vt eas det cambio sicco, & vsuras exerceat, peccant mortaliter, & ad restitutionem eodem modo tenentur: nam cooperantur lætali culpæ, & iniustitiæ vsurarij, ob quam habet locum restitutio. Hæc adeo vera sunt, vt in eis non deceat diutius immorari, maior difficultas est de famulis huiusmodi campsorum vsurariorum, qui sunt meri executores ad vsuras exigendas, & de deponentibus pecunias apud ipsos hoc tantùm animo, vt securius custodirentur, an dicatur eisdem cooperari, ita vt peccent, & ad restitutionem teneantur, idcircò pro complemento huius §. de his controuersijs hoc loco duximus discutiendum.

An famuli campsorum dãtium eorum pecunias cambio sicco, qui sunt meri executores ad vsuras exigendas, numerandas, & conseruandas, &c. peccent, & ad restitutionem aliquam teneantur. Q. LXXIV.

SVMMARIVM.

1 *Vsurariorum famulos licèt simplices executores sint peccare lætaliter, & ad restitutionem teneri, qui doceant, referuntur.*

2 *Indecens est crimen suum alienis commodis impendere.*

3 *Plus est causa, per quam fit actus, quàm conditio, sine qua non fieret.*

4 *Conditio sine qua non inferretur damnum, in moralibus perinde obligat ad reficiendum illud, ac si efficienter concurreret.*

5 *Famulorum dantium mutuo sub vsuris, & cambia sicco, easdemque exigentium quatuor sunt genera.*

6 *Famuli, qui tanquam negotiorum gestores, procuratores, & factores Dominorum suorum cambia sicca, atque ideò contractus vsurarios celebrant, & vsuras exigunt, peccant mortaliter, & ad restitutionem tenentur.*

7 *Famuli tenentes libros rationum dati, & accepti, in quibus adnotant cambia sicca, seù contractus vsurarios, ab eorum Dominis celebratos, peccant, & tenentur ad restitutionem.*

8 *Libri rationum faciunt fidem ad instar instrumentorum.*

9 *Famuli tenentes libros, in quibus adnotant cambia sicca ab eorum Dominis celebrata, in locis, in quibus accipientes sub vsuris cõpelluntur ad eas soluendas, pecant, & tenentur ad restitutionem. Non sic in locis, in quibus accipientes sub vsuris, non possunt compelli vsuras soluere.*

10 *Famuli custodientes tantùm pecunias, aut illas numerantes iussu campsorum vsurariorum non peccant, nec tenentur ad restitutionem.*

11 *Famulæ inseruientes meretricibus: & famuli inseruientes Dominis habentibus in domo concubinas, cur non peccent, ratio redditur.*

12 *Famuli vsurariorum non sunt de facili condemnandi ad restitutionem; quia in dubio credendum est accipientes cambio sicco, ac mutuatarios noluisse huiusmodi famulos ad restitutionem obligare.*

13 *Cap. sicut non suo, 46. d. quomodo intelligendus sit, explicatur.*

14 *Intrinsecè malum nulla ratione potest fieri bonum.*

IN hac re pugnantes extant opiniones.
1 Nam prima sententia fuit Caiet. 2. 2. q. 63. ar. 7. Nauar. in suo Man. c. 17. num. 267. & Mol. in suo tract. de cõtr. disp. 331. dicentiũ, famulos vsurariorũ, licèt meri sint executores, & qui mutuũ tantũ deferãt ex ordine suorũ Dominorũ, sciẽtes esse ad vsurã, vel vsuras recipiũt, quas mutuatarij erãt adhuc solu-

soluturi, lætalem culpam contrahere, & ad vsurarum restitutionem teneri, Dominis non restituentibus. Vndè sub horum opinione comprehenduntur famuli campsorum dantium eorum pecunias cambio sicco; quia huiusmodi campsores, vt sæpe diximus, sunt verè vsurarij, cùm cambium siccum non sit aliud quàm palliatum mutuum vsurarium coopertum pallio cambij, vt adnotauimus supra in procem. q. 12. vers. Siccum verò. Probatur hæc ipsa sententia primò per tex. in cap. sicut non suo, 46. d. vbi habetur, quod sicut aliquis non suo, ita nec alieno nomine fœnus exercere debet. Indecens enim est crimen suum commodis alie-
2 nis impendere, & exercere: at famuli, de quibus agitur, quamuis sint meri executores, vt supra, nomine Dominorum suorum fœnus exercere, & vsuras exigere verè dicuntur, ergo, &c. Secundò probatur ratione, quia plus est causa, per quam fit actus,
3 quàm conditio, sine qua non fieret: atque ideò in plus se habet ignis ad comburēdam stuppam, qui dicitur causa efficiens illius combustionis, quàm approssimatio stuppæ ad ignem; quæ dicitur cōditio, sine qua non fieret talis combustio: quoniam ista inter causas non computatur: illa verò est verè causa, vt ex phylosophia constat; sed qui concurrit ad exercēdum cambium siccum, & sic ad crimen vsurarum, vel ad earum exactionem, tanquam conditio sine qua non; vt quia sine ipsius interuentu, vel auctoritate non soluerentur vsuræ, & non celebraretur contractus vsurarius, peccat, & ad restitutionem tenetur, vt rectè probat Salon. 2. 2. q. 78. ar. 3. contr. 9. num. 4. in fin. siquidem licèt in naturalibus conditio sine qua non, effectiuè non concurrat, sed reducatur ad genus causæ efficientis; in morali-
4 bus tamen conditio sine qua non inferretur damnum perinde obligat ad reficiendum illud, ac si efficienter concurreret. Ergo tanto magis famuli prædicti tenentur, qui effectiuè concurrunt ad contractus vsurarios, & ad extorsionem vsurarum, atque ideò sunt verè causa: & propterea peccant, & tenentur ad restitutionem. Et si diceretur, quòd Domini fuissent adhuc contractus vsurarios celebraturi, & vsuras exacturi, famulis id non agentibus; tunc respondebimus, hoc ad rem non facere: nam si quis lacessitus iniuria suis famulis præcipiat, illum qui contumeliam intulit, interfici; esto quòd Dominus illum occidisset, famulis recusantibus, famuli ipsi si talem occiderint, verè causa dicuntur illius homicidij, & tenentur ad interesse, nec excusantur à restitutionis obligatione plusquam à pęna mortis.

5 Secunda sentētia, quæ nobis magis probatur, est Sylu. in sum. ver. vsura, 7. q. 4. Salon. loco citato, Less. lib. 2. de iustit. & iur. cap. 20. dub. 21. num. 181. Azor. lib. 5. Inst. moral. cap. 17. q. 9. p. 3. & aliorum. Pro cuius explicatione est adnot. quòd famulorum exigentium vsuras, aut dantium ad cābia sicca, & ad vsuras nomine suorum Dominorum, quatuor sunt genera. Nam quidam eorum ita agunt suorum Dominorum vices, vt apud eos resideat principalis Dominorum authoritas, vt sunt Agentes, & factores habentes potestatem, & auctoritatem à Dominis suis ad celebrandos contractus, & compellendos, qui acceperūt ad cambium siccum, & sic mutuatarios coram Iudice ad soluendas vsuras, &c. Quidam autem famuli appellantur rationales, habentes scilicet libros rationum dati, & accepti, in quibus scribunt, & adnotant contractus omnes, quos celebrant eorum Dominorum: & omne id, quod alijs præstant, aut ab alijs recipiunt. Alij sunt campsorum vsurariorum pecunias custodientes, ac numerantes. Alij denique famuli sunt deferētes pecunias ad quoscūque à Dominis suis mittuntur, exigentes ab illis, eosdemque rogantes, vt soluant, sine tamen auctoritate aliqua compulsiua, quales sunt communes famuli cuiuscunque Domini. His breuiter sic adnotatis, sit

Prima Conclusio.

6 Famuli, qui tanquam negotiorum gestores, procuratores, & factores Dominorum suorum cambia sicca, atque ideò contractus vsurarios celebrant, & vsuras exigunt, peccant mortaliter, & ad restitutionem tenentur. Hæc conclusio est Nauar. in Man. cap. 17. num. 267. Azor. & Less. locis citatis, ac aliorum. Probatur, quoniam

eo ipso, quòd vice, ac auctoritate Dominorum celebrant prædicta cambia, & lucrum vsurarium exigunt, dicuntur efficienter cōcurrere ad fœnerandum, & formaliter cooperari. Quæ quidē conclusio vera est, etiam si famuli prædicti in exigendis vsuris non vrgeant, & accipientes cambio sicco alioquin spontè erant vsuras soluturi, vt contra Sot.lib.6.de iustit.& iur.q.1. artic.4. tenet Less. ibidem, num.183. Siquidem eo ipso, quòd vsuras exigunt, dicuntur iniuriam inferre cambio sicco accipientibus, cùm iure Dominorum suorum, quod nullum est, vsuras exigant, & directè spolient alterum re aliena. Verum tamen est, quòd Syl. in supra relato loco, & alij Doctores ab eo citati nostram conclusionem putant esse veram, quotiescunque prædicti famuli de mandato Dominorum generali contractus vsurarios celebrant, & vsuras exigunt: quia in eorum optione erat mutuare, & non mutuare, seù cambia sicca celebrare, exigere, & non exigere vsuras: secus autem de mandato Dominorum speciali. Vndè si tales ex speciali Dominorum mandato, dicentium, date Sempronio cambio sicco centum, seù mutuate, mutuent, & dent cambio sicco, licèt peccent; restituere tamen, ait, non tenētur. Sed hoc dictum communiter reijcitur: quoniam hoc etiam secundo casu famuli dicuntur verè cooperari iniquitati vsurariorum: cùm igitur actio cooperāris sumat speciem ab actione eius, cui cooperatur, sicut fœnerator peccat dando ad cambium siccum, & sic fœnerando, & ad restitutionem tenetur; ita etiam famuli, qui de speciali ipsius mandato fœnerantur, & vsuras exigunt. Non tamen negamus, prædictos famulos liberos esse ab obligatione restituendi, si bona fide negotia gerant dominorum suorum, inculpabiliter ignorantes vsuram, quam Dominus exerceat: quia tunc culpam aliquam non contrahunt, nec restitutioni manent obnoxij. Etenim non tenentur ratione rei acceptæ, cùm supponamus vsuras exactas fuisse Domino consignatas. Nec ratione iniustæ acceptionis cùm sint in bona fide: ergo nullo pacto ad restitutionem obligantur. Ita Nauar. & Salon. locis supra citatis.

Secunda Conclusio.

Famuli tenentes libros rationum dati,
7 & accepti, in quibus annotant contractus vsurarios, & cambia sicca ab eorum Dominis celebrata, peccant, & tenentur ad restitutionem eodem modo, ac Notarij, seù Tabelliones conficientes, seù rogantes vsurarios contractus: siquidem libri rationum
8 fidem faciunt ad instar instrumentorum, vt in l.1. & ibi Doctor. C. de eden. Vndè distinguendum est sicut de Notarijs diximus q.præced. conclus.3. illat.4. Quocirca in
9 Prouincijs vbi mutuatarij, & accipientes cambio sicco compelluntur in iudicio ad soluendas vsuras promissas, cùm vigore dictorum librorum compelli possint, supradicti famuli vt supra rationales peccant, & restituere tenentur: quia effectiuè concurrunt ad iniquitatem vsurariorum. In Prouincijs, aut in quibus cambia sicca, & contractus vsurarij omninò prohibentur, cum vigore dictorum librorum mutuatarij, & qui cambio sicco accipiunt compelli non possint ad vsuras soluendas, hinc fit, huiusmodi famulos nō teneri ad restitutionem aliquam; dummodò fideliter scribant, quod actum est, & non palliatè, vt colligitur ex his, quæ docet Salon.2.2.q.78.ar.3. contr.9. col.4. vers. In Prouincijs.

Tertia Conclusio.

Famuli tertij, & quarti generis custo-
10 dientes tantum pecunias, aut illas numerantes, nullam tamen habentes auctoritatem à campsore vsurario ad exercenda cambia sicca, & alios contractus vsurarios, vel ad aliquid exigendum; sed seruientes illis eodem modo, quo omnes famuli inseruiunt, conferentes pecunias ijs, quibus Domini ipsorum præcipiunt, vt conferant, & recipientes, quæ Domini præcipiunt, vt recipiant, ad restitutionem aliquam non tenentur. Etenim hi non concurrunt effectiuè ad cambia sicca exercenda, & ad contractus vsurarios celebrandos, & ad vsurarum solutionem; sed habent se merè materialiter. Ita Salon. loco citato, & Palud.in 4.d.15.q.2.ar.3.num.17. vbi ait, famulum denigrantem solùm manus suas in computanda

tanda

tanda pecunia vsuraria, non teneri ad aliquam restitutionem: quia sola, & nuda actio computandi citra vllam auctoritatem exercendi contractum aliquem, non est satis, vt quis effectiuè dicatur concurrere ad vsuras exercendas.

11 Imò prædicti famuli eodem modo videtur à lætali culpa excusari, sicut excusantur famulæ, quæ non inuenientes meliorem conditionem, meretricibus publicis inseruiunt, sub aliqua conuenta mercede, singulis mensibus, sequentia obsequia præstantes, non vt eorum peccato consentiant, sed quia ad illa ex causa officij tenentur. Vndè si earum amasijs ostiū aperiant, quos sciunt cum earum Dominis peccaturos; aut Dominas ad amasiorum domus cōmittentur, eisdemque iubentibus cubilia sternant, litteras ad præfatos amasios deferant, aut ad eosdem dominarum iussu se conferant, & dicant, Dominæ vos expectant, sciētes, hæc & similia tendere, ac præparatoria esse fornicationibus, quamuis Dominæ, & amasij lætaliter peccent; ipsæ tamen seruæ, si peccatum eis displiceat, mortalem culpam non contrahunt. Idem dicendum est de illa, quę meretrici non locauit absolutè operas suas mestruas; sed particulariter rogata, præstat modò vnū, modò aliud ex dictis obsequijs: & de famulis inseruientibus in illa domo, in qua Dominus domus tenet concubinam publicè loco vxoris: possunt enim prædicta obsequia præstare, si meliorem cōditionem non inueniant, & ea ad bonum finem exhibeant, vt suo scilicet munere fungantur ob iustam mercedem; non autem ad finem cooperandi peccato: siquidem obsequia eiusmodi licet valdè sint adiuncta peccato; non tamen sunt in se, & ex sui natura peccata, & propterea seiungi, ac separari possunt à peccato, per finem diuersum, vt rectè inquit Nauar. lib. 5. p. 2. concl. 6. de pœnit. & remiss.

Quarta Conclusio.

12 SI verisimiliter credatur, vt verisimiliter in dubio credendum est, accipientes cambio ficto, atque ideò mutuatarios noluisse huiusmodi famulos etiam primi, ac secundi generis ad restitutionem obligare, tales estò quòd peccent; ad restitutionem tamen non sunt de facili compellendi: quoniam id cùm spontè non faciant, sed Dominorum iussu, nec ipsis emolumentum aliquod quæratur, non censentur accipientes vt supra, ac mutuatarij tanta iniuria affici, vt velint eos restitutioni esse obnoxios, vel saltem quin libenter sint condonaturi, si rogētur. Et ita de omnibus cooperantibus ad vsuras obseruandum esse, ait Molina de cōtract. disp. 331. in fine, Rebel. lib. 8. de vsur. q. 16. sec. 4. sub num. 18. & Less. lib. 2. de iustit. & iur. cap. 20. dub. 21. num. 183. & nos supra adnotauimus, q. præced. concl. 3. illat. 5. in fine.

Ad contraria modò facilè respondetur.

13 AD primum ex tex. in d. c. sicut non suo, 46. d. respondetur, quòd tex. ille intelligendus est de concurrentibus effectiuè ad exercitium, & solutionem vsurarum, iuxta ea, quæ supra adnotauimus, concl. 1. & 2.

14 Ad secundum dicimus, quòd argumentum est validum, quoad famulos primi, & secundi generis, vt patet ex ijs, quæ supra diximus in tertia concl. non autem quoad famulos tertij, & quarti generis; quoniam illi ad exercitium, & solutionem vsurarum materialiter tantùm concurrunt. Nec exēplum homicidij iussu Domini nostræ sententiæ dicitur aduersari: quoniam est dispar ratio: nam homicidium cùm sit intrinsecè malum nulla ratione potest benè fieri: & propterea non excusatur seruus ex ordine Domini hominem occidens, estò quòd nihil aliud intendat, quàm Domino obedire: & estò quòd Dominus fuisset illum aliàs interfecturus, recusante famulo. At conferre pecuniam alicui, deferre illam in domum alterius, exigere, &c. secundùm se non sunt actus mali: & ideò possunt benè fieri, si ad aliquem bonum finem dirigantur: eo quòd debeat illa obsequia famulus præstare ratione sui muneris, non intendēs ex eis vsuram, & peccatum Domini; sed illi tantùm obedire: sicut diximus de obsequijs meretrici exhibitis: & de famulo dici potest, qui iussu Domini sui ad meretricem pecuniam defe-

deferat; quia vbi intuitu fornicationis illam non defert; sed vt Domino tantùm obediat, non peccat. Ita Salon. loco citato.

An deponens pecuniam apud campsorem vsurarium hoc tantum animo, vt securius custodiretur; si non habeat aliam, & cum ea fœneretur, dicatur cooperari peccato illius, atque adeo ad aliquam restitutionem teneatur. Q. LXXV.

SVMMARIVM.

1 *Vsurarius, qui pecunia apud ipsum deposita vtitur ad fœnerandum, duplicem culpam contrahit secundum aliquos.*

2 *Deponentem pecuniam custodia causa apud vsurarium, quam nouit probabiliter datu rum ad cambia sicca, seù mutuo sub vsuris, peccare, non autem ad restitutionem teneri, qui velint, referuntur.*

3 *Deponens pecuniam apud vsurarium custodia tantùm causa vt supra, & probabiliter credens ea se vsurum ad exercenda cambia sicca, si peccat, tenetur etiam ad restitutionem.*

4 *Mutuans pecunias parato ad fœnerandum, & quem probabiliter credit eis se vsurum ad cambia sicca, peccat, & tenetur ad restitutionem.*

5 *Deponens pecuniam apud campsorem vsurarium, quem certò nouit ea vsurum ad celebrandum cambia sicca, non est particeps culpa infidelis custodia.*

6 *Deponens pecuniam apud campsorem vsurarium, quem certò nouit ea se vsurum ad cambia sicca, esto quòd custodia tantùm causa deposuerit, peccat mortaliter, & tenetur ad restitutionem.*

7 *Furioso gladium committens, virginem viro turpi, aut cibum guloso, peccat mortaliter, & tenetur ad compensandum damnum inde secutum.*

8 *Instrumenta conferens ad nocendum alteri, esto quòd ille paratus sit ad nocumentum illud inferendum, cooperatur peccato illius, & tenetur ad damni satisfactionem.*

9 *Vsurariæ prauitatis ratio, & natura quanam sit, ostenditur.*

10 *Differentia inter petentem mutuo ab vsurario, & deponentem pecuniam apud vsurarium, assignatur.*

11 *Deponens pecuniam apud vsurarium paratum ad fœnerandum, vt supra, quam culpam contrahat, explicatur.*

12 *Differentia magna est inter viatorem tradentem pecuniam latroni, quam rapiat, ne occidat, & deponētem pecuniam apud vsurarium, paratum ad fœnerandum, vt supra.*

Difficilis re vera est ista quæstio, & ideò antequam ad eius explicationem deueniamus pro tituli intelligentia sequētem casum præmittimus figurandum. Titius v. g. peregrè profecturus mille aureos, quos habebat deposuit apud Sempronium campsorem, quem certò nouit eis vsurum ad cambia sicca, & ad fœnerandum; cum sit vsurarius, & aliam pecuniam tunc temporis non habeat præ manibus, licet sit ditissimus; verum Titius ipse bona fide dictā pecuniam deposuit, & hoc tantum animo, vt apud illum campsorem securius custodiretur. Durante Titij peregrinatione, campsor ipse præfatos mille aureos dedit cambio sicco Meuio, à quo extorsit pro lucro vsurario aureos quinquaginta. Quæritur modò, an ipse Titius culpam aliquem contraxerit, & ad prædicti lucri vsurarij à campsore extorti restitutionem teneatur?

In hac difficultate tres extant opiniones.
1 Prima sententia fuit Caiet. 2. 2. q. 78. art. 4. quam non nulli ex Recentioribus sequatur, dicentis duo, præmisso prius vnico fundamento. Supponit autem Caiet. vsurarium, qui pecunia apud ipsum deposita vtitur ad fœnerandum duplicem culpam contrahere. Infidelis scilicet custodiæ, cùm depositarius teneatur pecuniam apud se depositam fideliter custodire, & non distrahere, & ad proprios vsus conuertere: & iniustitiæ contra mutuatarium, cui pecuniam ipsam sub fœnore tribuit. Hoc supposito, Caietanus inquam dicit duo. primò, deponentem pecuniam vt supra penes vsurarium, quem certò nouit ea vsurum ad fœnerandum, esse participem culpæ infidelis cu-

custodiæ, quam fœnerator contrahit, depositam pecuniam distrahendo, cùm illi præbeat peccati materiam, sciens actum illum infideliter eum præstaturum. Nec obstat si dicatur, quòd petens mutuo ab vsurario parato ad fœnerandum cum debitis circumstantijs, estò agnoscat illum citra culpam, atque adeo sine vsuris non daturum, tamen non peccat; quoniam respondetur, petentem mutuum non proponere illi aliquam materiam peccati; sed postulare tantùm ab ipso actum, quem honestè, ac iustè exhibere potest, nempe actum mutui: quod autem illi nolit aliter mutuare, quàm sub fœnore, vitio eius fieri, non culpa postulantis mutuū. At qui deponit pecuniam apud vsurarium, quem nouit ea vsurum ad fœnerandum, quamuis eo tantùm fine illam tribuat, vt securius ab eo custodiatur; offert nihilominus illi, ac proponit materiam peccati infidelis custodiæ: sicut qui dat gladium furioso: offerre autem parato ad peccandum materiam peccati, peccatum est. Secundò dicit ipse Caiet. quod deponens vt supra pecuniam apud vsurarium, quem nouit ea vsurum ad fœnerandum, si fœnerator ad vsuram illam dederit, non est particeps illius iniquitatis, ac iniustitiæ, cùm non tradiderit illi pecunias suas, vt cum illis vsuras exerceat; sed in custodiam dumtaxat, & in depositum. Ex quibus infert idem Caiet. quòd deponēs, vt supra pecunias suas apud vsurarium, quem certò nouit eisdem vsurum ad fœnerandum venialiter tantùm peccat; quia cùm infidelis illa custodia non cedat in damnum aliquod deponentis pecuniam apud illum, vt supponimus, venialis tantùm culpa dicitur.

Probant Caiet. & sequaces hanc sententiam, prætendentes eam esse D. Thomę pluribus argumentis. Primò sic argumentantur, Petens mutuum sub vsuris ab vsurario parato ad fœnerandum, conferens illi in pignus rem frugiferam, non peccat: ergo neque, qui deponit apud illum pecunias suas custodiendas. Antecedens patet. Probatur consequētia, quia vterque hoc casu eodem modo se habet. Etenim si dixeris, deponentem pecuniam apud vsurarium offerre illi materiam peccandi: ergo etiam dicam, peccandi materiam offerre, ac proponere illi petentem mutuo ab eo sub vsuris, cōferendo illi in pignus rem, cuius fructus ipse recipiat pro mutuo. Sic etiam petens mutuo pecuniam à fœneratore, præuidit, ac nouit illum paratū ad exercendas vsuras prædicta pecunia, præuidit etiam, ac nouit petens mutuo ab illo, non aliter mutuaturum, quàm sub vsuris. Si denique petens mutuo sub vsuris non intendit peccatum vsurarij, sed suæ tantùm consulere necessitati; neque etiam committens illi suam pecuniam, intendit culpam aliquam, sed securitatem dumtaxat, & custodiam illius. Vndè cùm eadem sit vtriusque ratio, sicut petens ab vsurario mutuum vt supra sub vsuris, nullum committit peccatum, ita neque deponens apud illum propriam pecuniam. Secundò probatur hęc sententia; quia si deponens vt supra pecuniam apud cāpsorem vsurarium culpam aliquam committeret, hæc profectò alia non esset, quàm culpa scandali, quasi inducens illum ad vsuras exercendas; sed hoc est falsum, ergo, &c. Probatur minor, quia cum vsurarius huiusmodi sua prauitate sit satis paratus ad fœnerandum, nullam illi censetur tribuere scandali materiam. Tertiò viator incidens in latrones paratos ad occidendum, vel rapiendum, tribuens illis pecuniam, quam rapiant, ne occidant, non peccat: estò sciat latrones ipsos ea abusuros in iniuriam Tertij: ergo nec deponens pecuniam apud vsurarium; estò sciat illa vsurum ad fœnerandum, atque adeo in dānum, ac iniustitiam mutuatariorum: quia sicut viator suam pecuniam latronibus confert ad suam vexationem redimendam, ita deponens vt supra suam pecuniam apud vsurarium deponit, vt securius custodiretur. Quartò licitum est vti peccato alicuius parati ad peccandum, quando peccatum illud cedit in bonum aliquod, vt supra probauimus: ergo licitum quoque est vnicuique pecunias suas apud vsurarium deponere; estò quòd illum nouerit paratum ad fœnerandum ex eis. Probatur consequentia: quia illud peccatum cedit in bonum pecuniam deponentis, cùm apud cāpsorem vsurarium eiusmodi securius custodirentur.

Secunda sententia est Molinæ de contract. disp. 331. num. 4. Rebell. lib. 8. de vsur. q. 16. sec. 4. num. 10. & aliorum, dicentium, de-

deponentem vt ſupra pecuniam apud vſurarium, quem nouit ea vſurum ad fœnerandum, peccare quidem mortaliter; non tamen teneri ad reſtitutionem vſurarum, quas vſurarius ea pecunia acquiſiuit: quoniã ex charitate tantùm, non autem ex iuſtitia tenetur deponens vitare peccatum prædicti depoſitarij, & damna aliorum proximorum: quæ tamẽ omnia in ipſorum poteſtate erat; vitare ſi vellent. Et idem omninò dicunt eſſe dicendum ſi mutuo, aut quocunque alio iuſto titulo eandem pecuniam eidem vſurario dediſſet, non intendens, quòd ea ratione vſuras exerceret. Quòd ſi præfatus vſurarius, vt ſupra depoſitarius habeat, aut facilè habiturus erat alias pecunias, quibus eodem modo vſuras exercuiſſet, tunc volunt, deponentem non peccare, nec reſtitutioni eſſe obnoxium.

Tertia ſententia eſt Sot. lib.6. de iuſt. & iur. q.1. art.5. ad ſecundum, quem ſecuntur nonnulli ex Diſcipulis D. Thomæ relati à Salon. 2.2.q.78.art.4. contr.4. dicentium, prius illud Caiet. dictum eſſe verum; poſterius verò omninò falſum, & contra mentem D.Thomæ loco citato, in reſp. ad 3. Hæ ſunt opiniones in hac re concurrentes, reſtat modo, vt quid nobis dicendum ſit videamus. Pro determinatione igitur huius difficultatis, ſit

Prima Concluſio.

3 Nobis non probatur ſupra relata ſecunda opinio ex Molina, & alijs, dicentibus deponentem, vt ſupra pecuniam apud vſurarium, quem nouit ea vſurum ad fœnerandum, & non habentem aliam pecuniam præter depoſitam; eſtò quòd bono animo deponat, vt ſecurius cuſtodiretur peccare mortaliter; non tamen teneri ad reſtitutionem vſurarum, quas vſurarius à mutuatarijs extorſit. Probatur hæc concluſio: nam ſi deponens vt ſupra peccaret mortaliter ex Molina, & alijs, quæro, qua ratione peccet? Aut enim peccat, quia poſitiuè ſe habet ad iniquitatem, & iniuſtitiam vſurarij, ſicut, qui adulterinam clauem confert furi ad furandum, dicitur poſitiuè ad furtum concurrere: vel ideò peccat, quia negatiuè ſe habet; ſicut, qui videt furem vicini domum introeũtem, & furantem, & non prohibet furtum fieri. Non poteſt dici ſecundum, vt patet, quia deponens non modo non prohibuit, ſed materiam præbuit ad fœnerandum. Quòd ſi primum; ergo ſi deponens vt ſupra peccat mortaliter, tenetur etiam ad reſtitutionem vſurarum, quas vſurarius pecunia depoſita extorſit: ſiquidem cùm poſitiuè concurrat ad iniquitatem, & iniuſtitiam vſurarij, ſiuè concurrat vt cauſa efficiens; ſiuè vt cauſa inſtrumentalis, ſiuè vt conditio ſine qua non, ſemper dicitur effectiuè concurrere, & cooperari iniquitati, ac iniuſtitię vſurarij: & propterea ſicut vſurarius peccat, & tenetur ad reſtitutionem, ita etiam deponens vt ſupra pecuniam: quoniam actio cooperantis ſumit ſpeciem ab actione eius, cui cooperatur. Nec obſtat ſi dicatur, quòd ex debito charitatis, non autem ex debito iuſtitiæ tenemur damnum proximi vitare, & proinde non vitãdo, peccamus tantùm mortaliter, non tamen tenemur ad reſtitutionem; ex quo reſtitutio datur ex debito iuſtitiæ: quocirca deponens vt ſupra cùm ſolùm ex charitate, & non ex iuſtitia teneretur mutuatariorum damnum vitare, peccat tãtùm mortaliter; non tamen ad reſtitutionem tenetur: Quoniam reſpondetur, quòd tunc ex debito charitatis tenemur vitare damnum proximi, quando concurrimus ad illius damnum negatiuè, vt patet in vidente furem ingredientem domum alicuius, & non prohibente, cùm poſſit: ſecus autem quando concurrimus ad damnũ proximi poſitiuè, vt in caſu noſtro: quia tunc non modo damnum illud tenemur vitare ex debito charitatis; ſed etiam ex debito iuſtitię: & propterea deponens vt ſupra non modo peccat mortaliter; ſed tenetur quoque ad reſtitutionem, vt latius infra probabimus, concl.4.

Secunda Concluſio.

4 Nobis non probatur pariter opinio Molinę, & aliorum exiſtimantium; mutuantem pecunias parato ad fœnerandum, non habenti alias pecunias præter mutuatas, & quem certò nouit eis vſurum ad fœnerandum, peccare mortaliter; non tamen teneri ad reſtitutionem vſurarum;

quas

quas pecunia mutuata extorsit à mutuatarijs. Hæc cõclusio patet ex dictis in præcedenti conclusione. Etenim si deponens vt supra, supposito quòd peccet, tenetur ad restitutionẽ; multò magis compellitur mutuans: siquidem deponens posset excusari, vt in præfata conclusione diximus, quòd vtitur iniquitate vsurarij parati ad fœnerãdum ad bonum aliquod consequendum, nempè vt sua pecunia securius custodiretur: quæ tamen ratio nullo modo in mutuãte militat, cum ex tali mutuatione nullum commodum sperare possit, cap. consuluit, de vsur.

Tertia Conclusio.

5 Deponens pecuniã apud campsorem vsurarium, quem certò nouit ea vsurum ad celebranda cambia sicca, atque adeò ad fęnerandum, non est particeps culpæ infidelis custodiæ. Hæc conclusio est contra Caiet. & alios. Probatur, quia vsurarius distrahendo pecuniam apud ipsum depositam non contrahit culpam infidelis custodiæ: nam cùm deponitur pecunia, vel alia res, quæ in eodem genere functionem recipit, & à deponente nõ prohibetur vsus, depositarius potest deposito in his rebus consistente, vti, vt in l. si sacculum, ff. depos. & in l. in naue, ff. locat. ergò nec deponens potest esse talis culpæ particeps, cùm is, cui cooperatur, talem culpam non contrahat. Confirmatur, quia cùm deponens sciat cõditionem depositarij, atque ideò certò nouerit, eum pecunia deposita vsurum ad fœnerandum, censetur tacitè consentire illius distractioni: sicut è conuerso, cùm ipse vsurarius sciat, deponentem non ignorare suam conditionem, suscipiens depositum verisimiliter credere potest, deponẽtem ratum habiturum vsum eius: & propterea nõ peccat, atque adeò non dicitur infideliter se habere vtens pecunia apud ipsum deposita, iuxta ea, quæ habentur ex Azor. par. 3. Inst. moral. lib. 7. cap. 7. de depos. q. 8.

Quarta Conclusio.

6 Deponens pecuniã apud campsorem vsurarium, quem certò nouit ea vsurum ad celebranda cambia sicca, & sic ad fœnerandum, eo quòd non habeat aliam pecuniam præter depositam, estò quòd bono animo deponat, vt scilicet securius custodiretur, peccat contra iustitiam, atque adeò mortaliter, & tenetur ad restitutionẽ. Hæc conclusio est contra Caiet. Molin. & alios, & patet ex ijs, quę supra adnotauimus concl. 1. Probatur rursus hęc eadem cõclusio auctoritate D. Thom. 2. 2. q. 78. ar. 4. in sol. 3. arg. vbi ait, tribus modis pecuniam deponi posse apud vsurarium. Primò vt deponatur apud vsurarium nullam aliam pecuniam habentem præter eam, quæ illi committitur custodiendam, bono tamen animo, id est ad finem, vt securius custodiretur. Secundò, vt deponatur apud vsurarium habentem quidem alias pecunias, sed malo animo, hoc est, vt maiores exerceat vsuras. Tertiò deponitur pecunia apud vsurarium habentem alias pecunias, sed eo animo, vt illam tantùm custodiat; quia apud eum securius iudicatur custodiri, quã apud alios; qua distinctione sic habita, inquit D. Thom. deponentem pecuniam apud vsurariũ primo, & secundo modo, dare illi materiã peccandi, ac esse vtrumque participem culpæ, quam vsurarius committit: deponentẽ verò apud vsurarium tertio modo, non peccare, sed vti tantùm peccato illius ad bonum finem, ad suum scilicet commodum, & pecuniæ securitatem. Vndè in casu nostro deponens vt supra pecuniam nullo modo dicitur immunis à lętali culpa, & restitutione, cùm dicatur cooperari iniustitiæ vsurarij; nisi velimus dicere, D. Thom. cum Caiet. per culpam intelligere peccatum infidelis custodiæ, atque adeò, deponentem vt supra esse participẽ culpæ venialis: quod quidem videtur, omninò alienũ à mente D. Thom. cum simpliciter dicat, vtrunque esse participem culpæ, quam vsurarius committit: & propterea cùm simpliciter loquatur, intelligendus est de culpa mortali iniustitiæ, quã deponens committit cooperãdo iniustitiæ vsurarij, vt vsurarius est, nõ autem vt custos; atque ideò in vsuris extorquendis à mutuatarijs: & in dubio, cùm dispositio loquitur simpliciter de culpa, intelligenda est de mortali.

Præterea hæc eadem sententia probatur ratione

7 ratione ab eodem D.Thom.loco citato relata. Etenim, qui committit gladium furioso, aut virginem viro turpi, vel cibum guloso, peccat mortaliter, & tenetur ad compẽsandum damnum inde secutum; cuius rei alia ratio assignari non potest, nisi quia præbuit illis materiam peccãdi, & occasionem inferendi damnum illud: ergo eodem pacto, qui deponit pecuniam apud vsurariũ, quem nouit paratum ad fœnerandum, nec habere alias pecunias, quibus iniquitatem suam exerceat, præter depositas, peccat, & ad restitutionem tenetur vsurarum, quas vsurarius extorsit: quoniam illi materiam offert peccandi, & occasionem proximam fœnerandi. Confirmatur; quia restituens gladium apud se depositum domino petenti illum ad alterum offendendum, illius offensionis, ac culpæ efficitur particeps, & ad restitutionem damni: eo quòd materiam illi prębuit peccandi, & damnum inferendi, vt latè probat Salon. 2.2.q.62.ar.5. contr.2. ergò multò magis, qui deponit pecuniam, apud vsurarium, quem nouit ea vsurum ad fœnerandum, peccat, & ad restitutionem tenetur: quoniam minus inconueniens est eo casu restituere rem depositam domino petenti illam; quàm deponere pecuniam apud vsurarium, vt supra: nam qui petit depositum, petit rem suam sibi debitam, & quam simpliciter tenetur depositarius restituere, nisi immineret periculum illud nocendi alteri: at verò nullo iure nec simpliciter, nec absolutè, nec ex aliqua circumstantia tenetur aliquis pecuniam suam apud mutuatarium deponere: vndè magis voluntariè concurrit vt supra deponẽs ad iniquitatem vsurarij, quàm restituens gladium Domino petenti ad iniquitatem illius.

Denique conferens instrumenta ad no-
8 cendum alteri, estò quòd ille paratus sit ad nocumentum illud inferẽdum, cooperatur peccato illius, & tenetur ad damni satisfactionem, vt cùm quis latroni parato ad ingrediendum domum aliquam, & furandum, clauem adulterinam, aut ferramenta præbeat ad fores effodiendas. vt l. si pignore, §. qui ferramenta, ff. de furt. ergò idem dicendum est in casu nostro, vt qui deponit pecuniam apud campsorem aliquem vsurarium paratum ad dandum pecunias cambio sicco, & sic ad fœnerandum, cooperetur iniquitati, & iniustitiæ vsurarij, atque adeò peccat, & tenetur ad vsurarum restitutionem.

Nec valet responsio quorundam defen-
9 dentium sententiam Caiet. & dicentium, quòd est magnum discrimen inter mutuatarium soluentem vsuras, & eos, quibus infertur damnum aliquod, aut iniuria, vt in argumentis supra relatis; quia mutuatarius ipse pecuniam quærit ab vsurario, & mouetur ad illas quærendas, & accipiendas mutuo, seù ad cambium siccum à sua necessitate, commoditatemque recipit ex eis ad suam necessitatem subleuandam, sibi grauiorem, quàm sit vsurarum solutio: quapropter non arbitratur se offensum ab eo, qui pecunias illas apud vsurarium deposuit; quin potius gaudet se inuenisse vsurarium, à quo pecunias illas mutuo accipiat, cùm illis egeat, nec aliquem, qui gratis sibi mutuare velit, inueniat. At verò qui damnum aliquod, vel iniuriam recipit ab aliquo, vt percussus, & spoliatus ab illo, mediante aliquo instrumẽto, ab alio accepto, vtriusque culpa damnum illud patitur, & iustè de vtroque conqueritur: quo circa conferens alteri instrumenta, vel ferramenta, quibus alicui tertio damnum inferat, verè dicitur cooperari peccato illius, & ideò peccat, & tenetur ad reficienda damna, deponens autem vt supra cùm non dicatur propriè cooperari iniustitiæ vsurarij, non peccat, nec tenetur ad restitutionem; Quoniam respondetur, quòd prædicti Caiet. sic defendentes, non considerauerunt propriam rationem, ac naturam vsurariæ prauitatis, vt rectè docet Salon. loco citato: cuius iniquitas non consistit in eo quòd vsurarius præueniatur, vel quæratur à mutuatario, neque in eo quòd per vsuras maius, vel minus damnum patiatur mutuatarius, quàm sunt vsuræ, quas soluit: neque in eo quòd sentiat sibi iniuriam inferri, & conquęratur; sed in eo quòd recipiatur ab ipso aliquid vltra sortem ex vi mutui, ita vt quantumuis mutuum illud vsurariũ vtile forsan illi sit, & gratum; exercet tamen vsurarius iniquitatẽ vsurę, si quid ratione illius mutui vltra sortem recipiat. Vndè sequitur, vt quicunque concurrit ad mutuum illud mutuatario conferendum, concurrat etiam

ad

ad iniquitatem vsurariam, quæ in illo committitur. Cùm igitur deponens vt supra pecunias apud vsurarium non habentem alias præter depositas, & quem nouit illis vsurum ad fœnerandum, se habeat eodem modo, ac qui traderet gladium furioso, vel clauem adulterinam latroni, estò quòd solùm intẽdat illarum custodiam, consequenter est dicendum, vt sicut tradens vt supra peccat, & tenetur ad damnorũ refectionem; ita etiam & deponens vt supra pecunias, peccet, & restitutioni reddatur obnoxius.

Restat modo, vt ad argumenta respondeamus.

10 AD primum primæ sententiæ dicitur, discrimen esse inter petentem mutuum ab vsurario parato ad fœnerandum: & deponentem vt supra, pecuniam suam apud illum: nam petens vt supra mutuum sub vsuris, concurrit passiuè tantùm ad iniquitatem vsurarij, vt supra diximus: & propterea non peccat, nec ad restitutionem tenetur. At verò deponens vt supra, concurrit effectiuè, & vt causa instrumentalis ad iniquitatem eiusdem, & ideò peccat, & ad restitutionem tenetur. Præterea petens mutuum sub vsuris ab vsurario neminem afficit iniuria, sed ipse potius iniuria afficitur, vt aliàs probauimus: qui verò deponit pecuniam apud vsurarium facit iniuriam mutuatarijs, à quibus vsurarius vsuras recipiet: & propterea huiusmodi damnum illi imputatur, cùm posset, & deberet illud vitare.

Ad secundum negatur minor: nam de-
11 ponens vt supra non peccat peccato scandali, cùm vsurarius ille sua iniquitate sit satis inductus ad fœnerandum, sed peccat cõtra charitatem, & iustitiam debitam mutuatarijs; quia cùm præbeat illi instrumenta, ac materiam vsuræ, concurrit cum illo efficienter ad iniquitatem vsurariam, & ad damnum mutuatariorum.

Ad tertium negatur consequentia: quia
12 magnum discrimen est inter viatorem tradentem pecuniam latroni, quam rapiat, ne occidat: & deponentem pecuniam apud vsurarium: nam etsi deponat illam ad proprium commodum, vt securius custodiretur; hæc tamen commoditas non est dicenda necessitas aliqua, seù vexatio, ad quam redimendam liceat ei offerre vsurario materiam peccati; qui verò incidit in latrones, quamuis sciat pecunias suas in alterius dãnum esse conuertendas, potest tamen illas latronibus offerre, quas rapiant, ne occidãt; quidquid sit de damno alterius, cùm ad redimendam propriam vexationem id faciat, cui potius prospicere debet, quàm alienæ.

Ad quartum negatur pariter consequentia: quia licèt intendere securitatem pecuniæ suæ custodiam, liceat quidem; non tamen licitum est, id fieri cum alterius detrimento, & cùm certum illud sit, si apud vsurarium deponatur, idcircò nullo modo licet apud eum deponere, ne offerat illi instrumenta, quibus mutuatione vsuraria alijs noceat.

Ad contrarium secundæ sententiæ patet responsio ex dictis. Et quæ diximus de deposito proportionaliter dicenda sunt de mutuo.



COMMENTVM LEONARDI DVARDI IN §. SECVNDVM EXTRAVAG. PII PAPAE QVINTI.

DE CAMBIIS.



§. 2. *Porrò ad tollendas quoque in cambijs quantum cum Deo possumus occasiones peccandi, fraudesque fœneratorum, statuimus ne deinceps quisquam audeat, siuè à principio, siuè aliàs, certum, ac determinatum interesse, etiam in casu non solutionis pacisci, neque realia cambia aliter quàm pro primis nundinis vbi illa celebrantur; vbi verò non celebrantur pro primis terminis iuxta receptum locorum vsum exercere, abusu illo prorsus reiecto, cambia pro secundis, & deinceps nundinis, siuè terminis exercendi. Curandum autem erit in terminis, vt ratio habeatur longinquitatis, & vicinitatis locorum, in quibus solutio destinatur, ne dum longiores præfiguntur, quàm loca destinatæ solutionis desiderant, fœnerandi detur occasio.*

FVerunt in præcedenti S. cambia omnia ficca tanquam vsuraria per Roman. Pontificem damnata: & quoniam satis non est delicta prohibere, nisi delictorum quoque occasiones prędicerentur meritò idem Summus Pontifex in præsenti S. fœnerandi in cambijs occasiones tollens, tria sufficienter statuit. Primò pacta determinati interesse cambij, etiam in casu non solutionis, damnat. Secundò ne cambia realia fiant, nisi pro primis nundinis decernit. Et tertiò vt longinquitatis, & vicinitatis in terminis ratio habeatur, præcepit, vt latius, Deo duce, infra ostendemus, S. ipsum, eiusdemque particulas per suas qq. more solito explicantes.

Ibi, *Statuimus, &c.* An campsor aliquando possit pacisci cum campsuario de certo, ac determinato interesse à principio contractus. Q. I.

SVMMARIVM.

1 *Lex generaliter loquens, generaliter debet intelligi.*

2 *Pactum de certo, ac determinato interesse in cambijs licèt vi nostra Extrauag. damnetur, in multis tamen casibus est permissum.*

3 *Pactum de certo, ac determinato lucro in cam-*

cambijs est prohibitum de iure nouo tantùm; non autem iure communi, vel naturali, & Diuino: & propterea quoad forum interius est validum.

4 *Pactum de certo lucro, vt supra, licèt damnetur in cambijs; in alijs tamen contractibus permittitur.*

5 *Pactum de certo lucro in cambijs vi consuetudinis potest iustificari.*

6 *Pactum de certo lucro in cambijs non est intrinsecè malum; sed tantùm malum; quia prohibitum.*

7 *Pactum de certo interesse damni emergentis in cambijs vi nostræ Extrauag. licèt non prohibetur expressè; tacitè tamen videtur prohiberi.*

IN hac re videtur prima facie negatiuè
1 respondendum esse. Probatur ex nostro §. vbi apertè prohibetur pactum Inter campsorem, & campsuarium de certo, ac determinato interesse, vt patet ex illis verbis, *Statuimus, ne deinceps quisquam audeat siuè à principio, siuè aliàs certum, ac determinatum interesse, etiam in casu non solutionis pacisci.* Vbi est adnot. quòd nostra Dectetalis in ipso §. simplicitet, ac generaliter loquitur, nec distinguit; ergo, nec nos distinguere debemus, sed generaliter est intelligenda de quocunque pacto certi, ac determinati interesse: siquidem lex, quando generaliter loquitur, generaliter debet intelligi, & quãdo non distinguit, nec nos distinguere debemus, l. 1. §. generaliter, ff. de legat. præst. Ergo campsor vllo vnquam casu potest cum campsuario de certo, ac determinato interesse pacisci in contractu cambij, cùm contractus ipse ex eo iustificetur quòd incertitudinem continet lucri percipiendi ex vsu fori; ergo dum deducitur in pactum certum, ac determinatũ interesse, tale pactum proculdubio erit illicitum.

Hæc sententia licèt vera sit regulariter;
2 nihilominus non est adeo indistinctè vera, vt suas non habeat limitationes. Etenim limitatur primò, vt quamuis campsor non possit ab initio contractus cambij pacisci de certo, ac determinato interesse lucri cessantis cum campsuario; huiusmodi tamen taxatio si fiat, sustinetur pro illa quantitate, quæ ex verisimilibus coniecturis lucrari posset, deductis oneribus; dummodò postea per campsorem probetur, quòd verè erat tantum suum interesse, vt habetur ex Ioan. Bapt. Lup. in c. nauiganti, comment. 1. §. 6. num. 26. de vsur. in illis verbis, *Ita vt ex dubio euentu possit taxari aliqua pars honesti lucri arbitrio boni viri, soluenda post mortem debitoris; dummodò tamen per debitorem postea probetur, quòd verè tantum erat suum interesse: & quamuis illicita esset à principio facta; attamen per probationem postea subsecutam sustinetur illa conditio in vim probationis deducta.* Hanc eandem sententiam sequitur Molf. post quamplurimos Doctores in sua sum. p. 2. tract. 12. cap. 7. num. 76. & 77.

Secundò limitatur, vt licèt campsor non
3 possit pacisci de certo, ac determinato lucro, vt supra; nihilominus id verum est hodie de iure nouo, & vi nostræ Extrauag. quoad forum exterius tantùm: secus autem quoad forum interius, quando certificatio esset æqua coram Deo: quia dicta constitutio fundatur quoad hoc in præsumptione, cui non est locus in foro conscientiæ, vt in cap. tua, & cap. is, qui, de sponsal. Nauar. in Man. cap. 17. num. 301. §. nota quartò, & Molf. p. 2. suæ sum. tract. 12. cap. 7. num. 88. Sic etiam in contractu census, & si in Extrauag. eiusdem S. P. Pij V. de censib. non possit deduci in pactum certum, ac determinatum interesse, vt diximus in Commentar. dictæ Extrauag. §. 4. q. 23. num. 5. iuxta Felic. sententiam: imò nec interesse simpliciter iuxta opinionem Azor. quam ibidem retulimus, & veriorem esse ostendimus, num. 8. & seq. id tamen probauimus locum sibi vendicare ex dispositione dictæ Extrauag. dumtaxat; non autem de iure communi, nec naturali, atque ideò verum esse quoad forum exterius; non autem quoad forum interius, si interesse creditor verè fuerit passus: & hoc ideò, quia illa Extrauag. fundatur in præsumptione, quæ cessat in foro cõscientiæ, quando in contrarium est veritas, vt patet ex ijs, quæ adnotauimus d. q. 23. num. 17.

Tertiò limitatur, vt quãuis in cambiis nõ
4 liceat pacisci de certo, ac determinato lucro; nihilominus in alijs contractibus id non prohibetur, excepto cõtractu cẽsus: quoniã

nostra Decretalis loquitur de cãbijs tantũ, & propterea nõ habet locũ in alijs contractibus: siquidem à iure antiquo non receditur plusquam exprimitur, l. præcipimus, C. de appellat. & habetur ex Nauar. loco citato: vbi etiam quærit, an idem dicendum sit in mutuo, quod in cambijs; nempe quòd non possit fieri pactum in mutuo de certo, ac determinato interesse: & respondet negatiuè: quia nostra constitutio est exorbitans à iure communi paciscì à principio, vel postea ante terminum solutionis de interesse verisimili, vt certũ quid solueretur; etiam si deinde nullum appareat, vt rectè probat Sot. lib. 6. de iustit. & iur. q. 1. art. 3. & latè Scac. de commerc. & camb. §. 1. q. 7. par. 2. ampl. 8.

Quartò limitatur, quando extaret con-
5 suetudo alicuius Regionis in contrarium, sciente, & tolerante Rom. Pontifice, iuxta ea, quæ adnotauimus in Commentar. Extrauag. Pij V. de censib. q. 3. in procem. & in explic. procem huius Decretalis Extrauag. q. 2. Vndè si extaret consuetudo, vt deductis expensis ex cambio soluatur danti pecuniam certa summa, vigore dictæ consuetudinis posset fieri pactum in cãbijs à principio de certo, ac determinato lucro, vt benè docet Molſ. p. 2. suæ sum. tract. 1 2. cap. 7. sub num. 79. Etenim huiusmodi pactum non est intrinsecè malum; sed malum, quia
6 vi nostræ Extrauag. est prohibitum: ergo contra eam potest induci consuetudo, quæ dicitur lex non scripta, §. ex non scripto, de iur. natur. gẽt. & ciuil. Ex quibus patet, quòd pactum de certo lucro in cambijs non est vsurarium: aliàs consuetudine induci non posset, cùm contra ea, quæ sunt iuris naturalis consuetudo locum non habeat, vt in c. quç contra, 8. d. & latè Doctor. in cap. fin. de consuet. Et quamuis Molſ. contrarium videatur docere d. c. 7. num. 8. nihilominus id verum esse dicitur præsumptiuè dumtaxat, iuxta ea, quæ supra diximus, & ita puto intelligendum esse Molſ.

Quintò limitatur, vt licèt campsor non
7 possit hodie pacisci in cambio cum campsuario de certo, ac determinato interesse, stante dispositione nostræ Extrauag. id tamen intelligendum est de determinato interesse lucri cessantis; non autem damni emergentis: nam campsor conueniens cum campsuario de certo interesse ratione damni emergentis, non dicitur vendere vsum pecuniæ, sed damnum vitare, vt habetur ex D. Thom. 2. 2. q. 78. ar. 2. vbi etiam Caiet. Imò potest esse, quòd accipiens cambio maius damnum euitat, quàm dans incurrat, vt habetur ex Molſ. d. cap. 7. num. 75. quibus etiam adde, quæ adnotauimus in dictis nostris Commentar. in Extrauag. Pij V. de censib. §. 4. q. 24. Quod quidem licèt mihi videatur probabile; nihilominus cùm nostra Decretalis generaliter loquatur de interesse, nec distinguat de interesse lucri cessantis, & damni emergentis, puto probabiliter vi dictæ constitutionis prohiberi in cambijs non solùm pactum de certo, ac determinato interesse lucri cessantis; sed etiam de certo, ac determinato interesse damni emergentis: quoniam lex generaliter loquens, generaliter debet intelligi, & quando non distinguit, nec nos distinguere debemus, l. 1. §. generaliter, ff. de legar. præst. & eo magis quia non minus fraus committi posset in vno casu, quàm in altero. Est tamen verum, quòd si in cambio fiat pactum de certo interesse damni emergentis, sustinebitur pro ea parte, quæ ex verisimilibus coniecturis campsor pati posset; dummodo postea per campsorem ipsum probetur, iuxta ea, quæ supra diximus de interesse lucri cessantis.

An cambium, in quo campsor assecurat campsuarium, quòd cambia non excedent octo pro quolibet centenario, singulis annis, sit contra nostram Extrauag. Q. II.

SVMMARIVM.

1 *Cambium cum interesse limitato, & assecuratione, vt non excedat hanc, vel illã quantitatẽ, an vi nostra Extrauag. prohibeatur?*

2 *Aequale periculum contrahentium satis est ad iustitiam contractus.*

3 *Cambia quoad forum exterius de facili præsumuntur sicca, & vsuraria.*

In

1 IN hac re Azor. p. 3. Instit. moral. lib. 10. de camb. cap. 11. quæst. 12. & quidam alij Recentiores tenent partem affirmatiuam: siquidem ex tali assecuratione apertè colligitur, quòd campsor non habeat intentum recipiendi pecunias in nundinis; sed tantùm in loco celebrati contractus cum illo lucro conuento. Imò hoc cambium videtur expressè damnatum vi nostræ Extrauag. in hoc §. in illis verbis, *Statuimus, &c.* vbi manifestè prohibetur in cambijs pactũ certi, ac determinati interesse. Hunc ferè contractum, vel saltem huic valdè similem testatur Iustin. de cõtin. camb. q. 8. num. 20. dãnari à Rot. Rom. decis. 221. Farin. in qua fuit determinata lis Marchionis Pisani, qui de anno 1589. confitetur, se debitorem Iacomini Florentini in scutis 70000. & paulò plus cum pacto, quòd si ipse Marchio non soluit debitum in mense Septembris, possint dictas pecunias negotiari super cambia, & recambia per quodcunque forum, & quascunque nundinas; dummodo interesse non excedat octo, & tertia pars aurei pro singulis centum. Accidit, vt Marchio constituto termino, non soluerit: & dum hæredes Iacomini institerint pro conuento interesse, decreuit Rora non deberi lucr m cambij, nec quidem ratione lucri cessantis, quamuis dict I comini soliti sint negotiari. Denique hoc idem cambium fuit nouissimè damnatum per Sacram Congregarionem Doctissimorum Virorum à S. D. N. D. Vrbano Papa Octauo, specialiter institutam ad consultationem Serenissimæ Reip. Ianuensis, vt patet ex q. 42. §. præcedentis.

His tamen non obstantibus contrariam
2 sententiam puto veriorem, vt patet ex ijs, quæ adnotauimus d. q. 42. vers. Secundò infertur: Et eò magis licitum erit tale cambium, si fiat pactum, quod si cambium reddat minus octo, campsuarius soluat minus. Etenim contrahentes æqualiter periculo se exponunt, quod satis est ad iustitiam taxationis certi, ac determinati interesse in contractibus, vt in c. nauiganti, & ibi Doctor. de vsur. Imò conuentio prædicta campsuaria magis fauet, quam campsori, stante pacto illo; & propterea cambium tantò magis redditur licitum. Supposito tamen, quòd ad prædictum cambium concurrant reliquæ conditiones requisitæ ad verum, ac reale cambium: aliàs secus erit dicendum, vt diximus d. q. 42. vers. Secundò infertur.

Restat, vt contraria soluamus.

3 AD primum respondetur, quòd licèt in foro exteriori propter varias fraudes in cambijs committi solitas à campsoribus, cambia ipsa de facili præsumantur sicca, & vsuraria, cùm regulariter contineant suspicionem vsurarum, nisi clarè constet de eorum realitate, vt rectè probat Seraphin. decis. 946. vbi ita Romæ decisum fuisse testatur, anno 1591. die 4. Maij, Lup. in c. nauiganti, §. 1. sub num. 11. de vsur. Scac. & alij, quos refert, & sequitur Molf. par. 2. suæ sum. tract. 12. cap. 7. num. 92. & constat etiam ex nostra Extrauag. in procem. in illis verbis, *Sæpenumero ob illiciti quæstus cupiditatem sic deprauari, vt sub illius prætextu vsuraria prauitas à non nullis exerceatur*, nihilominus si in casu, de quo agitur constet de reliquis ad reale cambium requisitis, taxatio illa interesse non videtur sufficiens causa præsumendi, cambium esse fictum, & vsurarium, cùm de iure permittatur in alijs contractibus, & per nostram Extrauag. non censeatur prohibita. Siquidem prædictum interesse nõ potest dici certum, ac determinatum, cùm minus quàm taxatum sit possit esse, si minus cambia respondeant: & licèt ex altera parte taxatum videatur, stante pacto, vt interesse non excedat octo pro singulis cẽtum, vt supra; id tamen non ad damnum, sed ad vtilitatem campsuarij factum censetur, vt supra declarauimus §. præcedenti, q. 42. d. vers. Secundò infertur.

Ad Rotæ decis. 221. respondetur, eam facere pro nobis potius quàm contra nos: nam ideò decreuit eo casu lucrum cambij non deberi, nec quidem ratione interesse lucri cessantis dictis Iacominis; quia non poruerunt probare, præfatam summam super cambia traiecisse, vt patet ex dicta decis. 221. Ergo si probassent, dictam pecuniam super cambia, & recambia negotiasse, argumento sumpto à contrario

sensu, lucrum eis deberetur iuxta conuentionem initam.

Ad vltimum respondetur, quòd ideò Sacra Congregatio decreuit, cambium illud sub lucro taxato non subsistere; quia cambium erat siccum; non autem pretium fuit taxatum, vt ex d. q. 2. in decis. 2. casus, & d. vers. Secundò infertur, clarissimè patet.

An campsor licitè possit cum campsuario pacisci solutionem sortis vna cum interesse cambij, & recambij in loco celebrati contractus, & in defectum solutionis in loco condicto. Q. III.

SVMMARIVM.

1 *Contrahentes in cambijs non possunt de certo interesse pacisci, etiam in casu non solutionis.*

2 *Campsor licitè potest pacisci cum campsuario interesse recambij in casu non solutionis primi cambij in loco destinata solutionis.*

3 *Vi nostra Extrauag. prohibetur pactum de certo, ac determinato interesse, non autem de interesse incerto, taxando prout ex rei euentu constabit.*

4 *Interesse recambij soluere non tenetur, qui citra suam culpam non potuit soluere cambium.*

IN hac re videtur prima facie dicendum, prædictum interesse campsori non deberi. Probatur, quoniam in contractu cambij non possunt contrahentes de interesse pacisci, etiam in casu non solutionis, vt constat ex nostro §. in illis verbis, *Ne deinceps quisquam audeat siuè à principio, siuè aliàs certum, & determinatum interesse; etiam in casu non solutionis pacisci.* Ergo huiusmodi pactum de soluendo interesse in casu, de quo agitur, cùm sit contra legem, est nullius momenti, arg. tex. in l. non dubium, C. de legib. atque ideò vigore dicti pacti non potest compelli campsuarius in casu non solutionis ad soluendum interesse promissum. Confirmatur; quia dictum interesse paciscitur campsor in pœnam campsuarij non soluentis, à qua excusaretur si non posset soluere: siquidem culpa caret: & pœna non debetur citra culpam.

His tamen non obstantibus, contrariam
2 sententiam puto veriorem esse, quam tenet Azor. p. 3. Inst. moral. lib. 10. c. 9. de camb. q. 4. Ioan. Bapt. Lup. comment. 1. de vsur. §. 6. num. 6. & Molf. p. 2. suæ sum. tract. 12. cap. 7. num. 77. Etenim si in alijs contractibus licitum est conuenire de lucro cessante, vt aliquis se seruet indemnem, non est ratio, cur id sit denegandum in contractu cambij. Et si campsor potest in cambio sicco, & sic in contractu mutui pacisci cum accipiente ad cambium siccum, seù ad mutuum huiusmodi interesse, quãdo cambium siccum est vera causa cessationis illius, vt patet ex ijs, quę supra adnotauimus, §. pręced. q. 44. limit. 1. ergo idem dicendum videtur, & multo magis in casu nostro, in quo supponimus cambium esse reale, & defectum solutionis cambij in loco condicto, esse veram causam cur campsori cesset lucrum, de quo agitur. Est tamē verum, quòd huiusmodi pactum de pręstando interesse in genere, iustificatur ex hoc, quatenus creditor iustificet ex verisimilibus coniecturis, quantitatem illam non excedere verisimile, & iustum interesse: quod totum iudicandum relinquitur arbitrio prudentis viri, vt post alios docet idem Molf. loco citato.

Nec obstat nostra Extrauag. in contra-
3 rium allata: quoniam ex vi illius prohibetur pactio interesse certi, ac determinati, ad obuiandum fraudibus fœneratorum, vt patet ex illis verbis, *Certum, & determinatum interesse*, & latius diximus supra q. 1. at pactum, de quo agitur, non est de certo, determinato, ac taxato lucro soluendo; sed de interesse, & lucro taxando, prout ex rei euentu constabit.

Ad confirmationem dicimus, quòd si de-
4 fectus solutionis loco, & tempore condicto, proueniat ex culpa campsuarij, interesse, de quo agitur, deberetur campsori, etiam si nō esset deductum in pactum, cùm campsuarius fuerit in mora soluendi, & tempus solutionis appareat determinatum, ac defectus solutionis sit vera causa dicti lucri cessantis, iuxta ea, quæ supra adnotauimus, d. q. 1. Quòd si campsuarius citra suam culpam

pam non soluit, vt quia fit decoctus, & soluere non potuit, contra eum non currunt recambia, atque ideò interesse, vt habetur ex Seraph. decis. 1434. quam refert Molf. d.cap.7.num.66.in fin. & ita Romæ fuisse decisum, anno 1602. die 13. Maij. Siquidem nunquam tenetur, qui non potuit soluere; cùm ad impossibile nemo tenetur; atque ideò non dicitur in culpa campsuarius prædictus. Hoc idem videtur docere Molina de contract. disp. 315. & Bonac. eod. tract. disp. 3. q. 5. pun. 3. §. si verò non potuit. Est tamen verum, quòd Azor. loco citato, ait, quòd prædictus campsuarius ad hoc interesse non tenetur in pœnam, cùm dictum pactum cōditionem potius inuoluat, quàm pœnam: & ideò etiam si nō soluit, quia non potuit, videtur teneri ad interesse, maximè si iurauit, & renunciauit casui fortuito, ac impotentiæ.

Hæc, quæ diximus vera sunt, cùm campsor pecuniam dedit cambio reali cum tali pacto, vt supra supposuimus; secus autem si dederit cambio sicco, quoniam hæc controuersia absoluenda esset iuxta ea, quæ supra adnotauimus §. præcedenti, q. 44.

An campsor pacisci possit cum cāpsuario, vt si non soluat præfixo termino, aut in loco destinato, accipiat eandem pecuniam ad cambia, & recambia, donec sortem persoluerit. Q. IV.

SVMMARIVM.

1 *Pactum de recambio in defectum solutionis cambij, est validum.*

2 *Pactum de recipienda pecunia ad cambia, & recambia, donec soluat in defectum solutionis, est illicitum.*

3 *Onus in cambio, quod sit pecunia æstimabile non est super addendum, sicut nec in mutuo.*

4 *Interesse, quod patitur campsor ob cambium sibi non solutum in loco destinatæ solutionis, licitè consequi potest.*

1 IN hac difficultate Bonac. post alios in suo tract. de contr. disp. 3. q. 5. pun. vnico, propos. 5. sub num. 20. in fin. ait, tolerari pactum, quo cāpsor obligat campsuarium, vt si termino constituto non soluerit, fiat recambium ad locum primi campsoris, atque ideò ad locum contractus: imò hoc ipsum latè supra probauimus, q. præcedenti: si ergo potest campsor eo casu obligare campsuarium ad recambium consequenter fit, vt ipse campsor in casu, de quo agitur, possit pacisci cum campsuario, vt si non soluat condictis tempore, & loco, vt supra, accipiat eandem pecuniam ad cambia, & recambia, donec sortem persoluerit: siquidē, quod licitum est fieri prima vice, est etiam licitum fieri secunda vice, & vlterius. Confirmatur; quoniam id videtur omninò concessum per litteras Pij V. expeditas in gratiam Bononiensium, & à se habente, *Et possa ogni persona ancora dare danari à cambio, & fare, che siano capitate le lettere sopra di essi datori, e cosi hauerli sù li cambij fino, che saranno rimbursati da chi haurà preso il danaro*, ob quas litteras continuationes cambiorum esse licitas fuit nouissimè per Sacram Congregationem definitum vt adnotauimus supra §. præced. q. 42. in quibus concurrunt plura cambia, & recambia, donec campsori à campsuario fuerit integrè satisfactum. Si igitur licitum est pactum de cambijs, & recambijs purè, citra conditionem aliquam; ergo licitum est pacisci sub conditione de cambijs, & recambijs ex defectu solutionis in præfixo tempore, vel in destinato loco, cùm non possit assignari diuersitatis ratio: eo magis, quia si res rectè perpendatur, contractus, de quo agitur coincidit cum contractu continuationis cambiorum: siquidem idem est obligare campsuarium ad cambia, & recambia, ac ad habendum pecuniam datam ad cambium super cambia, donec à campsuario campsori fuerit integrè satisfactum.

2 Oppositis tamen non obstantibus, contrariam sententiam tenent Salas de camb. dubit. 22. concl. 2. Graff. par. 1. suarum decis. lib. 2. cap. 110. num. 15. Less. lib. 2. de iust. & iur. cap. 23. dub. 9. num. 83. & Bonac. loco supra citato, dicentes, campsorem non posse in supra relato casu, prædictum pactum inire; quia obligaret campsuarium ad onus nimis graue: & multo minus huiusmodi

di pactum esset licitum, quando per illud campsor obligaret campsuarium ad remittendum cambium per viam recambij vna cum lucro ad locum celebrati contractus, vel ad recambium per locum, quem maluerit ipse campsor: siquidem ex tali obligatione manifestè colligitur intentio recipiendi cambium in eodem loco, in quo dedit; atque ideò talis contractus esset potius contractus mutui cum lucro, & sic cambium siccum, quàm cambium reale, iuxta ea, quæ habentur ex Scac. de commerc. & camb. §. 1. q. 7. p. 3. limit. 15. Io. Bapt. Lup. in cap. nauiganti comment. 3. §. 2. num. 65. & Azor. p. 3. Instit. moral. lib. 10. de camb. cap. 9. q. penul.

Et re vera patet impudentia huius cam-
3 bij, cùm campsor lucretur ex recambio, aucuparetur lucrum prouisionum, & insuper adderet præfatam obligationem: & propterea tale cambium condemnant etiam Sot. lib. 6. de iust. & iur. q. 14. art. 1. concl. 3. Nauar. cons. 31. lib. 5. de vsur. Less. d. cap. 23. num. 62. Azor. p. 3. institut. moral. lib. 10. de camb. cap. 9. q. 5. & alij apud Scac. d. limit. 15. num. 2. & 3. qui dicunt hanc esse rationem; quia sicut in mutuo non additur onus, quod sit pecunia æstimabile; ita etiam non debet addi in cambio: quia tunc esset valdè suspectum de vsura propter nimiam familiaritatem, quam habet cum mutuo, & de facili contraheret suspicionem vsurarum iuxta ea, quæ supra adnotauimus, q. 2. in resp. ad 1. arg. ex Molf. p. 2. suæ sum. tract. 12. cap. 7. num. 92. & alijs.

Limitatur tamen hæc conclusio, vt ita
4 demum vera sit, si ex cambio condictis loco, & tempore non soluto, nullum interesse pateretur ipse campsor: secus autem si constaret, campsorem tantū lucri percepturum ab alijs, si solutio sibi fieret statuto loco, & tempore: nam tunc huiusmodi pactum licitum esset ratione lucri cessantis, vel damni emergentis: sicut licitum esset in contractu mutui ob eandem causam, vt rectè docet Azor. p. 3. Inst. moral. lib. 10. de camb. c. 11. q. 8. & Less. loco citato, vbi num. 84. inquit etiam, campsorem in rigore posse eo casu consuetas quoque prouisiones exigere eodem titulo lucri cessantis. Etenim supponimus campsorem; eiusque respondentem percepturos ab alijs, si campsuarius præfixo tempore, & condicto loco soluisset. Imò cambij lucrum, & stipendium prouisionum, quod percipere potuisset, posset statim adijcere sorti, si contrahentes moraliter certi essent, dictum lucrum cambij, & prouisionum potuisse alijs statim ad cambium dare; aliàs secus: quamuis id videatur ipsi Less. satis inhumanum, & apud honestos insitatum.

Ad contraria facilè respondetur.

Ad illud Bonac. post alios, & ad ea, quæ conclusimus in præced. q. respondetur procedere, vbi concurrit aliqua ratio interesse.

Ad aliud contrarium ex dictis litteris Pij V. dicitur, casum in dictis litteris contentum esse diuersum à casu, dė quo agitur: siquidem priori casu cambia, & recambia fiunt gratia tàm campsoris, quàm campsuarij volentis vti pecunia data ad cambium ad suas necessitates subleuandas per totum temporis spacium ab eo volitum; atque adeo sponte cambientis, & recambientis: at posteriori casu recambia fiunt gratia cāpsoris dumtaxat, cùm campsuarius coactus recambiat: & propterea nisi concurrat ratio interesse, non potest lucrum recambij consequi talis campsor.

An campsor, cui campsuarius post non nulla cambia, & recambia partem debiti tradidit, teneatur eam partem computare pro extinctione capitalis: vel possit eā computare pro extinctione lucrorum, & interesse. Q. V.

SVMMARIVM.

1 *Solutio in dubio cēsetur facta de debito, quod magis grauat.*

2 *Solutio partis debiti facta campsori à campsuario censetur facta pro extinctione lucri, non*

non autem sortis principalis.

3 *L. 1. 3. 4. & 5. ff. de solut. qualiter intelligendæ sint, explicatur.*

1 IN hac re videtur prima facie dicendum, campsorem eo casu teneri computare partem illam debiti solutam, in extinctione capitalis, non autem lucrorum, & interesse. Probatur ex l. 1. 3. 4. & 5. ff. de solut. vbi habetur, quòd quãdo quis est debitor ex multis causis, si aliquid soluat, cẽsetur illud soluere pro debito principali, seù, quod magis grauat, nisi aliud exprimat: at capitale est debitum principale, seù debitum, quod magis grauat, ergo, &c.

2 His tamen non obstantibus, incõtrarium est verior opinio, quam tenet Less. lib. 2. de Iust. & iur. cap. 23. dub. 10. num. 86. Salas de camb. dub. 25. num. 2. & alij, quos refert, & sequitur Bonac. de contr. disp. 3. q. 5. pun. vnic. propos. 5. sub num. 21. dicentes, campsorem in casu, de quo agitur posse computare partem debiti sibi à campsuario traditi in extinctionem lucrorum, & interesse, non autem capitalis. Probatur hæc sentẽtia primò ex l. vsuras, C. de vsur. & l. 1. C. de solut. quibus locis habetur, quòd quando ex debito principali tanquam ex radice nascuntur alia debita tanquam fructus; tunc si fiat solutio, primò censetur fieri pro fructibus ex illis dependentibus. diende si quid superſit, computatur in sortem. Confirmatur hæc opinio ex communi omnium consuetudine circa solutionem censuum, circa debita societatis, & debita ex mutuo ratione lucri cessantis; in quibus contractibus si fiat solutio, nunquam censetur facta pro extinctione capitalis, nisi aliter conuentum sit, aut debitor aliud exprimat. Hinc Molf. p. 2. suæ sum. tract. 12. cap. 7. num. 80. iustam esse ait consuetudinem campsorum non acceptandi solutionem sortis, nisi ei soluatur pecunia cum iusto lucro: imò inquit, dictam consuetudinem esse iuri conformem per iura superius allegata.

3 Ad leges incontrarium allatas respõdetur ex Doctoribus supracitatis, eas intelligi, quando debita proueniunt ex diuersis causis, quod non verificatur in casu, de quo agitur, in quo vnica tantùm adest debiti causa, nempe ex cambio.

An mutuum cum pacto, vt mutuatarius soluat mutuanti lucrum cambij, à quo cessat causa mutui, sit licitum. Q. VI.

SVMMARIVM.

1 *Mutuum cum pacto, vt mutuatarius soluat mutuanti lucrum cambij, à quo cessat causa mutui, est licitum.*

2 *Interesse cãbij in mutuo potest pacisci, etiam si mutuans velit potius mutuare, quàm cambire, dummodò mutuum fiat gratia mutuatarij.*

3 *Interesse in mutuo potest pacisci, tàm lucri cessantis, quàm damni emergentis.*

4 *Interesse nunquam debetur ante moram, nisi deducatur in pactum.*

5 *Interesse debetur in mutuo ex mutuatarij culpabili mora.*

6 *Interesse debetur mutuanti, qui cogitur ad mutuandum.*

1 HAec quęstio ferè coincidit cum q. 54. §. 1. concl. 2. per totam, quam multipliciter ampliauimus, ac limitauimus: & propterea ea omnia, quæ ibi adnotauimus, possunt huic rectè accommodari. Breuiter igitur respondetur affirmatiuè; atque ideò si Tirius v.g. sit paratus dare cambio centum aureos, & rogatus à Sempronio eidem illos mutuet, & interesse cãbij aperiat, & petat, proculdubio potest exigere lucrum, quod fecisset ex cambio. Ita Caier. de camb. c. 1. suæ sum. num. 5. Nauar. in Man. cap. 17. num. 292. & in cap. nauiganti, num. 26. & num. 34. vers. Decimoseptimo, de vsur. Azor. par. 3. Inst. moral. lib. 10. tit. de camb. cap. 9. q. 3. vers. Deinde, in fin. Probatur primò, quia interesse debetur mutuãti pro pecunia mutuata extracta à quacunque negotiatione, quãdo mutuum fuit causa talis interesse. vt latè habetur ex Scac. de commerc. & camb. §. q. 7. par. 2. ampl. 8. à num. 4. ad 22. & patet ex ijs, quæ supra adnotauimus d. q. 54. concl. 2. ampl. 3. ergò debetur etiam pro pecunia extracta, ac destinata cambio: siquidem cambium est vera, ac formalis negotiatio. Confirmatur, quia de

de pecunia destinata emptioni rei iudicatur sicut de illa re: nam ob id pecunia destinata ad emptionem prædiorum computatur inter immobilia, vt habetur ex Rebuff. in tract. de priuil. schol. priu. 55. & ex alijs apud Scac. loco citato: cambium autem vel est rei emptio, vel saltem reducitur ad contractum emptionis, ac vẽditionis. Denique omnis ordinata charitas incipit à seipso, vt est tex. & ibi Glos. in l. Præses, C. de seruit. & aqua: ergo non potest quis cogi, vt alterũ iuuet, perdere lucrum, quod ex cãbio percipere posset, vt alteri mutuet.

Ampliatur, & limitatur hæc conclusio
2 multis modis, de quibus supra d. §. 1. q. 54. concl. 2. & 3. quibus adde, quod licet mutuatio debeat esse facta gratia mutuatarij, atque ideò mutuatio ipsa in commodũ mutuatarij fuerit in causa, cur campsor cessauerit à negotiatione cambiorum realium; non tamen ob id requiritur ad exigendum lucrum cessans, vt campsor ita habeat pecuniam suam cambiorum lucris destinatam, & expositam, vt mallet cambire, quàm mutuare: siquidem potest moueri cãpsor commodo, & gratia mutuatarij, & propter charitatem erga eum ad libentius mutuandum potius quàm ad cambiendum; quoniã tunc non intenderet lucrũ vi mutui, & in pretium mutui, sed pro spe lucri, quam mutuans ex pecunia mutuata sumpserat.

Adde quoque hic quæ adnotauimus d.
3 q. 54. concl. 2. quòd ratione mutui, vt supra non solùm potest exigi interesse cambij, & sic lucri cessantis; sed etiam interesse damni emergentis, quod quis patitur in re sua ob mutuum alteri datum; vt quia mutuantis domus corruit, non valens illam reficere ratione pecuniæ mutuatæ, quam destinauerat ad reficiendam domum ipsam, vt habetur ex Nauar. in c. si fœneraueris, num. 58. 14. q. 3. Salon. 2. 2. q. 78. ar. 2. contr. 8. num. 10. Bann. ibidẽ in resp. ad 1. concl. 1. Arag. in eundem locum in solutione primi argumenti, Molin. de contr. disp. 314. Less. lib. 2. de Iustit. & iur. cap. 20. dub. 10. Azor. par. 3. Inst. moral. lib. 5. cap. 4. & cap. 7. q. 5. Salas de vsur. dub. 18. Reginald. lib. 23. suæ prax. num. 69. Rebel. p. 2. de obligat. iust. lib. 8. q. 8. Bonac. de contract. disp. 3. q. 3. pun. 3. propos. 1. & ex aliis.

Est tamen verum, quòd huiusmodi inte-
4 resse nunquam debetur ante moram, nisi deducatur in pactum cũ mutuatario, & cum effectum sequatur: quia mutuatarius fortè non reciperet mutuo cum tali onere; sicut dicitur de interesse lucri cessantis: & eo magis; quia ex nullo titulo teneretur. Etenim non teneretur ratione contractus, si nullum intercesserit pactum: nec ratione iniustę acceptionis, seu detentionis, cùm iustè acceperit, & detinuerit: neque teneretur ratione rei acceptæ cum nihil mutuantis habeat: ergò nullo titulo alligatur, vt habetur ex Salon. Bonac. & ex alijs Doctor. supra citatis.

Dixi, *Ante moram.* Quoniam, interue-
5 niente culpabili mora mutuatarij ad soluẽdum mutuum, interesse debetur, etiam si nõ deducatur in pactum: & id etiam nulla præuia interpellatione; quia dies interpellat pro homine: & quando in contractibus præfigitur terminus ad soluendum, tacitè censetur initum pactum, vt qui non soluerit teneatur ad interesse, proueniens ex defectu solutionis: eò magis, quia non soluens condicto tempore, peccat contra iustitiam cum damno mutuantis; atque ideò tenetur ad restitutionem, quæ ex solius iustitiæ violatione procedit, ita Molin. loco citato, num. 7. Less. d. dub. 10. num. 69. Nauar. in Man. cap. 17. num. 211. Petr. Nauar. lib. 3. de restit. cap. 3. num. 28. Rebel. & alii Doctor. supra citati, præsertim Bonac. qui ex Salon. Reginald. & aliis rectè declarat quando mutuatarius, vel alius debitor dicatur esse in mora, & cõcludit, eum dici in mora, qui potuit soluere condicto tempore, aduertens explicitè, vel implicitè, creditorem velle sibi solui, & non soluit. Vndè nunquam dicitur in mora, qui non potest soluere, vt supra adnotauimus, q. 3. in resp. ad confirmationem: quibus adde, quæ diximus supra §. 1. q. 46.

Idem dicendum est de eo, qui iniustè
6 coegit mutuantem ad sibi mutuandum: nam tenetur ad interesse mutuanti, etsi nullum intercesserit pactum de huiusmodi interesse reficiendo: quia per iniuriam extorquendo mutuum, censetur iniustè damnum inferre: & iniusta causa damni obligat ad restitutionẽ, etiã, nullo pręuio pacto, vt per Molin. d. disp. 315. Bonac. ibidem, num. 9. cum aliis, quos allegant.

Ibi,

Ibi, *Pro primis nundinis, &c.* An cambium pro nundinis intercalatis, seù intercalaribus sit illicitum. Q. VII.

SVMMARIVM.

1 *Nundinæ intercalatæ, quænam dicantur.*
2 *Cambium pro nundinis intercalatis, seù intercalaribus, est illicitum.*
3 *Cambium pro intercalaribus terminis est illicitum.*
4 *Cambium pro intercalaribus nundinis, seù terminis est validum, si quis in eo daret pecunias adeo propè nundinas præsentes, vt litteræ cambij tempore acceptationis, seù solutionis ferri non possent.*
5 *Cambium pro intercalaribus nundinis, seù terminis, est validum, si intercalatio sit gratuita; aliàs secus, & num. 6.*

1 NVndinæ intercalatæ, seù intercalares dicuntur secundæ, seù vlterius nundinæ. Vt si essemus, v.g. in principio mensis Ianuarii; atque ideò prima proxima feria erunt nundinæ apparitionis, quæ celebrantur in principio mensis Februarii. Si igitur tu dares cambio pro nundinis Paschatis, vel Augusti, diceretis dedisse cambio pro nundinis intercalaribus: quia ante huiusmodi nundinas sunt nundinæ apparitionis. Quæritur igitur, an huiusmodi cambium sit illicitum?

2 Ad hanc quęstionem respondetur affirmatiuè: quoniam expresè prohibetur vi nostræ Extrauag. in nostro §. in illis verbis, *Neque realia cambia aliter quàm pro primis nundinis, &c.* Vbi damnantur celebrati cābia aliter quàm pro primis nundinis: qui autem dat cambio pro nundinis intercalaribus, non dicitur dare cābio pro primis nundinis; sed pro secūdis, seù vlterioribus. Probatur etiam ratione: nam qui dat cambio non pro primis, sed pro secundis, & vlterioribus nundinis, augeret pretiū ratione temporis; non autem ratione loci: id autem est illicitum, & vsurarium, vt habetur ex Sot. lib. 6. de iust. & iur. q. 12. ar. 5. in fine initii, & in conclusione responsiua, col. 3. Azor. p. 3. Instit. moral. lib. 10. de camb. c. 10. vers. Septimo, & Scac. de commerc. & camb. §. 1. q. 7. p. 3. limit. 14.

3 Ampliatur hæc cōclusio, vt idem dicendum si de cambio dato pro intercalaribus terminis: quia militat eadem ratio, & eodē modo prohibetur per nostram Extrauag. hoc eodem §. ita se habentem, *Neque realia cambia aliter quàm pro primis nundinis, vbi illæ celebrantur: vbi verò non celebrantur, pro primis terminis iuxta receptum locorū vsum exercere.*

4 Sic ampliata limitatur eadem conclusio, vt cambium, de quo agitur non dicatur siccum, si quis in eo daret pecunias adeo propè nundinas præsentes, vt litteræ cambij tempore acceptationis, seù solutionis ferri non possent: quoniam tunc cambium intelligeretur celebratum pro alijs sequentibus immediatè nundinis, vt rectè docet Romoal. Col. de camb. cap. 26. in fine, & Scac. loco citato.

5 Secundò limitatur eadem conclusio, vt cambium, de quo est quæstio, tunc sit siccū atque illicitum, quando nundinarum intercalatio non esset gratuita; sed ob talem intercalationem campsor augeret pretium cambij: secus autē si esset gratuita, quoniam vi nostræ Extrauag. illa nundinarum intercalatio est prohibita, cuius ratione cambij pretium augeretur, vt per Nauar. in Man. cap. 17. num. 301. not. 5. & Scac. loco citato, num. 3.

6 Tertiò limitatur eadem conclusio, vt quę diximus de intercalatione nundinarum, extendantur ad intercalationem terminorum. Vndè si intercalatio terminorum esset gratuita, vel campsor daret pecuniam cambio adeo propè terminum, vt litteræ cambij tempore solutionum ferri non possent, cambium non diceretur siccum: quia militat eadem ratio: vbi autem militat eadem ratio militat quoque eadem iuris dispositio, l. illud, ff. ad leg. Aquil.

An cambium si fiat pro pluribus nundinis simul, sit licitum. Q. VIII.

SVMMARIVM.

1 *Cambium pro pluribus nundinis simul, est inualidum.*

2 Cam-

2 *Cambium pro pluribus terminis simul est inualidum.*

3 *Cambium pro pluribus nundinis, aut terminis simul potest esse licitum, si pretium ex tali causa non augeatur.*

Respondetur negatiuè: siquidem in
1 hoc cambio augeretur pretium ratione temporis; non autem ratione loci, vt habetur ex Fabian. Genuen. de camb. in initio, sub num. 15. ibi, & multò magis, Boninf. eod. tract. cap. 7. vers. Illud cambitur, & alijs, quos refert, & sequitur Scac. de commerc. & camb. §. 1. q. 7. p. 3. limit. 2. vbi num. 2. id præcipuè, ait, locum sibi vendicare quando campsor, qui dat cambio, obligat campsuarium, vt non possit antea cambium soluere.

Ampliatur hæc conclusio, vt procedat,
2 non solùm quando cambium fit pro pluribus nundinis simul; sed etiam pro pluribus terminis simul; quoniam militat eadem ratio, & hæc cambia inter se non differunt, nisi respectu accidentium, & indiuiduorum, vt habetur ex Fabiano Genuen. loco citato, & ex alijs apud Scac. d. q. 7. p. 3. limit. 3.

Sic ampliata limitatur eadem conclu-
3 sio, vt vera sit, vbi cambium factum pro pluribus nundinis, vel terminis simul, augetur in pretio: vt cùm campsor emit minori pretio marchas Placentiæ pro duabus nũdinis, seù terminis, vel ad longius tempus, quàm pro primis; quoniam tunc emitur tempus, atque adeo contractus est vsurarius: secus autem si cambij pretium non augeatur ex causa prædicta, vt habetur ex Boninf. loco citato, & ex alijs, quos refert, & sequitur Scac. d. limit. 3.

An cambium celebratũ in eodem loco à primis ad secundas nundinas, sit licitum. Q. IX.

SVMMARIVM.

1 *Cambium celebratum in eodem loco à primis ad secundas nundinas, est illicitum.*

2 *Cambium à Neapoli Barium, Licium, vel ad Prouinciam Calabriæ, & à Ciuitate Messana ad Ciuitatem Panormi, cur quidam putent esse vsurarium.*

Respondetur negatiuè: quia tunc cam-
1 bium non fieret de loco ad locum. Vndè si quis daret Placentiæ centum aureos ad cambium in nundinis apparitionis, in sequentibus nundinis Paschatis sibi restituendas in eadem Ciuitate vna cum lucro, seù pretio iuxta fori æstimationem, proculdubio cambium siccum committeret: siquidem in huiusmodi cambio non haberetur ratio loci; sed tantùm temporis, atque ideò campsor non ratione loci, sed ratione temporis dumtaxat lucrum ex cambio perciperet: quod est vsurarium, vt habetur ex Romoald. Col. de camb. cap. 27. Iustin. de contin. camb. q. 6. num. 12. vbi probat, huiusmodi cambium expressè damnari vi nostræ Extrauag. §. 1. in illis verbis, *Pecunia ibi denique cum interesse repescitur, vbi contractus fuerat celebratus.* Hoc idem tenet Molf. p. 2. suæ sum. tract. 12. cap. 7. num. 99. & 100. cum plur. seq.

Ex hoc infert idem Molf. ibi, vsurarium
2 esse cambium à Neapoli Barium, Licium, vel ad Prouinciam Calabriæ: & à Ciuitate Messanæ ad Ciuitatem Panormi, in quibus nundinæ non celebrantur; sed solùm litteræ recipiuntur; verum pretium ibi non soluitur. Etenim sistendo in terminis contractuum cambiorum, huiusmodi contractus non possunt dici tales, nec vt tales iustificari; sed verè sunt contractus mutui, ex quo lucrum aliquod intendi non potest, nisi ratione lucri cessantis, vel damni emergentis, iuxta ea, quæ supra adnotauimus, q. 6. Hac eadem ratione testatur idem Molf. d. c. 7. num. 101. Sacrum Consil. Neapol. reduxisse lucrum cambij in Ciuitate Neapol. modo supra explicato, ad Barium ad rationem 12. pro quolibet centenario: quia conuocatis mercatoribus expertis, ac timoratis, tantum æstimarunt campsorum interesse.

Ibi, *Pro primis terminis, &c.* De cambijs ad certos terminos, an sint licita. Q. X.

SVMMARIVM.

1 *Cãbium ad certos terminos quid sit, declaratur.*

2 Cam-

2 *Cambia ad certos terminos sunt licita.*
3 *Cambia ad certos terminos, vt licitè exerceri possint multas conditiones exigunt.*

1 AD tituli explicationem ponamus casum, quòd Titius campsor det centum cambio Genuæ Sempronio, eo pacto, vt Romæ vbi nõ celebrantur nundinæ, totidẽ aureos cum tanto lucro ibi soluat ad tres menses, cum quanto lucro totidem aurei soluentur ad primas nundinas Placentiæ, vbi nundinæ celebrantur. Quæritur, an huiusmodi cambium sit licitum?

Prima fronte videtur dicendum, quòd hoc cambium sit reale, ac licitum. Probatur ex nostra Extrauag. in hoc §. in illis verbis, *Neque realia cambia aliter quàm pro primis nundinis, vbi illa celebrantur: vbi autem non celebrantur, pro primis terminis, iuxta receptum locorum vsum exercere.* Vbi notandum est, quòd Roman. Pontifex permittit exercere cambia ad primos terminos soluẽda in loco, vbi nundinæ non celebrantur ad instar cambiorum, quorum solutio fit in nundinis: sed hoc cambium est huiusmodi; ergo, &c.

Oppositam tamẽ sententiam tenet Azor. p. 3. Inst. moral. cap. 9. de camb. q. 3. dicens, quòd huiusmodi cambium licet sit valdè frequens inter Nummularios; nihilominus vel vsuram continet manifestum, vel saltem eam maximè redolet.

2 Nos autem dicimus, cambia ad certos terminos regulariter esse licita. Etenim id euidenter colligitur ex nostra Extrauag. loco citato, vbi Roman. Pontifex permitti dari ad cambium ad primos terminos ad instar nundinarũ: & in praxi seruatur etiam à viris timoratæ conscientiæ. Dantur enim passim pecuniæ ad cambium in vno loco, vt cambitæ reddantur in alio, vbi nundinæ non celebrantur, & si fingant campsores ibi nundinas esse, præfigentes ad pecuniarum solutiones ea tempora, in quibus nundinæ fieri consueuerunt, vt supra adnotauimus, §. q. 6. vers. Solent etiam dari pecunię.

3 Est tamen verum, quòd ad hoc vt cambia ad certos terminos licitè exerceri possint, multę conditiones in eis concurrere debent. Prima conditio est, vt huiusmodi cambia fiant ad primos terminos ad instar nundinarum, idest, quod sicut fit cambium per nundinas, ad primas nundinas, iuxta ea, quæ supra adnotauimus, q. 8. ita etiam quãdo fit de loco ad locum, ad primos terminos: & quemadmodum in nundinis non excedit tempus trimestrium, eodem modo non excedat hoc tempus vbi celebratur de loco ad locum. Secunda conditio est, vt ratio habeatur longinquitatis, ac vicinitatis locorum, vt constat ex eadem nostra Extrauag. in hoc eodem §. in illis verbis, *Curandum autem erit in terminis, vt ratio habeatur longinquitatis, & vicinitatis locorum, in quibus solutio destinatur, ne dum longiores præfigantur, quàm loca destinata solutionis desiderant, fænerandi detur occasio.* Vndè inquit Azor. loco citato, quòd si locus, vbi pecunia est soluendã non tàm longè absit, quàm locus, vbi primæ nundinæ fiunt; non potest tantum lucri exigi, quantum ex cambio, cuius pecuniæ soluerentur in loco nundinarum: siquidem pecunia tantum minus valet, quantum minus distat, cùm plus valeat pecunia præsens, quam absens: quo circa nõ potest fieri cambium de loco ad locum eodem lucro, quod solueretur in nundinis, nisi ęqua sit distantia: quod quidem licet sit verum; non tamen videtur colligi ex nostro §. vt supra ostendimus, §. 1. q. 1. ampl. 3. vers. Est tamen verum. Tertia conditio est, vt in cambio de loco ad locum vt supra habeatur ratio valoris monetarum: nam si certò sciatur, aut probabiliter credatur, æstimationem pecuniæ in eo loco futurã esse maiorem, tunc cambium non esset iustum: siquidem campsor præter lucrum; quod ratione sui muneris, & officij exigit, recipiet etiam maius pecuniæ incrementum, vt habetur ex Azor. d. q. 3.

Verum tamen est, quòd si campsor probabiliter crederet, pretium pecuniæ in loco nundinarum futurum esse maius, minusuè, aut æquale, tunc cambium esset iustum. Imò quando re vera daturus erat suas pecunias, vt sibi in loco illo nundinarum soluerentur, & coactus, vel rogatus, aut requisitus ab eo dedit ei pecunias, vt eas solueret in loco, vbi nundinæ non celebrantur: tunc enim ratione lucri cessantis, & nõ cambij lucrum exigere potest: habet enim campsor suas pecunias negotiationi, & cambijs exposi-

tas, ex quibus tantundem erat lucraturus, vt rectè declarat Azor. loco citato, qui licet videatur aduersari nostræ sententiæ; nihilominus cum ea conuenit, concurrentibus supradictis conditionibus, vt ex eius verbis colligitur, quibus adde ea, quæ supra d. q. 1. limit. vnica, & q. 2. 13. & 14. adnotauimus, vbi inter alias conditiones, in cambio de loco ad locum, ostendimus habendam esse rationem valoris monetarum, ita vt seruetur æqualitas valoris, & æstimationis inter pecuniam, quæ datur, & pecuniam, quæ recipitur.

Vtrum ad distantiores tempore terminos cambia ineundo, maius lucrum expeti possit. Q. XI.

S V M M A R I V M.

1 *Cambia ineuntes ad distantiores tempore terminos, ex solius temporis dilatione non possunt maius lucrum expetere, secus si lucrum intendant ratione interesse lucri cessantis, aut damni emergentis.*

1 DEterminatio huius difficultatis patet ex ijs, quæ supra adnotauimus S. 1. q. 10. & 56. Vndè breuiter ad quæstionem respondentes dicimus, quòd campsor si ex solius temporis dilatione prædictum lucrum intendat, vsuram proculdubio committit: nam lucrum illud non dicitur intendere ex cambio reali, sed ex cambio sicco, atque ideò ex mutuo palliato, vt in d. q. 56. declarauimus. Si verò campsor lucrum illud maius intendat ratione lucri cessantis, aut damni emergentis, vel ratione copiæ campsariorum, & pecuniarum penuria, iuxta ea, quę diximus d. q. 10. & 56. tunc maius illud lucrum iustè potest intendere, vt in dictis locis latè explicauimus.



COMMENTVM LEONARDI DVARDI IN §. TERTIVM EXTRAVAG. PII PAPAE QVINTI.

DE CAMBIIS.



§. 3. *Vicunque contra hanc nostram constitutionem commiserit, pœnis à sacris Canonibus contra vsurarios inflictis,se nouerit subiacere. Eos verò,qui conspirationes fecerint,vel congestam vndique pecuniam ita ad se rede gerint,vel quasi monopolium pecuniæ facere videantur,pœnis, quæ à iure contra exercentes monopolia constituta sunt,retineri sancimus. Volumus autem,quòd præsentes litteræ in Camera Apostolica, & ad valuas Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe,& Cancellariæ etiam Apostolicæ publicentur,& in ipsa Camera describantur. Et quia difficilè foret eas ad singula quæque loca deferri,quòd eorum transumptis etiam impressis,manu alicuius eiusdem Cameræ,vel alterius Notarij subscriptis, & sigillo dictæ Cameræ, vel Prælati Ecclesiastici munitis, eadem prorsus fides adhibeatur,quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo,&c. Datum Rom.apud S.Petrum anno incarnationis Dominicæ* 1575.*Calen.Febr.Pontificatus nostri anno sexto.*

TEx. diuiditur in tres partes. In prima parte contrauenientibus nostræ Extrauaganti vsurariorum pœna constituitur. In secunda conspirationes in cambijs, & monopolia committentes, monopolij pœna plectuntur. In tertia denique constitutio ipsa Extrauag. publicari mandatur, secunda ibi,*Eos verò*,tertia ibi, *Volumus autem.*

Ibi, *Quicunque, &c.* An fœminæ contrauenientes dispositioni nostræ Extrauag. incidant in pœnas in ea contentas, vel tantum masculi. Q. I.

SVMMARIVM.

1 *In odiosis masculinum non concipit fœmininum.*

2 *Dictio*, Quicunque, *est vniuersalis, & ex sui natura nullum excipit.*

3 *Extrauag.nostra pœnam imponens celebrantibus cambia sicca, comprehendit non tantùm masculos,sed etiam fœminas.*

 4 Sta-

4 *Statutum quando loquitur per verbum commune, aut collectiuum, masculinum semper concipit fœmininum.*
5 *Masculinum concipit fœmininum, quando agitur de materia, quæ congruit tàm masculo, quàm fœminæ.*
6 *Pœnæ licet sint restringendæ; nihilominus aliquando extenduntur, etiam in odiosis de persona ad personam.*
7 *Masculinum non concipit fœmininum in exorbitantibus, & correctorijs iuris communis.*

IN hac re videtur prima facie dicendum,
1 fœminas celebrantes cambia ficca, at-
que ideò contrauenientes dispositioni no-
stræ Extrauag. non incidere in pœnas in ea
contentas. Etenim dispositio pœnalis est
odiosa: & propterea conuenit restringi po-
tius quàm ampliari, arg. tex. in c. odia, de re-
gul. iur. in 6. & c. pœnæ, de pœnit. d. 1. ergo
nostra Extrauag. cùm pœnam imponat ma-
sculis eidem contrauenientibus, vt patet ex
dictione illa, *Quicunque*; non censetur com-
prehendere fœminas contrauenientes. Cō-
firmatur, quia de iure in odiosis maximè
masculinum nō concipit fœmininum, Hinc
est, quòd si statuto caueatur, vt liceat inter-
ficere ingredientem de nocte domum alie-
nam sine consensu commorantis in ea, in-
telligitur de masculo ingrediente, non au-
tem de fœmina, vt per Alex. cons. 24. num.
31. vers. Non obstat, lib. 2. Et statutum ex-
cludens matrem simpliciter à successione
filiorum, non excludit à successione filia-
rum, Soc. Iun. cons. 23. num. 42. lib. 1. Idem
dicendum est de statuto excludente auum
maternum, quia non excludit auiam mater-
nam, vt habetur ex eodem Soc. d. cons. 23.
num. 47. qui etiam, num. 50. inquit, quod
statutum excludens filiam à successione
ascendentium propter masculos, non ex-
cludit eam à successione matris: & denique
statutum excludens fratrem à successione,
nō extenditur ad sororem, Castr. cons. 119.
lib. 1. & Corn. cons. 188. lib. 2.

His tamen non obstantibus, oppositum
2 puto verius. Probatur; quia nostra constitu-
tio in hoc §. disponit per dictionem illam,
Quicunque, quæ est vniuersalis, & ex sui na-
tura nullum excipit, vt in c. solitæ, ibi, nihil
excipiens, de maior. & obed. & Panor. in c.
super quæstione, in Glos. ver. Quicunque,
de offic. de leg. Ergo dispositio nostra Ex-
trauag. pœnam statuens celebrantibus cam-
3 bia ficca, eidemque contrauenientibus, cō-
prehendit non solùm masculos, sed etiam
fœminas. Confirmatur, quia quando sta-
4 tutum loquitur per verbum commune, aut
collectiuum, semper masculinum concipit
fœmininum, vt per Alex. cons. 125. num.
16. lib. 7. & hanc opinionem communem
esse testatur Tusch. ver. masculinum, concl.
101. num. 11. cum plur. seq. Et nostra Extra-
uag. in infligendo pœnam contrauenienti-
bus vtitur dicto verbo, *Quicunque*, quod est
plusquam commune, cùm sit vniuersale, vt
supra ostendimus: ergo comprehendit tàm
masculos, quàm fœminas. Præterea, materia,
de qua agitur, cōgruit tàm masculis, quàm
fœminis, cùm non solùm masculi, verùm
etiam & fœminæ contingere potest, vt ce-
lebrent cambia ficca; atque ideò de facto
possunt contrauenire dispositioni nostræ
Extrauag. Ergo pœna imposita celebran-
tibus cambia ficca, atque ideò contraue-
nientibus nostræ Extrauag. non solùm cō-
prehendit masculos, sed etiam fœminas:
quia vbi materia congruens masculo, con-
5 gruit etiam fœminæ, masculinum concipit
fœmininum, vt habetur per Bald. cons. 47.
num. 2. per totum, lib. 5. Cuman. cons. 118.
in prin. Fulgos. cons. 34. in princ. & latè Ias.
in l. si quis id quod, in prin. ff. de iurisd. omn.
iudic. quam quidem sententiam locum sibi
vendicare etiam in materia odiosa cōsuluit
Castr. cons. 428. num. 4 cum alijs ad eum
additis, lib. 1. & Tusch. d. cōcl. 101. num. 3.
& 4. Et in specie, quòd dictio *Quicunque*,
de qua in nostra Extrauag. comprehendat
simpliciter tàm masculos, quàm fœminas,
latè probat Bald. in l. quicunque, num. 10.
cum add. ad ipsum, vbi etiam alij Doctor.
C. de seru. fugit. Denique dictio, *Si quis*, in
pœnalibus comprehendit non solùm ma-
sculos, sed etiam fœminas, vt in cap. si quis
suadente diabolo, & ibi Archidiac. & alij,
17. q. 4. Bald. in l. si quis in tantam, C. vndè
vi, & in l. Gallus, in prin. ff. de liber. & posth.
ergo multò magis dictio illa, *Quicunque*,
cùm sit dictio vniuersalis nihil excludens,
vt supra probauimus. Concluditur igitur,
quòd

quòd pœna statuta per nostram Extrauag. celebrantibus cambia sicca, & eiusdem dispositioni contrauenientibus, comprehendit non tantùm masculos, sed etiam fœminas.

Restat modo, vt ad argumenta respondeamus.

6 AD primum respondetur, quòd licèt pœnæ sint restringendæ; nihilominus extenduntur quandoque de persona ad personam; atque ideò multò magis ad masculos, & fœminas, quando agitur de delicto, quod de facili committi potest tàm à masculis, quàm à fœminis: at cambia sicca possunt celebrari, & de facto quandoque celebrantur tàm à masculis, quàm à fœminis; ergò, &c. Hinc sequitur, quòd cùm fœmina possit percutere clericum, sicut & masculus, tàm fœmina, quàm masculus percutientes clericum incidunt in excommunicationem contentam in cap. si quis suadente, 17. q. 4. Et quemadmodum fœmina potest interficere hominem sicut masculus, ita etiam si statuto caueatur, vt interficiens hominem tali pœna puniatur, tale statutum comprehendit non solùm masculos, sed etiam fœminas, vt per Bald. conf. 47. in fin. lib. 5. Roman. conf. 98. num. 3. & ibi Addent. & conf. 148. Alex. conf. 125. num. 13. lib. 7. & alios.

Ad confirmationem dicimus, quòd Do-
7 ctores in illis casibus loquuntur de statuto correctorio iuris communis, & ideò non extenditur ad fœminas, sed tantùm comprehendit masculos, vt habetur ex Soc. d. cõs. 23. num. 43. & seq. lib. 1. & latè Tusch. ver. Masculinum, concl. 101. num. 57. qui dicit, hanc sententiam esse communem. Hinc sequitur, quòd si statuto caueatur, vt domestici testes admittantur, cùm huiusmodi statutum sit exorbitans, & correctorium iuris communis, non habet locum in fœminis, vt per Alex. conf. 24. sub num. 4. vers. Nec statutum, lib. 2. & Tusch. loco citato, num. 38. qui per totam d. concl. 101. optimè declarat, an & quando masculinum concipiat fœmininum.

Ibi, *Pœnis à sacris Canonibus, &c.*

De pęnis contra vsurarios de iure Canonico, & alijs iuribus constitutis. Q. II.

SVMMARIVM.

1 *Vsurarij diuiduntur in manifestos, & non manifestos.*
2 *Publicum, notorium, & manifestum quomodò inter se differant, explicatur.*
3 *Vsurarij manifesti, seu notorij diuiduntur in notorios notorietate iuris, & in notorios notorietate facti.*
4 *Confessio extraiudicialis an & quando efficiat aliquem manifestum vsurarium.*
5 *Vsurarij non manifesti, qui dicantur, ostenditur.*
6 *Vsurarij de iure Canonico criminali pœna non plectütur, si manifesti maximè nõ sint.*
7 *Vsurarij non manifesti non modo de iure Canonico, sed nec quidem de iure Ciuili criminali pœna plectuntur.*
8 *Vsurarij non manifesti non contrahunt pœnam infamiæ.*
9 *Vsurarij non manifestis non est denegandum Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, si publicè petant.*
10 *Vsurarij non manifesti municipali iure criminaliter puniuntur.*
11 *Vsurarij non manifesti, si tales esse testibus conuincuntur, possunt pœna extraordinaria puniri etiam, non extante municipali lege.*
12 *Vsuraria prauitas est de iure punibilis.*
13 *Vsurarij non manifesti licèt non incurrant pœnam infamiæ, si tamen in iudicio vt tales damnentur, contrahunt infamiam iuris.*
14 *Vsurarij manifesti de iure canonico varijs pœnis plectuntur.*
15 *Vsurarij manifesti, etiam si clerici sint notantur infamia, & ideò incapaces sunt dignitatum, suspenduntur clerici ab officio, & beneficio, &c.*
16 *Vsurarij manifesti non admittuntur ad communionem altaris, nec ad aliud Sacramentum, nisi facta satisfactione.*
17 *Vsurarij manifesti non admittuntur ad oblationes in Ecclesia.*
18 *Vsurarij manifesti priuantur Ecclesiastica sepultura.*

19 *Vsurarij manifesti testamenta nulliter condunt, & eorum testamentis nullus potest interesse.*

20 *Vsurarij manifesti an debeant esse notorij notorietate facti, vel iuris, vt in pœnas contra ipsos statutas, incidant.*

21 *Vsurarij manifesti testamentum, præstita cautione de restituendis vsuris, vel si restituat, non irritatur, & 19.*

22 *Vsurarij manifesti ad euitandas pœnas eis statutas in c. quamquam, de vsur. in 6. satis est si vsuras restituant.*

23 *Vsurarij manifesti tàm testamentum, quàm codicilli, & alia quæcunque vltima eius voluntas irritantur, si vsuras extortas non restituant, vel caueant, vt supra.*

24 *Manifesti vsurarij testamentum, & aliæ dispositiones, causa mortis, non irritantur, si ante mortem non erat vsurarius manifestus.*

25 *Manifesti vsurarij testamentum aliàs nullum, assumit vires per cautionem præstitam de restituendis vsuris.*

26 *Vsurarij manifesti Infidelis testamentum an teneat, declaratur.*

27 *Manifestos vsurarios sepellientes, qua pœna plectantur: & qui propriè dicatur sepellire.*

28 *Episcopus potest dispensare cum Clerico manifesto vsurario post pœnitentiam, & satisfactionem, vt maneat in beneficijs obtentis, & fiat habilis ad alia beneficia obtinenda; licèt hoc vltimum, difficultatem habeat.*

1 PRo hac re non nulla cumulauimus supra, §. 1. q. 47. modò autem, vt completè rem ipsam explicemus, est adnotandum, quod vsurarij quidam sunt manifesti; quidam verò non manifesti. Manifesti vsurarij dicuntur, qui adeò notorij sunt, vt nulla possint tergiuersatione celari, vt habetur ex Molin. de contr. disp. 333. Ioan. de Salas in suo tract. de vsur. dub. 46. Et quamuis vsurarij manifesti, publici, notorij, & famosi videantur inter se conuenire; in re tamen aliquo modo differunt; siquidem delictum publicum differt à notorio, manifesto, & famoso. Nam delictum publicum dicitur,
2 quod est notorium, manifestum, vel famosum maiori parti viciniæ, Collegij, vel Monasterij, dummodo decem personæ saltem inueniantur in ea vicinia Collegio, vel Monasterio, vt habetur ex Sayr. lib. 2. Thes. tom. 1. cap. 12. num. 19. Sanch. lib. 2. Decal. cap. 11. num. 19. cum alijs, quos allegant. Notorium verò delictum appellatur, quod nititur scientia maioris partis prædictarum communitatum. Manifestum autem, quod nititur fama eiusdem maioris partis, orta à scientibus. Et denique famosum delictum est illud, quod nititur fama maioris partis, orta ex vno scienti, vel ex indicijs, aut præsumptionibus illis æquipollentibus, vt per Nauar. in Man. cap. 27. sub num. 255. & nos diximus in nostris Commentar. in Bull. cœn. lib. 3. §. 2. q. 11. sub num. 5. vbi etiam adnotauimus ex Sayr. quòd publicum delictum dicitur, quod notum est decem testibus: quibus adde, quæ cumulauimus in eisdem Commentar. lib. 2. cap. 1. quæst. 8. sub num. 13. vbi licèt notorium delictum dixerimus illud esse, quod in maiori viciniæ, Oppidi, vel Collegii parte per testes oculatos notum est; nihilominus ex Suar. tom. 3. disp. 67. sec. 5. conclusimus, quòd nulla certior regula in hac re assignari potest, quàm prudentis arbitrij sententia. Vndè manifestus vsurarius dicitur etiam publicus; non quilibet, cùm publicum includat famosum, sed is, qui est adeo notorius, vt nulla tergiuersatione celari possit.

3 Sunt autem notorij, seù manifesti vsurarij dupliciter. Nam quidam tales sunt notorietate iuris, vt qui per iudicis sententiam de vsura damnati fuerunt, vt in c. fin. de cohab. cler. & mulier. vel qui rectò iuris ordine vsuræ crimen coram Iudice sunt confessi, vt habetur per Couar. lib. 3. var. resol. c. 3. num 4. Syl. ver. vsura 9. q. 1. & alios, quos refert, & sequitur Ioan. de Sal. de vsur. dub. 46. sub num. 1. Quidam verò vsurarij appellantur manifesti, seù notorij notorietate facti, quales sunt illi, qui coram populo publicè vsuras exercent, siuè sub vsuris mutuo dent formaliter, siuè virtualiter cambia sicca celebrantes, vel res supra rigorosum pretium vendentes, dilata solutione, aut ementes anticipato minus infimo pretio, vt habetur ex Nauar. in Man. c. 17. num. 280. & ante ipsum Panor. in cap. ad nostram, de empt. & vendit. Sylu. ver. vsura, 9. q. 2. cum alijs, quos allegat Ioan. de Salas loco citato, sub num. 1. Hi enim ipsa patrati sceleris euidentia, nullam excusationem habent, vt

in

in c.euidentia,de accusat. Item notorij notorietate facti dicuntur, qui per indicia indubitata tales esse ostenduntur,vt in c.cum dioeceſi,de vſur.& Ioan.de Salas d.dub.46. num.2.contra Syl.& alios. Praeterea manifesti,ſcù notorij notorietate facti appellantur illi vſurarij,qui coram Sacerdote, & testibus extra iudicialiter confessi ſunt,ſe vſurarios esse,ac vſuras restitui praeceperunt,libros rationum tradentes. Etenim quamuis
4 confessio extraiudicialis non efficiat aliquem manifestum vſurarium,arg.tex. in c. fin.de cohab.cler. & mulier. nihilominus si facta fuerit coram Sacerdote,& testibus publicè, ita vt in plurium notitiam deuenerit, manifestus vſurarius erit, vt habetur per Gloſ.in c.quamquam,de vſur.in 6.ver.Manifestum:Panor.in c.quia in omnibus,col.5. de vſur.Felin.in c.auditis, col. pen. de praeſcript.Bald.in l.1.col.4. C.de Sacroſ. Eccl. Soc.conſ.127.col.2.lib.3. qui testatur,hác ſententiam esse communem, & alios apud Ioan. de Salas, d. dub.46. ſub num.2.circa medium: qui licèt ibi cõtrariam opinionem putet esse veriorẽ; nihilominus ſub num. 4. verſ. Tertius modus, ait, quòd rationes pro nostra ſententia probant tàm ſi confessio fiat coram Sacerdote, quàm coram Notario; modò ita extraiudicialiter facta fuerit coram testibus palam,& publicè, vt in plurimorum notitiam deuenerit:ſiquidem Doctores pro nostra ſententia fundantur in eo, quòd vſurarius,eo caſu, ore proprio rem manifestam fecerit. Nec eo euentu exigitur, vt confessio extraiudicialis fiat in articulo mortis, vt contra non nullos,inquit, idem Ioan.de Salas ibi,num.3.

Vſurarii verò non manifesti ſunt reliqui,
5 qui nec publici ſunt, nec notorij notorietate iuris,nec facti. Ex hoc infertur,quòd licèt quis per ſufficientes testes probari poſſit vſurarius; talis tamen non dicitur manifestus:nam dum crimen eius in eo statu exiſtit,non dum est notorium;ſed tantùm probabile, vt diximus in Commentar. Bull. coen.lib.2.cap.1.q.8.ſub num.13. Imò nec manifestus vſurarius dicitur, qui conuictus in iudicio est, niſi ſuperueniat ſententia iudicis,vt habetur ex Couar.loco citato,Villaguta,q.25.de vſur.not.1.Berard. Diaz in pract.crim.cap.89. Panor. in d.cap.quia in omnibus,vbi etiam Ioan. Andr. de vſur. & idem Panor.& Hoſt.in c.dioeceſi, eod. tit. & Ioan.Andr.in c.1.de vſur.in 6.Iaſ.conſil. 78.num.3.lib.3. Menoch.caſu 238. in fine, quamuis contrarium poſt alios videatur tenere Ioan.de Salas d.dub.46.ſub num.1.& ſub num.4. verſ. Quattò manifestus: & ex Sà maximè in foro interno: ait enim,quòd in foro interno ſi vulgatum non dum ſit multis, aliquem omninò conuictum esse iudicio, manifestus vſurarius dicetur, etiam condemnatione non dum ſubſecuta. Sic etiam quamuis de vſuraria prauitate ſit publica contra aliquem infamia; is tamen non propterea dici poteſt vſurarius manifestus: quoniam huiuſmodi delictum est famoſum; non autem notorium, ac manifestum, vt in c.tua nos,& c.vlt.de cohab.cler. & mulier. & nos adnotauimus in ſupra relatis Commentar. loco citato. Imò nec manifestus vſurarius cenſetur ille,contra quem est opinio de vſura apud multos, & probos viros, niſi ſimul notorius ſit aliquo ex ſupradictis modis: quia estò,quòd infamia in iudicio probetur,& ſimul cum ea ſit vnus testis,aut multi, qui omni exceptione maiores non ſint, & qui cum infamia plenam probationem non faciant, atque ideò à Iudice damnetur poena aliqua extraordinaria; adhuc tamen non dicetur manifestus vſurarius, vt habetur ex Couar.loco citato,& Ioan.de Salas d.dub.46.ſub num.1. verſ. Esto autẽ: vbi etiam addit,idem dicendum esse, ſi quis de vſura fuerit conuictus in iudicio per plures testes ſingulares,& extraordinariè condemnatus; niſi tot testes ſint, & tanti ponderis, vt concurrente praeſertim infamia, quamuis ſint ſingulares, ſufficientes ſint ad faciendam plenam probationem, adeò vt ex eorum depoſitionibus poena ordinaria fuerit condemnatus,iuxta ea, quę ſupra diximus. Denique vſurarius manifestus non poteſt appellari ille, qui licèt contractum vſurarium publicè celebrauerit; nihilominus non constat publicè talem contractum esse vſurarium, vt patet ex iis, quae nos adnotauimus in ſupra relatis Commentat. in in Bull. coenae, lib.3. §.2. q.11. num.6. vbi etiam num.7.cum plur.ſcq.ostendimus,delictum aliquod dici occultum pluribus alijs modis.His breuiter ſic adnotatis, ſit

Prima

Prima Conclusio.

6 VSurarij non manifesti, de iure Canonico criminali pęna non plectuntur. Hæc conclusio est Ioan. Croti in cap. cum tu, num. 25. de vsur. Dec. cõs. 170. sub num 1. Tusc. ver. Vsurarius, concl. 354. sub num. 9. & ante ipsos Bald. in l. improbum, C. ex quib. caus. infam. irrogat. Rationem autem hanc esse volunt: quia in iure Canonico nõ extat Canon, nec constitutio aliqua, quibus vsurarijs non manifestis aliqua pęna statuatur; ergo de iure Can. nulla pœna criminali plecti possunt, arg. tex. in c. illa, ne sed. vac. & cap. is qui, de sent. excom. in 6. Vndè de iure Canonico vsuratius huiusmodi ad nihil aliud tenetur, quàm ad vsurarum perceptarum restitutionem, vt in cap. 2. & cap. tuas, de vsur. & infra latius dicemus q. seq. concl. 1. siquidem ius Canonicum per se primò respicit bonum animæ: id autem assequitur per vsurarum restitutionem. Confirmatur hæc conclusio ex tex. in cap. cum tu, §. illi, eod. tit. de vsur. vbi impotentes restituere vsuras excusantur de iure non solùm ab earum restitutione; sed etiam à quacũque alia pœna: ergo multò magis à criminali pœna excusantur vsuras perceptas restituentes, auth. multò magis, C. de sacros. Eccles.

Ampliatur hæc cõclusio, vt nec quidem
7 de iure ciuili vsurarii pœna aliqua plectantur, etenim nulla lege id cauetur, vt habetur ex Corn. cons. 159. num. 6. lib. 3. Rolan. à Valle cons. 75. per totum, & ex aliis. Est tamen verum, quòd est speciale in crimine vsurarum, vt Iudex ecclesiasticus procedere possit per inquisitionem ad priuatam vtilitatem, nempe ad finem, vt perceptæ ab vsurariis restituantur: secus autem Iudex sæcularis: nam is ad punitionem ciuilem criminaliter procedere non potest, vt post Bald. & alios probat idem Dec. d. cons. 170. sub num. 1. & 2.

Secundò ampliatur, vt vsurarii non ma-
8 nifesti nec pœnam quidem infamiæ incurrant, vt habetur per Couar. lib. 3. var. resolut. cap. 3. num. 2. Villag. q. 35. de vsur. Saly. in l. improbum fœnus, C. quibus ex caus. infam. irrogat. quos refert, & sequitur Ioan. de Salas. de vsur. dub. 47. sub num. 1.

Tertiò ampliatur, vt vsurariis non mani-
9 festis non sit deneganda Eucharistia, si publicè illam petant: nõ tamen sunt absoluendi in foro conscientiæ, nisi satisfecerint, aut satisfacere sint parati; sicut furibus occultis, & aliis debitoribus fieri debet, vt per Molin. d. disp. 334. & ex aliis, ait idem Ioan. de Salas, loco citato, sub num. 8. vers. Circa quæ obserua.

Sic ampliata limitatur eadem conclusio,
10 vt quamuis in corpore iuris tã ciuilis, quàm Canonici nulla pœna plectantur vsurarij non manifesti, vt supra probauimus, de iure tamen municipali vsurarij criminaliter puniuntur. Etenim in Regno nostro Neapolitano plectuntur pœna confiscationis bonorum: & eadem pœna puniũtur in Hispania si tertia vice in huiusmodi crimen incidant: mitius tamen puniuntur prima, & altera vice, vt testatur Molin. d. disp. 334. Imò vsurarij licet non sint manifesti, si tamen
11 probentur tales, estò quòd nulla cõtra eos extet municipalis lex qua certa, ac determinata pęna puniantur; nihilominus veniũt puniendi pœna extraordinaria arbitrio iudicis; quoniam vsuraria prauitas est de iure
12 punibilis, quamuis certa pœna contra vsurarios non manifestos in iure non reperiatur sancita, vt contra non nullos probat Iul. Clar. recep. sent. lib. 5. §. vsura, vers. Ex hoc, cum alijs à nobis supra cumulatis d. §. 1. q. 46. limi. 2. quibus adde quoque quæ adnotauimus d. q. 47. cõcl. 1. illat. 2. vbi agimus, an, & quando Iudex sæcularis agere possit ad exactionem pœnę contra vsurarios, antequam condemnentur per Iudicem Ecclesiasticum: & illat. 3. vers. Illud autem etiam ostendimus qualiter vsurarius puniri possit, etiam si ex contractu vsurario vsuras non dum exegerit.

Secundò limitatur, vt licèt vsurarij non
13 manifesti non incurrant pœnam infamię, vt supra ostendimus, nihilominus si in iudicio de tali crimine condemnentur, infamiam statim contrahunt, vt habetur per Couar. lib. 3. var. resolut. cap. 3. num. 2. & Molin. loco citato: quibus etiam adde, quæ supra adnotauimus d. q. 47. concl. 1. illat. 1. etenim vsurarius non manifestus in iudicio de vsuraria prauitate condemnatus, statim efficitur

tur

tur notorius notorietate iuris iuxta ea, quæ infra dicemus concl.seq.

Secunda Conclusio.

VSurarij manifesti de iure Canonico
14 varijs pœnis plectuntur. Nam primò afficiuntur pœna infamiæ, etiam si Clerici sint, vt in cap. inter dilectos, de excess. Prælat. Quæ quidem pœna irrogatur etiam de iure ciuili, vt in d.l. improbum fœnus, C. ex quib. caus. infam. irrogat. vbi Bald. addit vsurarios manifestos, etiam post restitutionem vsurarum, & peractam pœnitentiam esse infames: quamuis idem Bald. in l. casus, ad fin. ff. de solut. dicat, quòd si vsurarij peniteant, & restituant vsuras, de æquitate Canonica famam recuperant; quam sententiam tenet etiam Felin. in cap. 1. col. 12. limit. 8. de probat. Affl. d. singul. 196. & Ioan. de Sal. d. dub. 47. sub num. 1, vbi etiam ex Molin. & Couar. locis citatis, & ex Villag. d.q. 35. de vsur. & ante ipsos Glos. in d. l. improbum fœnus, ait, pœnam infamiæ de iure Canonico statutam habere locum etiam in exercente vsuras permissa de iure ciuili: quia pęna illa imponitur exercentibus vsuras prohibitas: at omnes vsuræ sunt prohibitæ de iure Canonico, maximè, vt in c. consuluit, & cap. super eo, & toto titulo, de vsur. & c. 1. & 2. cum plur. seq. de vsur. vndè hodie omnes vsurarij sunt infames; quoniam omnis vsura improba est, vt in d. §. 1. q. 47. concl. 1. illat. 1. latè explicauimus: atque ideò vsurarij manifesti sunt incapaces dignitatum, cap. infamibus, de regul. iur. in 6, nõ possunt ad ordines sacros promoueri, cap. maritum, 33. d. repelluntur etiam à collatione beneficij, ac testimonio, Cardin. cons. 25. in prin. Alex. cons. 93. lib. 6. & Tusc. vers. Vsurarius cõcl. 343. possunt puniri criminaliter, Dec. 170. in fin. Tusch. loco citato, num. 15. possunt torqueri, & pœna extraordinaria puniri, vt per Iul. Clar. recep. sent. lib. 5. §. vsura, num. 5. vers. Ex hoc infertur, & num. 10. & idem Tusch. ver. Vsurarium pœnæ, concl. 354. Et quamuis Clar. loco citato, num. 8. putet vsuræ crimen esse mixti fori; Tusch. tamen ver. Vsuraria causa, concl. 357. illud esse fori tantùm ecclesiastici: quod quomodo procedat, sufficienter declarauimus d. q. 47. concl. 1, illat. 1. quibus adde ea quoque quæ ibidem cumulauimus, illat. 1. Clerici
15 quoque si manifesti vsurarii sint, suspenduntur ab officio, & beneficio, cap. præterea, de vsur. Non tamen sunt ipso iure suspensi, & ideò si celebrent antequam suspendantur, non efficiuntur irregulares, vt cõtra Angel. vsura 2. num. 7. docet Ioan. de Sal. de vsur. dub. 47. sub num. 3. Imò huiusmodi clerici ab officio iam adepto deponuntur, vt habetur ex Molin. d. disp. 334. per tex. in cap. 1. de vsur. in illis verbis, *Ecclesiastici beneficij periculum patiantur*. Quod quidem verum esse putat Diaz in sua praxi crim. & alii, teste Ioan. de Salas loco citato, sub num. 4. si tales clerici in vsurarum crimine perseuerent; atque ideò si desistant, degradationis pœnam effugient, vt colligitur ex tex. in d. cap. 1. de vsur. Et quamuis Panor. velit in c. preterea, eod. tit. clericos manifestos vsurarios posse vtraque pœna puniri, suspensionis scilicet, & depositionis, cùm vtraque in iure statuta reperiatur; Couar. tamen lib. 3. var. resol. c. 3. num. 3. post alios, opinatur, huiusmodi clericos esse primo suspendendos: deinde si contumaces sint, & perseuerent deponendos: quem ordinem ex equitate saltem, inquit, Molin. loco citato, seruandum esse: nam estò, quòd de iure vtraque pęna imponi possit; grauiorem tamen decet vltimò imponi; cum qua sententia videtur pertransire Ioan. de Sal. d. dub. 47. sub num. 4. circa fin. quibus adde, quæ nos adnotauimus supra d. §. 1. q. 47. concl. 1. illat. 1.

Item vsurarii manifesti triplici pęna ple-
16 ctuntur in cap. quia in omnibus, de vsur. Nam primò non admittuntur ad communionem altaris, idest ad Sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti perceptionem: secundũ, Molin. d. disp. 334. Syl. vers. Vsura, 9. q. 4. Couar. d. cap. 3. num. 5. Tol. lib. 5. suæ sum. cap. 36. Sot. lib. 6. de Iust. & iur. q. 1. art. 1. Villag. q. 35. de vsur. & ante illos Io. Andr. in d. cap. quia in omnibus. Hanc eandem interpretationem ad illum tex. sequitur Palat. 4. de Contr. cap. 3. in sũa vers. Vsura, num. 7. qui docet insuper tales vsurarios ad nullum Sacramentum esse admittendos ante satisfactionem, vel saltem sufficientem cautionem: quod etiam docet Tolet. loco citato, & Nauar. in Man. cap. 17. num. 279. Ratio autem

autem hæc esse potest, quoniam Sacramenta citra lętalem culpam nõ reciperent. Vndè ex dictis patet non esse adeò receptam interpretationem Panor. ad d.c. quia in omnibus, Angel. vers. Vsura, 2. num. 5. & aliorũ existimantium, vsurarios manifestos per illum tex. prohiberi accedere ad sacrificium altaris; atque ideò interesse sacrificio Missę; quamuis Villag. vtranque interpretationem bonam esse affirmet. Non tamen est recedendum à prima; quoniam est verbis tex. magis accommoda, & habet plures Doctores magni ponderis pro se, ac eam etiam videtur sequi Ioan. de Salas loco citato, sub num. 6. vers. Sexta pęna est.

Alia pęna, quæ plectuntur vsurarii ma-
17 nifesti in d. cap. quia in omnibus, est, vt eorum oblationes in Ecclesia non recipiantur & si clerici ab eis illas recipiant, restituere tenentur, & pendente satisfactione ad arbitrium Episcopi ab executione suorum officiorum ipso facto sunt suspensi, vt habetur ex Panor. in d. cap. quia in omnibus, Ioan. Andr. in c. cum voluntate, de sent. excom. Villag. d. q. 35. concl. 4. & hoc limitat non habere locum, quando huiusmodi vsurarii dantes eleemosynas non efficiantur inhabiles ad restituendas vsuras: nam tunc possunt clerici illas ab eis percipere, sicut, & decimas.

Vltima poena, quæ manifestis vsurariis
18 statuitur in d. cap. quia in omnibus, est Ecclesiasticæ sepulturæ priuatio: & clerici sepelientes eos, suspensionis poena plectuntur, donec arbitrio Episcopi satisfecerint: quæ quidem suspensio contrahitur ipso facto, vt habetur ex Panor. Angel. Molin. locis citatis, Tab. ver. Vsura, 1. q. 5. & Ioan. de Sal. d. dub. 47. sub num. 8. Imò in Clem. 1. de vsur. decernitur, vt qui scienter manifestos vsurarios sepellire præsumpserit, sit ipso facto excommunicatus, nec absoluatur, nisi postquam arbitrio Episcopi satisfecerit. Eadem poena afficiuntur tales vsurarii in cap. quamquam, de vsur. lib. 6. vt infra dicemus vers. Quintò est adnot. Vndè ex hoc sequitur vsurarios manifestos posse inquiri, & condemnari etiam post mortem; sicut post mortem hæreticorum, potest cõtra eos procedi, & ferri sententia, cùm Ecclesiastica similiter priuentur sepultura, vt habetur ex Feder. Sen. r 6 s. 8. & latè Tusch. vers. Vsurarius, concl. 343. sub num. 1. vbi etiam num. 4. & 5 probat, quòd vsurarius manifestus in Ecclesia sepultus exhumari potest: quibus adde, quæ nos adnotauimus supra §. 1. q. 47. concl. 1. illat. 3. vbi in vers. Illud autem ostendimus, quòd licèt multi velint pęnas contra vsurarios statutas non incurri, nisi post exactas vsuras, nihilominus putamus eorum sententiam verã esse, quoad pęnam ordinariam infligendam: secus autem quoad pęnam extraordinariam.

Vltra dictas pęnas contra vsurarios ma-
19 nifestos, in d. c. quia in omnibus constitutas, adduntur aliæ per tex. in c. quamquam, de vsur. in 6. nempe, vt eorum testamentis conficiendis nullus interesse possit, & condita, nõ restitutis vsuris, vel de eis restituẽdis idonea cautione non præstita, sint ipso iure irrita, ac nulla: & insuper nullus eos ad confessionem admittat, aut absoluat, antequam restituant, vel cautionem prædictam præstent. Imò quamuis huiusmodi vsurarii in suo testamento, aut quacunque alia vltima voluntate restitui præcipiant vsuras, siuè exprimẽdo earũ quantitatẽ, siuè nõ, eis non tradatur Ecclesiastica sepultura, donec de vsuris, prout eorum facultates patientur, plenariè fuerit satisfactum, aut idonea præstita cautio.

Est tamẽ adnot. primò circa explicatio-
20 nem d. cap. quamquam, quòd Villag. q. 25. de vsur. & Couar. lib. 3. var. resolut. cap. 3. num. 5. licet velint vsurarios manifestos omnes incidère in pęnas d. cap. quia in omnibus, contentas; non tamẽ omnes quocunque modo manifestos contrahere pęnas in d. cap. quamquam, constitutas; sed eos tantùm vsurarios manifestos, qui notorii sint notorietate facti, qui coram populo publicè vsuras exercent, & tot id aspicientibus, vt nulla possit tergiuersatione celari, de quibus supra egimus in not. vers. Sunt autem. Etenim volunt, non esse verisimile tam graues pęnas statutas fuisse aduersus eum, qui semel tantum mutuo sub vsuris dederit, & eas acceperit, quamuis id publicè in iudicio confessus fuerit, vel de tali crimine iudicialiter condemnatus. Sed horum sententia nõ immeritò reiicitur à Molin. d. disp. 334. num. 5. quem sequitur Io. de Salas de vsur. dub.

dub. 46. sub num. 4. vers. Addunt Villag. siquidem tex. in d. cap. quamquam, generaliter loquitur, nec distinguit de vsurariis notoriis notorietate facti, & de notoriis notorietate iuris; ergò generaliter, ac indistinctè est intelligendus: quoniam lex generaliter loquens, generaliter est intelligenda, & quando non distinguit, nec nos distinguere debemus, leg. 1. §. generaliter, ff. de legat. præst. Confirmatur ex tex. in d. cap. quamquam, qui loquitur etiam de pœnis d. cap. quia in omnibus, nempe de prohibitione Ecclesiasticæ sepulturæ. Nec eorum fundamentum officit: siquidem nos supponimus, vsurariū manifestum quocūque modo nunquā dici ad Canonicas pœnas incurrēdas, nisi sit assuetu vsuras exercere, siuè eas palam, siuè occultè exercuerit, & manifestus efficiatur per iudicis sententiam, aut per eiusdem confessionem in iudicio, vel etiam extra iudicialem iuxta ea, quæ supra diximus in not. vers. Sunt autem. Etenim Bart. in l. 2. num. 3. ff. de furt. quem refert, & sequitur Ioan. de Salas d. dub. 46. num 4. circa fin. ait, quòd dum quæritur, quando quis dicatur delinquens, seù peccator manifestus, distinguendum est, quòd aut agitur de peccatore manifesto respectu certi, ac determinati delicti, vt quia tale furtū commisit, talem contractum vsurarium celebrauerit: vel agitur de peccatore manifesto respectu alicuius delicti in genere, vt quia sit fur manifestus, aut vsurarius manifestus, nō deueniendo ad indiuidua. Primò casu requiritur apprehensio, seù acclamatio contra eum in ipso actu delinquendi, vel in ijs, quæ sunt proxima delicto, ad hoc vt delinquens dicatur manifestus: Secundò verò casu satis non est, quòd delinquerit semel, aut bis in eodem genere delicti, sed exigitur, quòd constet publicè paratum esse ad illud committrendum, sicut meretrix in prostibulo, & vsurarius in banco, vt in § in prin. ff. de ritu nupt.

Secundò est adnot. quòd in d. c. quam-
21 quam, licèt non caueatur expressè, vt cautio detur cū pignoribus, aut fideiussoribus, sed tantum esse præstandam idoneam; nihilominùs cautio est præstanda cum fideiussoribus, vel cùm pignoribus; siquidem non aliter præstatur idonea, vt habetur per Glos. Anch. & Doctor. ibi, & facit tex. in l. si mandato Titij, §. vlt. ff. mand. & l 4. §. adijci, ff. de fideicom. liber. latè Couar. lib. 3. var. resolut. c. 3. num. 6. & alij, quos refert, & sequitur Ioan. de Sal. d. dub. 47. sub num. 9. vers. Secundò obserua: vbi etiam ex Nauar. in Man. cap. 17. num. 280. Syl. in verf. Restitutio, 6. q. 1. Molin. d. disp. 334. & ex alijs addit, quòd si quis in periculo mortis sit constitutus, & velit idoneam cautionem præstare, vel restitucre vsuras extortas, & nō possit, vt quia vel est in deserto, vel in mari, vel transfixus gladio, aut aliter adeò affectus, vt probabiliter timeatur eum mori, antequam prædicta adimpleat, tunc potest à quocunque Sacerdote absolui; modò tempus ad id supperat, iuretque se ex ipsis præstiturum, quæ potuerit. Quòd si aliqui sint præsentes, coram illis protestetur, se vsuras prædictas debere, & præcipiat, vt de bonis suis restituantur, ac confessarius ab eo facultatem obtineat prædicta omnia manifestandi ordinario, vt si conualuerit, possit ab eo cogi ea omnia adimplere. Nomine autem ordinarij, ait Molin. loco citato, & Ioan. de Sal. d. dub. 47. sub num. 9. vers. Quartò obserua; intelligi quemcumque iurisdictionem, Episcopalem habētem, eiusque Vicarium, imò Abbatē, & alios superiores similes eorumque Vicarios: & satis quoque esse, inquit idem Sal. ibi, vers. Quintò obserua ex Glos. in d. cap. quamquam Molin. & alijs, si Notarius publicus eo casu de mandato Ordinarij stipuletur nomine eorum, quibus facienda est restitutio vsurarum: quoniam illis tunc ius acquiritur in foro exteriori: secus autem si id de mandato Ordinarij non efficiat.

Tertiò est adnot. satis esse, quòd vsura-
22 rius manifestus vsuras extortas restituat ad euitandas pœnas in d. cap. quamquam contentas: nec exigitur vt interesse restituat, quamuis ad illud in foro cōscientiæ teneatur: siquidem tex. ille loquitur tantùm de restitutione vsurarum, & cùm sit pœnalis, est strictè intelligendus, vt in cap. in pœnis, &c. odia, de regul. iur. in 6. Ita intelligunt dictum tex. Anch. ibi, & Ioan. de Salas d. dub. 47. sub num. 9. vers. Tertiò obserua.

Quintò est adnot. quòd licèt in d. c. quā-
23 quam, irrita ipso iure decernantur testamēta vsurariorum manifestorum, non restitutis vsuris,

vsuris, vel de eis restituendis, idonea cautione non præstita;nihilominus tex. ille eodem modo intelligendus est de codicillo,& alia quacunque vltima voluntate: nam codicilli largè dicuntur testamenta; cùm adhuc sint mentis testationes, cap. placuit,§. sed aliud,13.q.2. l.conficiuntur, & l.ab intestato, ff. de iur. Codicil. ac in Inst. de testam.in prin.& re vera,nisi d.c. quamquam, loquens de testamentis, nõ esset intelligendum etiam de Codicillo,& alia quacunque vltima voluntate, mens illius facilè posset elidi, & frustratoria de facili redderetur, vt habetur per Glos.vltimam communiter receptam in d.c.quamquam,vbi Archid.præcipuè,Io.Andr.Franc.& Villag.q.35.cõcl. 9.de vsur.Syl.vsura,9.q.7.Angel. vsura.2. num.11.Tabien.verb. Vsura, q.5. & Armil. eod.ver.num.53.

Est tamen verum, quòd testamẽtum va-
24 lidum erit, sicut etiam Codicillus, si sint talis vsurarij manifesti; qui ante mortem nõ erat notorius; sed tantùm post mortem efficeretur manifestus per iudicis sententiam, legitimis probationibus præcedentibus, ac seruatis seruandis: siquidem testamentum cùm morte testatoris firmetur, ac testator ante mortem, vel mortis tempore nullum habuerit impedimentum, non potest reddi ratio,cur eius dispositio nõ valeat. Ità Molin.d.disp.334.& Ioan. de Salas d. dub.47. num.9.vers. Sextò obseruа: vbi secus verò probat esse dicendum de testatore, qui ante mortem esset damnatus,& non præuia satisfactione, vel idonea cautione præstita, decederet; quoniam tunc eius dispositio esset ipso iure nulla, etiam quoad legata ad pias causas si impœnitens decesserit, vel saltem signa contritionis non ostenderit:secus autem si signa pœnitentiæ dederit;quia eo casu quidam volunt, talem dispositionem valere quoad legata ad pias causas,vt per Syl. & Couar.locis citatis.

Et quamuis testamentum manifesti vsu-
25 rarij, qui ob vsurarum exercitio iam destitit,si ante mortem non satisfecerit, aut idoneam cautionẽ præstiterit,vt supra, sit nullius momenti, iuxta ea, quæ supra diximus ex Molin.cum alijs ab eo allegatis;nihilominus si talis vsurarius manifestus de facto testamentum condiderit, non præuia satisfactione,nec cautione prædicta, si deinde ante mortem idoneam cautionem dederit,testamentum aliàs nullum assumit vires, & conualescit,vt per Glos. & Anch. in d. cap. quamquã:Glos.in Clem.1.vet.Manifestus, de sepultur. Villag. d.quęst.35.concl. 10.& alios,quos refert,& sequitur Ioan.de Salas, d.dub.47. sub num. 10.vers. Testamentum eius; qui hanc esse dicunt rationem: siquidem testamentum morte testatoris confirmatur: at huiusmodi testamentum ante testatoris mortem omnia habuit ad eius validitatem necessaria. Quod quidem locum sibi vendicare, ait idem Ioan. de Salas sub 6.num.10. vers. An autem; etiam si huiusmodi manifestus vsurarius post testamentum conditũ cauit quidem idoneè,sed post cautionem secretè vsuras exercuit: quia licèt non habuerit animum restituendi; tamen verum, & sufficientem satisdationem pręstitit, ita vt ad restitutionẽ compelli possit: cuius opinio nobis videtur satis probabilis; eò magis quia Panor.auctoritate roboratur in d.cap.quia in omnibus,sub num.10. de vsur.quamuis Molin. Couar.& alij relati ab ipso Ioan.de Salas contrarium sentiant.

Illud autem circa rem hanc nolui silẽtio
26 præterire,quod Molin.& Couar.dicunt de testamento manifesti vsurarij Infidelis, qui Principum Christianorũ iurisdictioni subduntur: dum horum quoque testamentum inualidum esse censeant, nisi seruentur ea, quę pręcipiuntur in d.cap.quamquam.Sed re vera probabilior nobis videtur sententia Ioan. de Salas ibi num.10. dicentis talium Infidelium testamenta non comprehendi sub dispos.d. c. quamquam, ex Pręsumpta voluntate Rom. Pontif. qui Christianorum saluti ex pœnarum speciebus censetur voluisse consulere, atque adeò curam habuisse:& non de ijs,qui foris sunt,& quorũ vsuras tolerat.

Quintò est adnot. quòd licèt in d. cap.
27 quamquam nulla feratur excommunicatio contra sepelientes manifestum vsurarium, qui vsuras restitui iussit, antequam execution demandentur ea,quæ in d.cap.seruari mandantur; nihilominus dicti sepelientes sũt ipso facto excommunicati per Clem.1. de vsur. quæ post illud cap. fuit edita. Dicuntur autem sepelientes ex Villag.d.q.35. concl.

concl.9.& 17. & Ioan. de Salas d. dub.47. sub num.9. vers. Sexto obserua: non tantùm tumulantes, seù in foueam, & in sepulturam corpus inferentes; verum etiam clerici deferentes cereos, comitantes, asportantes funus, aperientes, fodientes, seù fabricantes sepulchrum, & alij eiusmodi. His etiam adde, quæ supra cumulauimus, vers. Vltima pœna: & §.1.q.47. siquidem in pęnam vsurarij repelluntur à testimonio: non admittuntur ad iuramentum suppletorium: potest frater rumpere testamentum fratris vsurarij instituentis: vsurarij appellare nequeunt ad subterfugiendam vsurarum restitutionẽ: accusatis denegantur aduocati propter criminis grauitatem: prohibentur habitare inter Fideles: & domus in Ciuitate eisdem locari non permittitur, vt latè declarat Io. Bapt. Lup. in d.c. quamquam, de vsur. in 6. Est denique statutum in pœnam eiusmodi vsurariorum, vt si ad vsuram pecuniam acceperint, easdemque soluerint, denegetur eis repetitio, sicut & eorum hæredibus, donec ipsi vsuras extortas, aut eorum hæredes restituant; nisi alicuius Ecclesię, vel alterius nomine ad vsuras pecuniam acceperint, & soluerint, quoniam tunc statim eis conceditur repetitio, vt in cap. Michael, & ibi Panor. de vsur. & latè Salas d. dub.47. in fin. qui etiam sub num. 10. in fin. ex Villag. loco citato, conclus. 8. & Bald. cons. 334. negat, posse Principem sæcularem statuere, testamentum manifesti vsurarij esse validum, non præmissa vsurarum restitutione, aut idonea cautione præstita, iuxta tex. in d. cap. quamquam: siquidem Principes sæculares non possunt derogare legibus Pontificijs, salutem animæ præsertim concernentibus.

Tertia Conclusio.

28 Episcopus potest dispensare cum clerico manifesto vsurario post pœnitentiam, & satisfactionem, vt maneat in beneficijs iam obtentis: quoniam licet possit eum deponere, vt supra ostendimus concl. præcedenti; potest tamen eundem non deponere, sed suspendere ad tempus, vt ibidem diximus, & colligitur ex tex. in c. præterea, de vsur. ergò post pœnitentiam, & satisfactionem potest eum relinquere in proprijs beneficijs iam obtentis. Imò Glos. in d.c. præterea, inquit, Episcopum dispensare posse cum clerico vsurario manifesto post pœnitentiam, & satisfactionem habitam, vt habilis fiat ad Ecclesiastica beneficia obtinenda: quam sententiam tenet etiam Panor. in c. inter dilectos, de excel. Prælat. Villag. d.q.35. concl.14. de vsur. Diaz c.88. in prax. & communem esse testatur Couar. lib.3. var. resol. cap.3. num.3. quamuis deinde eam restringat cum Glos. in d. c. inter dilectos, ad beneficia obtenta, non autem obtinenda. Non tamen puto recedendum esse ab opinione Glos. in d. c. præterea, & sequacium: nam, vt ait Molin. d. disp. 334. Glos. in d.c. inter dilectos, non negat, posse Episcopum post pęnitentiam, & satisfactionem reddere habilem clericum vsurarium ad beneficia obtinenda, quæ de nouo vacent, & ad quæ de nouo post talem pœnitentiam ius acquirat; sed solùm asserere non posse habilem reddi per Episcopum ad ea beneficia obtinenda, ad quæ ante pœnitentiam, & satisfactionem fuerat promotus, & habebat ius, sed omninò esse ab eis repellendum, conferendaque esse alteri: cum qua sententia videtur pertransire quoque Ioan. de Salas d. dub.47. sub num.5. quamuis cõtrarium teneant multi, quos retulimus supra d.§.1.q.47. illat.1. Non tamen Episcopus, imò nec Legatus dispensare possunt, vt vsurarij manifesti sepeliantur in loco sacro, non adimpletis ijs, quæ decernuntur in d.c. quamquam de vsur. vt habetur ex Tusch. ver. vsurarius manifestus, concl.343. num. 17. licet Episcopus possit tollere ab vsurario infamiæ notam, vt supra diximus d. q. 47. illat. 1.

Ibi, *Se nouerit subiacere.* An cambia sicca celebrantes cõtra formam nostræ Extrauag. pœnas contra vsurarios per sacros Canones statutas incurrãt ipso facto, vel post sententiam à Iudice latam. Q. III.

SVMMARIVM.

1 *Dictio,* Subiacere, *significat pœnam excommunicationis incurrendam ipso facto.*

2 *Vsurarij diuiduntur in manifestos, & non manifestos: & manifestos in notorios notorietate*

rietate facti, & notorios, seu manifestos notorietate iuris.

3 *Cambia ficca occultè, & nō manifestè exercentes vi nostræ Extrauag. vsurariorum pœnis ipso facto non subijciuntur.*

4 *Vsurarij non manifesti ante iudicis sententiam non sunt infames.*

5 *Cambia ficca publicè, ac notoriè exercentes ipso facto subijciuntur pœnis per sacros Canones vsurarijs manifestis inflictis.*

6 *Pœnas ipso facto latas non tenetur quis subire ante iudicis sententiam.*

1 IN hac re pœnas contra vsurarios per sacros Canones inflictas ipso facto incurrere celebrantes cābia ficca vi nostræ Extrauag. viderut esse dicendum. Probatur ex illis verbis huius §. *Se nouerit subiacere*, quæ significant pęnam excōmunicationis incurrendam ipso facto, vt in c. 2. de hęret. in 6. & nos adnotauimus in nostris Comment. in Bull. cœn. Dom. lib. 1. c. 3. q. 1. Hinc vigore prędictorum verborum Glos. in c. quāquam ver. subiacere, de vsur. lib. 6. inquit, quòd per 1. y. subiacere, vi dicti c. quamquam, hodie Ecclesiastici admittēres ad sepulturam Ecclesiasticā vsurarios manifestos, pœnas cōtra vsurarios latas in Conc. Lateran. de quibus in c. quia in omnibus, de vsur. ipso facto incurrūt. Ergò cū per nostrā Extrauag. statuatur, vt quicūque contra eandē constitutionē cōmiserit, poenis à sacris Canonibus contra vsurarios inflictis, se nouerit subiacere, cambia ficca celebrantes pœnas ipsas contrahunt ipso facto, & nulla expectata iudicis sententia.

2 Pro determinatione huius difficultatis sunt recolenda ea, quæ in præcedenti quæstione adnotauimus, dū diuisimus vsurarios in manifestos, & non manifestos: & manifestos in notorios notorietate facti, & manifestos, ac notorios notorietate iuris. His breuiter adnotatis, fit

Prima Conclusio.

3 CAmbia ficca occultè, ac non manifestè exercentes, vi nostræ Extrauag. vsurariorum pęnis ipso facto nō subijciūtur. Hæc conclusio patet ex his, quæ diximus in præcedenti quæstione, cōcl. 1. vbi ostendimus, quod vsurarij nō manifesti de iure Canonico pœna aliqua determinata nō puniuntur, nec eo iure ad aliud tenentur, quàm ad vsurarum perceptarum restitutionē: at per nostrā Extrauag. cābia ficca exercentes, illorū vsurariorum pœnis subijciuntur, quibus per sacros Canones cōstitutæ reperiuntur; non ergo cambia ficca occultè exercētes vi nostræ Extrauag. vsurariorum pęnis ipso facto subijciuntur. Nec obstat tex. in c. præterea, de vsur. vbi agitur de vsurarijs simpliciter: & clerici veniunt plectendi pęna suspensionis ab officio, & beneficio; ac laici pęna excōmunicationis: & ideò cū vsurarijs etiam nō manifestis certæ, ac determinatæ poenæ reperiantur inflictę, vi nostræ Extrauag. eisdē pęnis ipso facto subijciūtur vsurarij tàm manifesti, quàm nō manifesti: quoniā respōdetur, quòd tex. ille loquitur de vsurarijs manifestis tantū, qui moniti adhuc perseuerāt in exercēdis vsuris: & ita quoque intelligendi sūt tex. in c. 1. eod. tit. & c. si oblitus, & c. quoniam, 14. q. 4. vt nos adnotauimus, supra q. præced. cōcl. 2. & colligitur etiā ex Dec. d. cōs. 170. vndè cū pęna aliqua de iure Canonico vsurarij nō manifesti non afficiantur, exercētes occultè cambia ficca, ac committentes contra nostram Extrauag. vi eiusdem vsurariorū pœnis non subijciuntur.

4 Et quamuis hodie omnes vsurarij efficiātur infames, cùm omnes sint improbi, vt latè ostendimus supra, q. præced. concl. 2. & per consequens non valeant ad dignitates promoueri; nihilominus, cùm vsurarii non manifesti ante iudicis sententiam non sint tales, vt in eadem q. concl. 1. ampl. 2. ostendimus, cambia ficca occultè exercentes ante iudicis sententiam non prohibentur ad dignitates promoueri. Dixi, *Ante iudices sententiam*, quia si in iudicio de tali crimine condemnētur, infamiam statim contrahūt, & propterea non possunt ad honores, ac dignitates promoueri, nec ad beneficia præsentari, ac eligi, repelluntur à testimonio, nō defertur eis iuramentum suppletorium in defectum probationū, non audiuntur petētes vsuras de iure sibi debitas, nisi restitutis vsuris indebitè extortis, & potest frater eius, qui ficca cambia exercuit, & de tali crimine condemnatus fuit, & turpem personā instituit, testamentum rūpere, vt supra adnotauimus q. præced. concl. 1. limit. 2. & concl. 2. circa fin. ac §. 1. q. 47. illat. 1.

Secunda Conclusio.

5 CAmbia ficca publicè, ac notoriè exercentes ipso facto subijciuntur pœnis per sacros Canones vsuratijs manifestis inflictis. Probatur, tum quia non nulli alij volunt, vsurarios manifestos ipso iure contrahere pœnas à sacris Canonibus statutas, vt habetur ex Panorm. in c. quia in omnibus, num. 9. de vsur. tum quia, dato quòd per sacros Canones vsurarij manifesti non plectantur pœnis ab eis statutis ipso facto incurrendis; nihilominus vi nostræ Extrauag. cambia ficca publicè, ac manifestè exercentes, vltra pœnam infamiæ, ipso facto subijciuntur pœnis per sacros Canones vsurarijs manifestis inflictis: & id ob illa verba in nostro §. cōtenta, *Noueris subiacere*, siquidem verba illa denotant pœnas ipso facto incurrendas, vt supra sufficienter ostendimus. Nec exigitur ad constituendum vsurarium manifestum, vt quis publicè, ac notoriè vsuras exerceat in mutuo formali, formaliter sub vsuris mutuando: sed satis est si exerceat in mutuo virtuali, nempe ficca cambia publicè exercens: aut vendens merces supra rigidum, & iustum pretium ob dilatam solutionem, aut publicè emendo minus infimo pretio ob anticipatam solutionem, vt supra adnotauimus §. 1. quęst. 47. illat. 3. vndè cambia ficca publicè, vt supra exercentes cùm sint manifesti vsurarij in pœnas contra vsurarios manifestos de iure Canonico inflictas statim incidunt.

Tertia Conclusio.

6 QVamuis cābia ficca publicè exercētes ipso facto subijciantur pęnis cōtra vsurarios manifestos à iure Canonico inflictis, ipsi tamen campsores non tenentur in foro conscientiæ huiusmodi pœnas subire ante Iudicis condemnationem. Hæc cōclusio patet ex ijs, quæ nos adnotauimus in nostris Commentarijs ad Bull. cœn. lib. 2. can. 1. q. 27. num. 35. & 36. cum pluribus seq. vbi ostendimus, nullo iure probari, delinquentem teneri in foro conscientiæ ad pœnam etiam ipso iure latam ante delicti condemnationem, vel saltem declarationem, vt latè Molin. tom. 1. de iustit. & iur. disp. 95. Azor. p. 1. Instit. moral. lib. 5. cap. 7. Et eo maximè; quia in casu, de quo agitur non constat de voluntate legislatoris intendentis obligare huiusmodi campsores ad pœnas prædictas, etiam ante iudicis cōdemnationem, vel saltem declarationem, iuxta ea, quæ tradita sunt per Say. lib. 3. de cens. cap. 9. num. 20. cum alijs à nobis cumulatis d. q. 27. Quæ tamen conclusio locum non habet in pœnis Iudicis executionem non expostulantibus. Vndè huiusmodi campsores in foro conscientiæ tenentur se abstinere à communione altaris donec restituant, iuxta tex. in d. c. quia in omnibus, de vsur. Siquidem delinquens tenetur subire pœnam ipso facto impositam, quæ iudicis actum aliquem non exigit, vt probauimus d. quæst. 27. sub num. 41. vbi etiam sub num. 40. idem dicendum esse diximus de pęnis impositis ipso iure ex facto negatiuo; quoniam in foro conscientiæ tenetur delinquens subire etiam ante iudicis cōdemnationem.

Ibi, *Qui conspirationem fecerint, vel congestam vndique pecuniam, ita ad se redegerint, vel quasi monopolium, &c.* De monopolio, quid sit, & quod modis fieri contingat, & de ipsius iniustitia. Q. IV.

SVMMARIVM.

1 *Conspiratio quid sit, ostenditur.*
2 *Monopolium deriuatur à monos gręcè.*
3 *Monopolium multis modis committitur.*
4 *Dolus, & fraus Nummulariorum in cambijs referuntur.*
5 *Monopolium in cambijs qualiter committatur.*
6 *Concursus ad monopolium potest haberi dupliciter, positiuè scilicet, & negatiuè.*
7 *Cambiorum pretium supra rigorosum dupliciter augeri potest per campsores: directè scilicet, & indirectè.*
8 *Monopolium in cambijs si directè fiat, est contra iustitiam, & onus habet restitutionis annexum.*

9 *Monopolium obligat ad culpam, & restitutionem, siuè pacto expresso, siuè tacito inter mercatores fiat.*

10 *Monopolium obligat ad culpam, & ad restitutionem, siuè conspiratio à pluribus fiat; siuè reductio pecuniæ vndique congesta, ab vno tantùm fiat citra conspirationem aliquam.*

11 *Monopolium obligat ad culpam, & restitutionem vt supra, quocunque modo per illud augeatur cambiorum pretium.*

12 *Monopolium committitur prohibendo, ne alij dent cambio.*

13 *Cooperantes ad monopolia facienda eodem modo puniuntur, peccant, & ad restitutionem tenentur, ac facientes.*

14 *Monopolium est contra iustitiam non solùm si fiat ad augendum pretium; sed etiam si fiat ad pretium minuendum.*

15 *Monopolium non committit bona fide pecuniam totam ad se redigens, vt sibi consuleret.*

16 *Monopolium, an & quando licitum sit campsuarijs ad minuendum pretium contra campsores, qui monopolium fecerunt ad augendum cambij pretium.*

17 *Impedientes alios ne cambiant ex priuilegio Principis, an & quando peccent, & ad restitutionem teneantur.*

18 *Monopolium circa venditionem fructuum, an sit semper illicitum.*

19 *Campsores an possint conspirare in eorum pecunijs recipiendis ab eo, cui dederunt cambio ad augendum pretium cambij in secundis nundinis.*

20 *Monopolium tunc committitur, quando mercatores conspirant ad augendum pretium supra iustum.*

21 *Cambium omne per litteras est essentialiter permutatio pecuniæ præsentis cum absenti.*

22 *Monopolium de iure ciuili duplex.*

23 *Campsores non possunt conspirare in eorum pecunijs repetendis ab eo, cui dederant cambio.*

24 *Campsores conspirantes ad repetendas pecunias ab eo, cui cambio dederunt, faciunt contra charitatem.*

25 *Campsores conspirantes ad repetendas pecunias ab eo, cui cambio dederunt, faciunt contra iustitiam.*

26 *Campsorum conspirationes ad repetendas pecunias ab eo, cui dederunt cambio, semper tendunt ad alterandum iustum pretium cambiorum.*

27 *Qui dolo causa est, vt res vendatur plus rigoroso pretio, vel ematur minus infimo, peccat mortaliter, & ad restitutionem tenetur.*

28 *Ex diuersis non fit illatio.*

29 *Conspiratio potest esse contra iustitiam, & charitatem in cambijs, etiam si formaliter non sit monopolium.*

30 *Campsoribus quamuis liceat pecunias datas cambio cōdicto loco recipere; non tamen eisdem est licitum ad illas recipiendas conspirare.*

31 *L. vnica, C. de monopol. explicatur.*

1 AD euidentiam eorum, quæ in hac re dicenda erūt, est adnot. primò, quòd conspirationes, & vndique pecuniarum cōgestiones ad monopolium committendum diriguntur: siquidem conspiratio dici potest omnis plurium coniuratio ad actum illicitum committendum, vt in c. coniurationum cum quatuor seq. 11. q. 1. Alex. cons. 13. num. 15. lib. 6. & Tusch. ver. conspiratio, concl. 780. Vndè cùm pauci nummularij conspirantes vndique pecuniam cōgestam ad se redigunt, vt carius cambiant, hi proculdubio quasi pecuniæ monopolium committere dicuntur; non secus, ac pauci mercatores totas merces certi generis coemētes, vt ipsi postea ad eorum arbitrium eas vendant. Etenim monopolium propriè dicitur, cùm vnus, vel pauci efficiunt, vt ipsi soli aliquod mercium genus vendant eo pretio, quo ipsi voluerint, vt colligitur ex l. vnica, C. de monopol. Deriuatur enim monopolij nomen à monos græcè, idest
2 vnum, & pola, quod est vēditor, vel polum, quod est venditio, seù poleome, idest vendo, quasi monopolium sit vnica venditio, & monopola vnicus venditor, vt rectè declarat Glos. in l. vnica, C. de monopol. Rebell. p. 2. de obligat. iust. lib. 9. quæst. 7. Molin. de contr. disp. 345. Salon. 2. 2. in D. Thom. q. 78. sub tit. de his, qui monopol. exerc. num. 1. Ioan. de Salas in suo tract. de empr. & vendit. dub. 38. num. 1. Scac. de commerc. & camb. §. 1. q. 7. p. 3. limit. 10. num. 3.

3 Secundò est adnotand. quòd sicut monopolium in emendis, & vendendis rebus

rebus quatuor modis inter alios fieri contingit: Primò coemendo propria industria merces omnes alicuius generis, easque supprimendo donec pretium auctum fuerit, vt supra diximus: Secundò impediendo, ne aliundè ab alijs asportentur: Tertiò conueniendo inter se de pretio, vt nemo vendat minus: & quartò conueniendo cum Principe, vel Rep. vt ipsi soli vendant quasdam merces, vt habetur ex Ioan. de Salas in suo tract. de empt. & vendit. dub. 38. per totum, Filliuc. tom. 2. qq. moral. tract. 35. cap. 8. q. 12. sub num. 211. & ex alijs; ita etiam proportionaliter, & eisdem modis inter alios contingere potest in cambijs monopolium, seù quasi committi; cùm cambium, vt sæpe diximus, vel sit contractus emptionis, seù venditionis, vel saltem ad talem cōtractum reducatur. Nam vnus, vel pauci Nummularij quandoque solent totam pecuniam vndique congestam ad se redigere, sumendo eam ad cambium sub minori mercede ad diuersa loca, vt sic illa in eorum potestatem redacta, non solùm commune pecuniæ, pretium, sed etiam cambiorum mercedem augeat, vt constat ex nostro §. in illis verbis, *Vel congestam vndique pecuniam ita ad se redegerint, &c.* Et de huiusmodi monopolio exemplum ponit Scac. d. limit. 10. num. 8.

4 Solent autem aliquando dolosi quidam nummularij in hac re fraudulenta vti industria tùm dantes, tùm etiam cambio accipientes, vt habetur ex eodem Scac. loco citato, sub num. 5. Siquidem cōtingere solet, vt duo vel tres ditissimi Mercatores cum Ministris Hispaniarum Regis conuenire de dando eis cambio ingentem pecuniarum quantitatem pro bello gerendo, & alijs ipsius Catholicæ Maiestatis indigentiis: sed quoniam huiusmodi mercatores non habēt adeò ingentem pecuniarum summam, sumunt ad cambium ab aliis, vt deinde Regi dent cambio. Vt autem tàm in dādo, quàm in accipiendo ad cambium lucrum consequerentur, hac vtuntur machinatione: nam supponunt fictos campsarios, quibus sub paruo fœnore darent cambio, vt cambii valore prædicta fraude extenuato, ipsi deinde cambio vili acciperent ab aliis. Deinde sub modico fœnore conflata pecunia, quā Regis ministri essent ab ipsis mercatoribus cābio accepturi, solent è conuerso supponere fictos campsores, à quibus ipsi sub magno acciperent cambio, vt & Rex sub eodem fœnore accepturus esset ab ipsis.

5 Posset etiam in cambiis committi monopolium vi dolo, aut fraude impediendo cāpsores, ne ad nundinas se conferant, vt ipsis quo pauciores sint, sub maiori fœnore proprias pecunias ad cambium darent: nā quo pauciores campsores sunt, eo magis càmbia reddunt: & quo plures, eò minus. Potest quoque in cambiis fieri monopolium, si Nummularii inter se conspirent, vt nullus det cambio, nisi cambiorum lucrum taxetur vsque ad talem summam, quæ sit vltra iustum pretiū, vt habetur ex Romoal. Col. de camb. cap. 3. Item solent conspirare, vt exigant ingentem pecuniæ summam, atque ideò, inducta illius pecunia, cambiorū pretium augeatur. Solent quoque eadem ex causa curare aliundè pecuniam sibi remitti, qua exacta inducant eiusdem pecuniam, & cambiorum pretia augeantur: siquidem hęc omnia ad monopolium reducuntur, vt habetur ex Filliuc. tom. 2. qq. moral. tract. 35. de camb. cap. 7. q. 5. concl. 1. Idem dicendum est de illis, qui proprias pecunias occultant, vt earum penuria, cambiorum pretium efficiatur maius, vt ex eodē Romoal. Col. loco citato. Denique posset vnus, vel pauci conuenire cum Principe, vel Rep. vt ipsi soli dent cābio in eorum Ciuitatibus, & non alii, ad instar illorum, qui priuilegium impetrant à Principe, vel à Rep. ipsis solis liceat aliquod genus mercis vendere, & nō aliis, siquidem hi dicuntur adhuc monopolium largè saltem consideratum committere, vt habetur ex Ioan. de Salas de empt. & vendit. dub. 38. sub num 2. Dantur etiā alii casus, in quibus committitur monopolium, de quibus infra latius dicemus. q. 6.

6 Tertiò est adnot. quòd duobus modis ad monopolium concurri potest, positiuè scilicet, & negatiuè. Positiuè, quando pacto expresso fit conspiratio inter nummularios, vt nemo cambiat, nisi sub tanto fœnore, & nō minori: vel pacto tacito, cùm datur signum de iuuando monopoliū, recōdita pecunia. Negatiuè autem concurritur ad monopolium cùm quis animaduertens alios monopolium moliri, ipse nullo adhibito pacto abstinet

abstinet se à negotiis, non dando pecunias suas cambio;ea tamen intentione, vt aucto per monopoliũ pretio maiori, postea cũ lucro det eas ad cambium, vt habetur ex Filliuc.loco citato,concl.3.

Quartò est adnot.quòd dupliciter potest
7 cambiorum pretium supra rigorosum per nummularios augeri: directè scilicet, & per se;& indirectè, atque ideò per accidens. Directè augetur cambiorum pretium vt supra, mediantè monopolio altero ex dictis modis. Indirectè verò, & per accidens,quando quis intendit principaliter agere sua negotia,sibique cõsulere,ex quo sequitur postea in nundinis pecuniarum penuria, propter quam cambiorum pretium alteratur, vt patet ex eodem Filliuc.loco citato, concl.2. Exemplum poni potest in mercatore ditissimo, qui in nundinis totam suã pecuniam vndique congestam ad se redegit, vt emat Ciuitates aliquas,& Castra, ex quo prouenit in nundinis pecuniarum penuria, & ex ea cambiorum pretii supra rigorosum alteratio,ab ipso mercatore non præuisa,vel saltem non intenta; sed intenta solum Ciuitatum,& Castrorum emptio. His breuiter sic adnotatis,sit

Vnica conclusio.

8 MOnopolium si directè, ac per se fiat in cambiis est contra iustitiam, & onus habet restitutionis annexum, si ex eo cambiorum pretium supra iustum augeatur. Hæc conclusio est Sot.lib.6.de Iust. & iur. q.11.ar.3.Nauar. in c.nauiganti, num. 59. de vsur.Ioan.de Sal. de camb. dub.38. Romoal.Col.eod.tract. cap.30. Boninf. eod. c.7.vers.Che li mercanti: Fabian.Genuen. eod.tract.in initio,num.20.& 21.ver.Quarta:Scac.de commerc.& camb.§.1.q.7.par. 3.limit. 10.num.1.& seq. Filliuc. tom. 2. qq.moral.tract.3.de censib.& camb.cap.7. q.6.concl.1.num.415.& aliorum communiter. Probatur conclusio; quoniam monopolium est efficax causa,cur augeatur cambiorum pretium supra iustum modo indebito, cum pretium iustum cambij nõ pendeat ex campsorum arbitrio, sed ex alijs causis, vt supra ostendimus in explicatione proœmij,q. Est ergo monopoliũ contra iustitiã: & cùm sit iniusta causa damni accipientium ad cambium, per consequens habet onus restitutionis annexum, cùm omnia peccata contra iustitiã hoc onus annexum habeant: siquidem omnis restitutio debetur, vel ratione rei iniustè acceptæ, vel ratione iniustæ acceptionis, vt habetur ex Caiet. in sum. vers. Restitutio, & ex alijs communiter: & qui causam damni dat,damnum dedisse cẽsetur,iuxta vulgatam iuris regulam. Confirmatur hæc conclusio ex nostro §.vbi huiusmodi monopolia tanquam iniusta prohibẽtur,& de iure communi in vniuersum damnantur,vt in l.vnica, C. de monopol. Imò quòd iure quoque naturali monopolia in cambijs sint damnata, probat post alios Io. de Salas d.dub.38.sub num.3.& 4.

Ampliatur hæc conclusio primò, vt mo-
9 nopolium in cãbijs sit contra iniustitiã cum onere restituendi, siuè pacto expresso inter mercatores fiat,siuè tacito,iuxta ea,quæ supra adnotauimus in tertio not.etenim taciti, & expressi eadem est virtus,l.cùm quid, ff.si cert.petat. & in specie Filliuc.d.concl. 1.num.415.

Secundò ampliatur eadem conclusio, vt
10 locum habeat, siuè monopolium fiat per conspirationem plurium totam pecuniam vndique congestam ad se redigentium, siuè talis reductio citra conspirationem aliquam ab vno tantùm fiat, ex qua pecuniarum penuria in foro proueniat, & cambiorum pretium augeatur: quia monopoliũ siuè à pluribus,siuè ab vno fiat, semper est contra iustitiam, & efficax causa, cur pretium cambiorum iniustè augeatur:& vi nostræ Extrauag.in hoc §.alternariuè damnantur cõspirationes, & pecuniæ vndique congestæ reductiones,vt constat ex illis verbis, *Eos, qui conspirationes fecerint,vel congestam vndique pecuniam ita ad se redegerint, &c.* Dictio enim,vel,alternatiuam naturam habet,& in alternatiuis satis est alterum adimpleri, l. is, qui, §.verum, ff.de reb. dub. l.si quis ita stipulatus fuerit,& l.si ita quis stipuletur, ff. de verb.obligat.& cap.in alternatiuis, de regul.iur.in 6.

Tertiò ampliatur,vt monopolium sit cõ-
11 tra iustitiã, & ad restitutionẽ obliget, siuè vnus, vel pauci numularij omnem pecuniã ad se redigant, modo supradicto, sumendo ad

ad cambium, siuè exigendo vt supra, siuè procurando aliundè pecuniam sibi remitti, siuè eandem occultando, siuè conspirando, seu conueniendo de non cambiendo, nisi pretio supra summum; quoniam his omnibus modis augetur cambiorum pretium indebito modo, propter quod monopolia tanquam iniusta damnantur, & committentes ea peccant contra iustitiam commutatiuam, & tenentur ad restitutionem augmēti pretij, quod ex eorum monopolio processit, vt prętet Doctor. supra citatos habetur ex Gabr. in 4. d. 15. q. 10. ar. 3. dub. 2. Ioan. Medin. C. de restit. q. 36. Salon. de camb. q. 4. ar. 2. contr. 13. & Tolet. lib. 5. suæ sum. c. 83. Et quamuis Molin. de contr. disp. 345. in fin. cuius sententiam probabilem putet Less. lib. 2. de iust. & iur. cap. 2. dub. 20. arbitretur, prædictos mercatores monopolium committentes pecunias omnes ad se redigendo vt supra, non peccare cōtra iustitiam commutatiuam, sed tantum cōtra legalem, seu contra charitatem, atque ideò non teneri ad restitutionem, nihilominus in contrarium est communis opinio, vt patet ex ijs, quæ cumulat Ioan. de Salas post alios, tract. de empt. & vēdit. dub. 38. num. 5. cùm monopolium sit efficax causa iniusta alterius damni: & cambiorum pretium augeri debeat ex licita causa, vt quia pecuniæ paucitas proueniat propter bella, aut alia impedimenta, aut propter multitudinem petentium ad cambium, vt habetur ex eodem Io. de Salas de camb. dub. 38. sub num. 3. vbi pro hac eadem re allegat Veg. in epit. ver. cambium, casu 24. & 25. dicentem, pretij cambium iustum esse, quod est in foro campsorum, seclusis fraudibus, tēpore cōtractus non quod habebit quando litteræ ostendētur, vel fiet solutio.

Quartò ampliatur, vt contra iustitiā cum 12 onere restituendi sit monopoliū, quo vnus, vel pauci campsores alios prohibent, ne cambiant, vt ipsi supra iustum pretium dent cambio: siuè id efficiant vi, aut dolo impediendo campsores ne ad nundinas se conferant, pecunias, aut chyrographa deferētes pro cambijs celebrandis: siuè cambire eos prohibeant vigore alicuius priuilegij citra iustam causam à Principe impetrati, vt patet ex ijs, quæ habentur ex Ioan. de Salas d. tract. de empt. & vendit. dub. 38. sub num. 2. & 7. & Scac. loco infra citando, sub num. 12. siquidem vtroque casu, si cambiorum pretium supra iustum augeatur, prædicti cāpsores sunt iniusta causa talis damni; atque ideò tenentur aliis campsoribus interesse reficere si lucrum amiserunt, & campsariis damna reficere, quatenus pretio supra iustum cambio acceperint ratione talis monopolii.

Quintò ampliatur vt quæ diximus de 13 campsoribus facientibus monopolia vt supra, extendantur ad cooperantes ad monopolia committenda: siuè cooperentur negatiuè, vt quia aduertentes alios monopolia moliri, ipsi, nullo adhibito pacto abstinent se à negotiatione, non dando ad cambium eorum pecunias, ea tamen intentione, vt aucto per monopoliū pretio, sub maiori deinde lucro dent ad cambium: siquidē si ex eorum negatiua cooperatione, fori pretium fuerit auctum, rei sunt monopolij, & ad restitutionem tenentur: secus autem si ex tali cooperatione pretium nō augeatur: quoniam priori casu fuerunt effectiua causa iniusti damni, secus autem casu posteriori, vt rectè docet Filliuc. d. tract. 35. de censib. & camb. cap. 7. q. 6. concl. 2. num. 416. siuè cooperentur monopoliis positiuè auxiliantes campsoribus ad pecuniam vndique cōgestam ad eos redigendam, occultandam, vel dolosè cum eisdem campsoribus cambia fictè contrahentes iuxta ea, quæ supra diximus, not. 2. vers. Solent autem. Etenim cooperantes huiusmodi sunt in pari causa, vt habetur ex Fabian. Gennen. de camb. sub num. 20. vers. Hoc idem, quem refert, & sequitur Scac. de commerc. & camb. §. 1. q. 7. p. 3. limit. 10. num. 10. vbi etiam addit, eos esse in maiori culpa, & teneri ad maiorem satisfactionem, cùm damnum inferant vniuersæ negotiationi.

Sextò ampliatur, vt sicut cōtra iustitiam 14 est monopolium ad augendum pretium cambiorum supra iustum; ita etiam contra iustitiam est monopolium ad minuendum cambiorum pretium minus iusto, vt patet ex iis, quæ habentur ex Scac. loco supra citatò, sub num. 13. nam contrariorum eadem est disciplina.

Septimò ampliatur dicta conclusio, vt quæ

quæ diximus de monopoliis cambiorum, proportionaliter applicari possint in monopolijs aliarum mercium, vt benè post alios declarant Io. de Salas d.dub.38. de empt. & vendit.& Scac.d. limit.10.num.12.

Sic ampliata limitatur primò hæc ipsa
15 conclusio, vt quamuis campsores monopolium committentes, quo pecuniam vndique congestam ad se redegerint ad augendum cābiorum pretium supra iustum mortaliter peccent,& ad restitutionem teneantur, iuxta ea, quæ supra adnotauimus, ampliat.2. si quis tamen pecuniam prædictam ad se redegerit bona fide, vt sibi consuleret, & sua negotia perageret, iuxta ea, quę supra diximus in 4. not. licet ex tali reductione pecuniarum subsequatur, propter quam augeatur pretium cambiorum, is quidem nullam culpam contraxit, nec ad restitutionem aliquam tenetur: quia dicti pretij incremēti non fuit causa per se, ac directè; sed causa per accidens, & indirectè: at in moralibus attenditur id, quod est per se, non autem per accidens. Ita Filliuc. d.tract.35.de censib. & camb.cap.7. q.7. qui hoc ampliat verum esse, etiam si talis animum habuisset postea dandi eam ad cambium; atque ideò ad se redegerit, & pro nunc non dat cambio, quia timet pecuniam perdere, cùm non inueniat personam idoneam, nec fidem habeat mercatoribus, à quibus pecuniam ipsam exegit: siquidem hoc casu prudenter ageret, si probabili nitatur coniecturæ: secus autem si moueatur ad differendum dare cambio ob lucrum; quia si auertat, se forè causam effectiuam augmenti dicti pretij, peccaret cùm restitutionis onere, vt per eundem Filliuc. ibi contra Molin.

Secundò limitatur, vt licet campsores
16 monopolium facientes ad augendum pretium cambii supra iustum peccent mortaliter, & ad restitutionem teneantur; nihilominus licitum est versa vice campsuariis monopolium facere ad redimendam eorum vexationem; atque ideò inter se conuenire, vt nemo accipiat cambio nisi iusto pretio medio, vel infimo. Etenim emptores aliarū mercium contra earum venditores, qui fecerunt monopolium ad distrahendas illas carius supra iustum pretium, possunt quoque facere monopoliū, vt nullus eas emat, nisi iusto pretio, medio, vel infimo, vt post alios probat Ioan. de Salas loco citato, sub num.3. dicens id verum esse, durante venditorum monopolio, & non aliter, & Scac. d.limit.10.num.13. Hac eadem ratione dicunt Less. Molin. & Veg. quorū opinionem probabilem esse ait Ioan. de Salas ibidem, vers. Hinc in auctionibus: in venditionibus, quæ fiunt sub hasta non fore iniustum petere ab aliquo, ne pluris licitetur, vt ipse rem infimo iusto pretio habeat; quamuis contrarium videatur docere Scac. loco paulò supra citato & alij, quos refert idem Ioan. de Salas ibidem.

Tertiò limitatur, vt etsi impedientes
17 alios ne dent cābio ex Principis, vel Reip. priuilegio citra iustam, ac rationabilē causam sibi concesso, vt ipsi soli cambiant cum maiori fœnore, sint monopolij rei, peccent mortaliter, & ad restitutionem teneantur, vt supra adnotauimus, ampl.4. ita vt primo loco teneantur priuilegium huiusmodi impetrantes, cùm sint principales causæ damni; & secundo loco, ac in subsidium, qui cōcesserunt illud, vt post Less. lib.2. de iustit.& iur.cap.21.dub.20. inquit Ioan. de Salas d. dub.38. sub num. 2. in fine; nihilominus si Princeps, vel Resp. moueatur ex iusta, ac rationabili causa ad cōcedendum prædictum priuilegium vni, aut pluribus, vt ipsi soli, & non alij in aliqua Ciuitate, vel Prouincia dent cambio nō peccarent, nec ad aliquam restitutionem tenerētur. Etenim Princeps, vel Resp. potest tale priuilegium ex iusta causa concedere mercatoribus aliarū mercium, vt ipsi soli, & nō alij earum genus aliquod vendant, vt latè probat Ioan. de Sal. loco citato, Filliuc. loco infra citando, & Scac. d.limit.10.sub num.15. post Medin. & alios. Hinc est, quòd datur cambium ex officio, cuius meminit Romoal. Col. de camb.cap.29. quo aliqui campsoris obligātur dare cambio mercatoribus alicuius Ciuitatis, aut Prouinciæ, qui habeant pecuniam, vel creditum in loco destinatæ solutionis, ita vt à tali obligatione non possint ad eorum libitum se eximere. Est tamen verum, quòd huiusmodi campsores ex officio vltra iustum cambiorum pretium, possunt aliquod stipendium consequi taxatū à Rep. aut arbitrio prudentis viri, & id ratione

obli-

obligationis de cambiendo. Siquidem si dãs mutuo ex præuia obligatione mutuãdi, ratione talis obligationis potest incrementũ aliquod consequi, quamuis ex mutuo nihil possit intendi, nõ est ratio, cur id in casu, de quo agitur denegari possit. Dãtur etiam campsore ex officio in cambio ad minutum, quibus solis datur facultas cambiendi, & non alijs, de quibus supra egimus in explicatione proœm. quęst. 13. Verum tamen est, quòd quando Princeps, aut Resp. huiusmodi priuilegia concedit, præsertim in mercibus Reip. communiter necessarijs, debet simul pretium taxare, ne si id priuilegiatorum arbitrio relinquatur, detur illis occasio vendendi, aut cambiendi iniquo pretio non sine maximo Reip. detrimento, vt habetur ex Filliuc. tom. 2. qq. tract. 35. de contract. onerof. cap. 7. quęst. 11. conclus. 2. num. 213. & ex Ioan. da Salas d. dub. 38. sub num. 2. vbi quoad merces id limitat non habere locum in mercibus, quæ ad delicias, & luxum pertinent, cùm in ijs pauci, & ferè omnes diuites grauentur; atque ideò facilè Princeps potest habere iuxtam causam non taxandi pretia.

Quartò limitatur prædicta conclusio, 18 vt locum non habeat in monopolio circa fructus, etiam priuata auctoritate commisso, si tanta talium fructuum esset copia, vt post vnuscuiusque prouisionem factam, magna adhuc superesset eorum abundantia; quoniam tunc posset vnus, vel duo simul conuenire, & emere fructus illos super abundantes, vt habetur ex Tolet. lib. 8. suę sum. c. 53. vers. Sextò est illicita, & Scac. d. limit. 10. num. 18.

Ex hac conclusione sic ampliata, ac limitata, & ex alijs supra adnotatis patet, quid dicendum sit in sequenti casu, de quo Genuæ, in ędibus nostris S. Siri cambiorum materiam explicans, fui consultus.

N. cùm se obligasset Hyspaniarum Regi pro eo soluere in Flandris quater millia millium aureorum, totam campsorum pecuniam ipse solus ferè ad cambium recepit: vndè paucis ad nundinas concurrentibus campsuarijs, & multis campsoribus, pretium commune cambiorum satis benignè fuit taxatum. Campsores igitur videntes cambia parum fœnoris afferre, conspirantes inuicem conuenerunt tempore solutionis faciendę per dictum N. se omnes, & singulos recepturos ab eo suas pecunias ad cambium datas: & cum eodem in ipsis nundinis saltem illa vice non recambire, vt per prius facere solebant: & hoc ideò, vt non existentibus, campsoribus, sed campsuarijs pecunia indigentibus, cambiorum pretia augeantur. Quęsitum fuit ergo, an conspiratio prędicta contra Titium, sit licita, ita vt campsores sint à culpa immunes, & quæsita ex tali cõspiratione restituere non teneantur?

Quidam dicebant, quòd iure licito cam-
19 psores prędicti possint conspirare in eorum pecunijs recipiendis à supradicto N. campsuario, cui ad cambium dederunt ad primas nundinas, citra monopolium, & quamcunque aliam culpam. Potest hæc sententia suaderi primò; quoniam N. vilissimo pretio prędictas pecunias accepit cambio à dictis campsoribus: & deinde summo pretio easdem tradidit cambio Regi; quod quidem citra iniustitiam fieri non potest, vt supra fuit probatum, not. 2. vers. Solent autem: ergò, &c.

Secundò in terminis cambiorum tunc
20 monopolium committitur, cùm aliqui ditissimi campsores inter se conspirantes pretium iniustum cambijs constituunt, iuxta ea, quæ habentur ex Scac. d. limit. 10. num. 8. præsertim si inuicem sibi promittant non cambire pro minori pretio quàm per eos fuerit determinatum: sed hęc conuentio, seù conspiratio non fuit inita in casu, de quo agitur; ergo nõ potest dici monopoliũ.

Tertiò campsuarij tenentur ad realem
21 solutionem pecuniarum cambio perceptarum in primis nundinis suis campsoribus; aliàs non posset saluari in huiusmodi cambijs ratio realis cambij, & veræ permutationis, atque ideò eorum essentia: siquidem omne cambium per litteras est essentialiter permutatio pecuniæ præsentis cum pecunia loco absenti, vt sæpe diximus: ergo campsores ipsi recipientes pecunias prædictas, quas dederunt ad cambium ad primas nundinas, & sic tempore solutionis promissæ, iustè recipiunt circa vllam iniustitiæ, aut alterius culpæ notam:

ergo super ipsis pecunijs recipiendis, tanquam super re licita, ac iusta, licitè, ac iustè etiam potuerunt conuenire, & conspirare: nam conspiratio in bonum bona est, iusta, ac licita, & à iure non reprobatur, qualis est conspiratio Canonicorum de non obediendo Prælato excommunicato, vel de non eligendo indignum, vt rectè docet Alber. de rol. in vocab. vtriusque iur. verb. conspiratio.

Quartò potest hæc eadem sententia
22 confirmari per tex. in l. 1. C. de monopol. vbi Imperator duplicem dumtaxat monopolij speciem constituit: alteram, qua venditores conspirant super rerum venalium pretijs, vt tanti, & non minoris res aliquę vendantur: & alteram, qua conspirant opifices, ne quis opus impleat, quod alteri commissum est: sed campsores prædicti in casu, de quo agitur, nullam ex dictis conspirationibus fecerunt, ergo nec monopolium aliquod comisisse dici potest.

His tamen non obstantibus, sicut con-
23 traria sententia verior tunc mihi visa fuit, ita etiam nunc videtur: atque ideò pędictos campsores non potuisse conspirare, colludere, seù conuenire, inter se ad accipiendum eodem tempore singulas eorum pecuniarum quantitates ad cambium dicto N. datas, & ad eidem non recambiendum denuo, statim facta pecuniarum solutione.

Probatur primò hæc conclusio; quo-
24 niam huiusmodi conspiratio est contra charitatem: nam dum campsores conspirant contra supradictum N. campsuarium, & promittunt sibi inuicem supradictas eorum pecunias ad se trahere, & denuò non recambire, vt supra, proculdubio conspirant ad obsequium, ac famulatum non pręstandum; cùm dare cambio sit obsequium, ac famulatum præstare campsuario per campsorem, vt latè probat Azor. par. 3. Institut. moral. lib. 10. cap. 6. de camb. quęst. 3. vers. Deinde ratione officij, & cap. 7. quæst. 1. versic. Secundò quando nummularius: ergò talis conspiratio est contra charitatem, sicut si mercatores conspirarent, & promitterent sibi inuicem, res aliquas venales ad vendendas expositas se non vendituros Sempronio eis indigenti: siquidem dare ad cambium dicitur emptio, seù venditio quædam pecuniarum, vt docet Caietan. in suo opusc. de camb. Nauar. in suo man. cap. 17. sub num. 283. Romoal. Col. de camb. cap. 12. & alij, quos supra retulimus in explic. proęm. quęst. 10. in relat. 2. sent.

Secundò probatur, quia conspiratio
25 illa est contra iustitiam. Etenim prædicta conspiratio tendit ad alterandum iustum pretium: nam pretium illud, quod N. campsuarius ad præsens soluit, licèt sit satis benignum; est tamen iustum; ex quo à Consulibus, & mercatoribus, ad quos spectabat, fuit taxatum: & tanti, & non pluris communiter æstimatur propter multitudinem monetarum, ac dantium cambio, & quantitatem recipientium ad cambium. Vndè dum campsores conspirant non recambire in illis nundinis, propter inopiam dantium ad cambium, cambiorum pretium ob talem conspirationem alteratur, & augetur supra iustum; atque ideò conspiratio huiusmodi est fraudulenta quædam confederatio contra præfatum campsuarium, argum. text. in cap. si quis laicus, 22. q. 5.

Confirmatur, quoniam campsores ipsi
26 sciebant campsuarium prædictum pecunia indigere ad promissa implenda, nec alios habiturum, ad quos valeat recurrere: & propterea recursum omninò habiturum ad eos cum maiori fœnore: ergo conspiratio illa tendit ad alterandum pretium iustum cambiorum; atque ideò cambium illud est violentum: quia nisi N. campsuarius esset necessitate compulsus, ad illud pretium supra iustum non reciperet ad cambium, contra libertatem in cambijs expostulatam iuxta ea, quæ habentur ex Romoal. Col. de camb. cap. 14. & alijs. Vndè cùm hæc cõspiratio tendat in alterationem iusti pretij cambiorum, proculdubio est monopollij species: nam monopolium sumitur pro qualibet industria ad alterandum iustum rerum venalium pretium, vt rectè ait Filliuc. tom. 2. qq. moral. tract. 35. de cõtr. oner. c. 8. q. 12. sub num.

num. 211. & propterea cãpsores huiusmodi non solùm peccant contra charitatem; sed etiam contra iustitiam, vt supra adnotauimus.

Denique, is, qui dolo in causa est, vt ven-
27 datur res vltra summum pretium, vel ematur minus infimo, peccat mortaliter, & tenetur ad restitutionem illius excessus, aut defectus iusti pretij, vt rectè declarat Conrad. de contract. q. 65. & Salon. de monopol. concl. vlt. vers. Tertiò cõueniunt: ergò idem dicendum, & multò magis de dictis campsoribus, vt supra conspirantibus, cùm sint efficax causa, cur iustum cambiorum pretium alteretur.

Restat modo, vt ad argumenta respondeamus.

AD primum respondetur, quòd antece-
28 dens esset verum, quando N. minus infimo pretio accepisset cambio, & plus summo daret dolo, ac fraude, suppositis fictis campsoribus, & campsuarijs, vt supra in not. 2. vers. Solent autem: at nos supponimus. N. ipsum citra vllam fraudem accepisse cambio pretio illo benigno à dictis campsoribus: & propterea ex diuersis non fit illatio, l. Papinianus exuli, ff. de minor.

Ad secundum negatur minor: quoniam
29 licèt dicta conspiratio inita non sit expressè; est tamen inita tacitè, cùm tendat in alterationem iusti cambiorum pretij. Prętereà, dato, quòd illa conspiratio non sit formaliter monopolium, est tamen cõtra charitatem, & iustitiam, per ea, quæ supra diximus.

Ad tertium negatur vltima consequen-
30 tia; quia conspiratio, de qua agitur, adhuc dicitur iniusta. Etenim etsi licitum sit campsoribus in nundinis suas pecunias datas ad cambium recipere, cùm quilibet rei suæ sit moderator, & arbitrer, l. in re mandata, C. mand. tamen non est licitum conspirare contra campsuarios modo prędicto ad augendum, & alterandum iustum cambiorum pretium; quoniam ista cõiuratio est iniqua, & fraudulenta.

Ad vltimum ex tex. in l. vnica, C. de mo-
31 nopol. respondetur, quòd monopoliorum multæ sunt species. Nam si artifices alicuius artis conspirent, & promittant inuicem, se non nisi eorum filios ipsorum artem edocturos, monopolij crimen committunt, vt per Doctor. in d. l. vnica, & tamen huiusmodi monopolij d. lex non meminit. Sic etiã si plures emptores conspirent, ne merces aliquę aduenientes in alio pretio ab vllo eorum emantur, pręterquam tali pretio, hoc crimen monopolium est, & nihilominus de eo in d. l. vnica, non fit mentio. Sunt, & aliæ quamplurimæ monopolij species, relatæ à Salon. loco supra citato, quæ in ipsa lege non connumerantur. Vndè licèt ibi non fiat mentio nisi de illis duabus monopolij speciebus; non tamen sequitur per dictam legem ita illas duas monopolij species constitui, & prohiberi, vt aliæ non dentur, nec prohibeantur; sed per illam prohibentur omnia monopolia in genere, & in specie: & illas duas monopolij species exempli gratia tantùm expressit. Denique dato, quod noster casus non haberet omnes conditiones ad monopolium requisitas; tamen quia conspiratio, de qua agitur, tendit ad alterãdum iustum pretium cambiorum, proculdubio est contra charitatem, & iustitiam, vt supra ostendimus: & propterea prædicti campsores peccant mortaliter, & ad restitutionem tenentur. Etenim non alia ratione inhibetur paucis campsoribus ad se trahere totam pecuniam, nisi quia hoc modo coaceruantes apud se totam pecuniam; cùm pauci sint campsores, & multi campsuarij, sunt in causa, vt iustum pretium cambiorum alteretur, & consequenter faciunt contra charitatem, & iustitiam; sicut qui fructus victui humano necessarios præemunt, coaceruant, & occultant, vt pretia eorum augeantur: ergò sicut prædicti in dictis casibus, quia sunt in causa, vt pretia rerum venalium augeantur, peccant contra charitatem, & iustitiam, & tenentur non minus quàm iniqui monopolæ ad restitutionem excessus pretij, vt latè probat Salon. vbi supra, concl. vlt. vers. Extra hos igitur; & vers. Vndè: ita etiam campsores in casu nostro; quia per talem conspirationem sunt causa alterationis iusti pretij cambiorum, peccant contra charitatem, & iustitiam, & tenentur ad re-

stitutionem excessus pretij, quod augetur causa talis conspirationis.

An conspirantes dare cambio pretio iusto, sed summo; non autem medio, vel infimo, mortaliter peccent cum onere restituendi. Q. V.

SVMMARIVM.

1 *Pretium triplex iustum, nempe summum, medium, & infimum.*

2 *Conspirationem inter mercatores de vendendis mercibus iusto pretio; sed rigoroso licitam esse, qui doceant, referuntur.*

3 *Conspirationem de vendendis rebus iusto pretio, sed rigoroso, illicitam esse, probabilius est dicendum.*

4 *Conspiratio de vendendis mercibus iusto pretio, sed rigoroso, licèt secundum probabilem Doctor. sententiam non sit contra iustitiam; est tamen contra charitatem.*

5 *Conspiratio inter mercatores de non emendo nisi iusto pretio; sed infimo, licita est contra mercatores de vedendo rigoroso pretio cõspirantes.*

Haec quæstio disputatur; supposito,
1 quòd sicut in alijs rebus venalibus datur triplex pretium iustum; nempe summum, medium, & infimum; ita etiam detur in cambijs: quamuis in eis de facili non detur, cùm pretium in cambijs imponatur à mercatoribus, & nundinarũ consulibus iuxta ea, quæ supra adnotauimus, §. 1. quęst. 26. vers. Et quamuis, & vers. A nundinis, Potest tamen dari, quia sępe à campsoribus non statur pretio fori, vt ibidem diximus.

In hac re Molin. de contract. disp. 345.
2 Less. lib. 2. de Iust. & iur. c. 21. dub. 20. Petr. Nauar. lib. 3. de restit. c. 2. dub. 9. num. 75. q. de empt. ar. 1. dub. 7. difficult. 2. & alii apud Ioan. de Salas in suo tract. de empt. & vendit. dub. 38. sub num. 3. & Filliuc. tom. 2. qq. moral. tract. 35. de contr. onerof. cap. 7. q. 12. concl. 1. num. 212. loquentes de conspiratione facta circa venditionem rerum venalium, arbitrantur, quòd conspirantes de non vendendis quibusdam mercibus nisi pretio iusto, sed summo, seù rigoroso, non peccant contra iustitiam; atque ideò eos nõ teneri ad restitutionem aliquam. Mouentur ex eo, quòd conuenientes de non vendendo nisi pretio iusto non peccant, vt habetur ex D. Anton. 2. p. tit. 1. cap. 16. vers. 5. sed conuenientes de vendendo pretio rigoroso, dicuntur conuenire de vendendo pretio iusto: ergo nõ peccant. Quòd si hoc verum est de conspiratione circa res venales, idem dicendum videtur de supradicta conspiratione in cambiis; cùm contractus cambii sit empt. & vendit. vel saltem ad illum reducatur.

His tamen non obstantibus, oppositam
3 sententiã puto esse de iure veriorem, quam tenẽt quoad res venales Cõrad. de contr. q. 65. post 3. concl. & in 4. concl. Sot. lib. 6. de Iust. & iur. q. 3. ar. 2. Io. Medin. de restit. q. 30. in fin. Barthol. Med. in sum. c. 14. §. 25. regul. 5. Garf. lib. 1. de contract. cap. 13. Palac. 2. de contr. cap. 3. Petr. Ledes. 2. p. sum. tract. 8. c. 31. ante 7. concl. Nauar. in Man. c. 23. num. 92. Syl. in ver. emptio, q. 18. Tab. eod. ver. q. 13. & ver. Ars, q. 7. & Rebell. p. 2. de obligat. iustit. lib. 9. de contr. empt. & vendit. q. 7. sub num. 6. vers. Verisimilius. Probatur hæc sententia ex eo quòd Resp. & earum subditi habent ius liberi fori tùm iure gentium, tùm lege positiua, ita vt per monopolia, & alias fraudes huiusmodi rerũ pretia non augeantur, vt rectè declarat Rebell. loco citato, & lib. 11. de camb. q. 12. sub num. 1. Et quamuis pretium illud rigorosum sit iustum; nihilominus sic cõspirantes mutant pretium, cùm iam non maneat, nisi pretium rigorosum: & virtualiter cogunt ad emendum pretio illo rigoroso, iniuria afficientes Rempub. ad quam pertinet pretia cõstituere: & propterea peccant non solùm cõtra charitatem; sed etiam contra iustitiã. Quòd si hæc vera sunt de conspirationibus circa venditiones rerum venalium; idem dicendum est de conspirationibus huiusmodi si fiant in cambiis, vt rectè probat Io. de Salas de camb. dub. 38. sub num. 1.

Est tamen verum, quòd cùm vtraque
4 opinio sit probabilis, vt testatur Ioan. de Sal. loco supra citato, post factum qui priori vellet vti sententia, licèt posset excusare sic

sic conspirantes à restitutione, si non interueniant minæ, vis, dolus, vel fraus, iuxta ea, quæ habentur à Filliuc. loco citato; tamen ante factum huiusmodi conuentiones non sunt consulendæ: quoniam licèt secundum dictam sententiam non sint cõtra iustitiam; nihilominus secũdum communem opinionem sunt contra charitatem, atque adeò dato, quòd non tenerentur restituere, peccarent tamen mortaliter, vt patet ex Rebel. Ioan. de Salas, locis citatis, & aliis: quibus adde ea, quæ habentur ex Molf. par. 2. suæ sum. tract. 12. cap. 5. à num. 122. ad 135.

Et in omnem euentum, fas est contra hu-
5 iusmodi mercatores, sic conspirantes conspirare campsuariis de nõ recipiendo cambio, nisi infimo pretio, iusto tamen; quoniam hoc idem licitum est emptoribus rerum venalium contra res venales, vendentes, & modo supra dicto conspirantes similiter cõuenire de non emendo, nisi tanto pretio viliori, iusto tamen: vt sicut clauus clauo traditur, sic monopolium monopolio tollatur; maximè si id fiat, donec venditores prædicti à monopolio cessauerint, vt post alios habetur ex Rebel. loco citato, vers. Verisimilius.

An dantes cambio pretio inducto per monopolium peccent, & ad restitutionem teneantur. Q. VI.

SVMMARIVM.

1 *Vendentes, aut dantes cambio pretio inducto per monopolium excusantur.*

2 *Vendentes, aut dantes cambio pretio inducto per monopolium, excusantur, siuè sciant, siuè ignorent pretium illud fuisse inductum per monopolium.*

3 *Vendentes, aut dantes cambio pretio inducto per monopolium ita demum excusatur, si pretium illud communi vsu fuerit approbatum.*

IN hac difficultate Bart. Medina in sum. cap. 14. §. 25. reg. 5. loquens de pretio rerum venalium inducto per monopolium distinguit, quòd aut vendens merces dicto pretio, erat conscius monopolii, & fraudis, quibus fuit auctum pretium: vel monopolii, & fraudis erat omninò ignarus: primò casu putat sic ementem peccare, ac teneri ad restitutionem: quoniam is peccat contra iustitiam; secundò verò casu, inquit, tali pretio vendentem non peccare, nec teneri ad restitutionem. Quòd si ita dicendum est de vendente res venales pretio inducto per monopolium, & fraudes; idem fateri cogimur de iure respondendum esse de dante cambio pretio inducto per monopolium, & fraudem, vt si fraudis sit conscius peccet contra iustitiam cum restitutionis onere: si verò inscius excusetur tùm à peccato, tùm etiam à restitutionis obligatione; cum non possit assignari diuersitatis ratio.

Secunda sentẽtia, quæ nobis magis pro-
1 batur est eorum, qui putant excusandos esse ab iniustitia, atque adeò à restitutionis onere eos, qui vendunt, vel dant cambio sub pretio currenti, ac communi; inducto tamen per monopolium, & fraudem. Hanc sententiam tenet Rebel. p. 2. de oblig. iust. lib. 11. de camb. q. 12. num. 3. qui reuocat opinionem cõtrariam, quam docuit lib. 9. de cõtr. empt. & vendit. q. 7. sub num. 5. vers. Vtraque sententia. In hanc eandem opinionem videtur inclinare Ioan. de Salas in suo tract. de camb. dub. 38. sub num. 2. Etenim licèt prædictum pretium sit iniustè auctum, atque ideò damnum illatum reficiendũ sit ab eis, qui per monopoliũ, & fraudes fuerunt causa talis augmenti; nihilominus iustum redditur respectu aliorum, qui culpã non commiserunt, nec ex officio tenentur monopoliũ tollere, vel ocurrere, cùm possint: siquidem tantum pretium est mercis, aut cambii, quantum communiter secundum præsentes circumstantias ẽstimatur; licèt ea æstimatio ex circumstantia iniustæ causæ aliquando nascatur, & fundetur.

Ampliatur hæc conclusio, vt vera sit, si-
2 uè dantes cambio sciant, siuè ignorent, pretium illud, quo cambiant, fuisse inductum per monopolium, & per fraudes: quia cùm sit redditum iustum, ad rem non pertinet, quod dantes cambio sciant, vel ignorent, prouenire ex monopolio, & ex fraudibus: eo quòd non minus valent merces scientiũ fraudem, quàm nescientium, vt habetur ex Rebel. locis citatis.

Sic ampliata limitatur eadem conclusio,

vt

3 vt ita demum sit vera, quando pretium illud inductum per monopolium, & fraudes, fuerit postea communi vsu approbatum; ita vt sit effectum pretium currens: aliàs secus esset dicendum; quia ante talem approbationem est iniustum, tanquam inductum ab iis, qui non habent auctoritatem: siquidē tunc huiusmodi pretium efficitur iustum cùm recipitur ab omnibus, vt habetur ex Rebel. d. q. 12. num. 3. & Filliuc. tom. 2. qq. moral. tract. 35. de censib. & camb. c. 7. q. 8. concl. 2. & 3. num. 419. & 420. vbi idem ait, dicendum esse de iis, qui fuerunt causa negatiua, & indirecta, abstinendi scilicet à negotiis ea intentione, vt interim per monopolium ab aliis factum augeatur pretium: nam nō possunt licitè vti eo pretio, donec vsu confirmatum nō sit, & ab omnibus receptū. Imò qui eo pretio vbi sint in principio, & fuerint primi ad inducendam consuetudinem, non solùm peccant; sed etiam tenerentur ad restitutionem eius, quod fuerit supra iustum pretium arbitrio prudentis; quia dederunt cambio scienter pretio iniusto, vt per eundem Filliuc. loco citato, concl. 4. num. 421. D. xi, *Scitet*. Quoniam dantes cambio pretio ex monopolio inducto, ignorantes fuisse ex monopolio inductum; quamuis ex communi vsu nō dum fuerit approbatum, si post triennium id resciuerint, poterunt triennali præscriptione tueri, stante eorum bonafide. Vt rectè docet Filliuc. d. q. 8. concl. 3. num. 420.

Ibi, *Contra exercentes monopolia*. Quænam sint pœnæ de iure cōstitutæ contra exercentes monopolia. Q. VII.

SVMMARIVM.

1 *Monopolium quibus modis committatur.*
2 *Monopolium pœna de iure Ciuili, quæ nam sint.*
3 *Monopolium dupliciter fieri contingit, auctoritate scilicet publica, & auctoritate priuata.*
4 *Monopolium auctoritate publica, committitur auctoritate Principis.*
5 *Monopolium auctoritate priuata multis modis committitur.*
6 *Iudices qua pœna plectantur de iure Ciuili, si monopolas dissimulent, ostenditur.*

1 IN hac te vide Rebuff. in tract. de magistr. artif. ar. 2. Glos. vnica, vbi enumerat casus, ex quibus monopolium committitur, & ponit quinque pœnas. Alij casus habetur apud Rebell. par. 2. de obilgat. iust. lib. 9. de cōtr. empt. & vendit. q. 7. vbi num. 4. ad monopolii fraudem reuocat modum illum fraudis, quo artifices conueniunt, vt non doceant artem, nisi sub certo pretio, aut nō nisi solos filios, & nepotes. Sic etiā, qui per se, vel per alios, falsis sparsis rumoribus, vel litteras configendo de obsidione insulæ, vel alterius loci, vndè merces asportari solent, vel de naufragio nauium, quibus vehebantur, aut alia simili fraude mercium pretia augeri faciat. Adde quòd statutum, quod omnes vadant ad molendum ad molendinum Domini, vel ad coquendum panem in eiusdem Clibano dicitur continere monopolium, Soc. cons. 272. num. 6. lib. 2. & concl. 358. num. 5. litt. M. Ver. Monopolia, vbi etiam id limitat, nisi hoc quis habeat ex priuilegio Principis, vel ex consuetudine prohibitiua in alios, vt per Bald. cons. 464. num. 5. lib. 4. Etenim non esset iniustū si Princeps ob publicam necessitatem hæc, vel similia priuilegia concederet sub certa summa pecuniæ; taxando tamen moderatū pretium, ne Resp. plus iusto grauaretur, vt habetur ex Rebel. loco citato, sub num. 3. & supra latius adnotauimus, q. 4. limit. 3. vbi etiam not. 1. & 2. definiuimus monopoliū, & plures alias eiusdē species assignauimus: quibus adde, quæ habentur ex Molf. p. 2. suę sum. tract. 12. cap. 5. à num. 122. ad 135. vbi non nulla cumulat circa materiam monopolii: & quoad monopolia in cambiis vide Rebell. loco citato, Scac. de commerc. & camb. §. 1. q. 7. p. 3. limit. 10. Salas de camb. dub. 38. & Filliuc. tom. 2. qq. moral. tract. 35. de camb. cap. 7. q. 5.

2 Monopolarum autem pœnæ habentur in l. vnica, C. de Monopol. cuius tenor est, qui sequitur, *Iubemus, vt quis cuiuscunque vestis, vel piscis, vel pectinum fortè, aut Echini, vel cuiuslibet alterius, ad victum, vel ad quem-*

cumque vsum pertinentis speciei, vel cuiuslibet materiæ, pro sua auctoritate, vel sacro iam elicito, aut in posterum eliciendo rescripto, aut pragmatica sanctione, vel sacra nostra pietatis adnotatione, monopolium audeat exercere: neuè quis illicitis habitis conuentionibus, coniuret, aut paciscatur, aut species diuersorum corporum negotiationis, non minoris quàm inter se statuerint, venundentur. Aedificiorum artifices, vel Ergolabi, aliorumque diuersorum operum professores, & balneatores penitus arceantur pacta inter se cōponere, vt ne quis quod alterum commissum sit opus impleat, aut iniunctam alteri solicitudinem alter intercipiat: data licentia vnicuique ab altero incohata, & derelictum opus per alterum sine aliquo timore dispendij implere, omniaque huiusmodi facinora denunciandi sine vlla formidine, & sine iudiciarijs sumptibus. Si quis autem monopolium ausus fuerit exercere bonis proprijs expoliatus, perpetuitate damnetur exilij. Caeterarum prętera professionum primates si in posterum, aut super taxandis rerum pretijs, aut super quibuslibet illicitis placitis ausi fuerint conuenientes huiusmodi sese pactis astringere quadraginta librarum auri solutioni percelli decernimus. Officio tua sedis quinquaginta librarum auri condemnatione multando, si in prohibitis monopolijs, & interdictis corporum pactionibus commissas fortè (si hoc euenerit) saluberrima nostra dispositionis condemnationes venalitate interdum, aut dissimulatione, vel quolibet vitio minus fuerit executum.

Ex hac lege colligitur, quòd monopoliū
3 dupliciter fieri contingit, auctoritate scilicet publica, & auctoritate priuata, vt patet ex illis verbis, *Pro sua auctoritate, &c.* Et quidem priori modo fieri contingit monopolium ex priuilegio Principis, vel Reip.
4 aut statuto aliquo: quod quidem priuilegiū licitè conceditur, si ex iusta, ac rationabili causa concedatur. Vt cùm pro inducenda annona in Ciuitate, Principes, ac Decuriones Ciuitatum certis personis facultatem tribuunt, vt ipsi soli vendant certam mercium speciem, & non alij: secus autem si priuilegium huiusmodi tribuatur, nulla subsistente causa; quoniā eo casu Principes peccarent mortaliter cum restitutionis onere, vt supra adnotauimus q. 3. concl. vnica, limit. 3. & hoc est, quòd vi dictæ legis prohibetur: siquidem Princeps nunquam intelligitur huiusmodi priuilegia in Reip. detrimētum concedere, vt habetur per Bald. ibi.

Posteriori verò modo, atque ideò priua-
5 ta auctoritate, vltra alios modos supra relatos, vi d. legis constituitur monopolium, cum plures inuicem paciscuntur, vt non minori pretio vendant, aut non maiori emant, & pro eo pœna imponitur perpetui exilij, & publicationis bonorum. Quòd si Artifices inter se cōueniant, vt opus ab vno inceptum alius non perficiat, quadraginta librarum auri condemantione mulctantur: quæ pœna quamuis sit diuersa ab ea, quæ pro monopolio statuitur; tamen à plerisque conuentiones huiusmodi inter monopolia computantur, vt habetur ex Rebell. d. q. 7. sub num. 1.

Denique est adnot. quòd per dictam le-
6 gem non solùm sub certis pœnis monopolia damnantur; sed etiam ipsi Iudices quinquaginta libris aureis mulctantur, si super his dissimulauerint. Hæc de ista quæstione, & de totius Extrauag. huius explicatione ad laudem, & gloriam omnipotentis Dei, eiusdemque gloriosissimæ Virginis Matris Mariæ, Beati Io. Baptistæ Præcursoris Domini, cuius hodie festum colimus, & hoc opus, Diuina nobis fauente gratia, perfecimus, ac omnium Sanctorum; submittentes illud, & omnia, ac singula in eo contenta omni qua decet reuerentia, & humilitate Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ iudicio, atque censuræ.

Finis explicationis Extrauag. Pij Papæ Quinti, De cambijs.

Deo gratias.

INDEX

Rerum omnium, quæ in hoc volumine continentur ordine alphabetico dispositus.

A

&

dolo

Cam-

INDEX.

&

Cam-

Cam-

solùm

Cam-

Cam-

INDEX.

Cam-

Cam-

INDEX.

Cam-

INDEX.

Cen-

INDEX.

Cen-

Cam-

INDEX.

Cen-

Cam-

INDEX.

Cen-

INDEX.

E

Electio.

Lit-

Litteræ

Locatio.

Locus.

Lucrum.

Ludus.

M

Malum.

Maleficium.

Mandatum. Mandatarius. Mandans.

Mo-

In-

Lit-

INDEX.

Ludus.

M

Malum.

Maleficium.

Mandatum. Mandatarius. Mandans.

Mo-

Mora.

Mulieres.

Munus.

Mutuum. Mutuans.

Pe-

INDEX.

INDEX.

LAVS DEO.

Errata.	Corrige.
Illud.fol.9.ſub.n.5.	illa
quia.fol.22.ſub n.36.	quin.
differt.fol.25.ſub n.4.	differre.
ſecaras. fol.41.ſub n.2.	ſecuras.
reducuntur.f.43.ſub n.2.	redduntur.
exceſſas.fol.50.ſub n.11.	exceſsus.
Ne obut.fol.70.n.4.	Nec obſtat.
nauigari.fol.84.n.3.	nauiganti.
iniuſtum.fol.86.n.17.	iuſtum.
non eſt ſiccum f.97.n.13.	non eſſe ſiccum.
addere fol.117.in prin.	reddere.
iullius.fol.123.ſub n.29.	illius.
cædem fol.126.ſub n.1.	eædem.
meré.fol.132 n.21.	raró.
ad inſtantiã f.135.ſub n.7.	ad iuſtitiam.
ſit.fol.135.n.10.	ſcit.
campſorit.f.136.n.13.	campſoribus.
pro.fol.144.n.3.	per
negatio.f.144.ſub n.6.	negotio.
non dicitur.f.153.n.1.	ſupple,ſiccum,
preti.fol.163.ſub n.4.	pretij.
ſolutionem.f.165.n.7.	ſocietatem.
per recambij.f.169.n.10.	per viam recambij.
procurator exigendum. f. 170.n. 13.	procurator ad exigẽdũ.
præ cãpſuarij.f.174.n.40.	præuia campſuarij.
inſur.f.183.ſub n.27.	inſurgunt.
non quod.f.194 ſub n.5.	eo quòd.
veriorẽ nõ eſſe.f.197.n.4.	veriorem eſſe.
de ver. & facti. f.202.n.22.	de iur.& facti.
iuſtum fol.212.ſub n.13.	iuſſum.
ſit.fol.220.ſub n.10.	ſic.
æſtimati.f 223.ſub n.3.	æſtimatio.
pactum perat.f.227. n.10.	paratum.
campſor accipit,f.232.n.3.	campſor,qui accipit.
potenti.f.256.n.39.	petenti.
ſi.fol.283.n 3.	ſit.
tantum minus,f.285.n.3.	tantum plus.
pretim.f.305.ſub n.18.	pretium.
circa.f 305.ſub n.21.	citra.

Alij errores pauci momenti remictuntur benigno Lectori.



REGISTRVM

A ABCDEFGHIKLMNOPQRSTVXYZ.

Aa Bb Cc Dd. a b c d.

Omnes ſunt Terniones,præter A Cc Dd qui ſunt duerniones.